MÉMOIRES

ET DOCUMENTS

PUBLIÉS

PAR LA SOCIÉTÉ D'HISTOIRE

DE LA SUISSE ROMANDE

TOME XXXI

LAUSANNE — IMPRIMERIE GEORGES BRIDEL

DOCUMENTS

RELATIFS A

L'HISTOIRE DU VALLAIS

RECUEILLIS ET PUBLIÉS PAR

L'ABBÉ J. GREMAUD

professeur et bibliothécaire cantonal à Fribourg.

TOME III

(1300-1330)

LAUSANNE

GEORGES BRIDEL ÉDITEUR

1878

DOCUMENTS

RELATIFS A

L'HISTOIRE DU VALLAIS

1154

Statuts synodaux du diocèse de Sion.

(Vers 1300.)

Archives de la paroisse d'Ernen, copie de M. Ferd. Schmid, curé de Mœrel.

Les présents statuts, ainsi que d'autres des années 1303, 1305, etc., sont écrits sur un rouleau formé de plusieurs feuilles de parchemin, dont malheureusement la première est perdue. Il manque ainsi l'indication de la date et le nom de l'évêque qui a publié ces statuts. Cependant l'un des articles nous révèle le nom de cet évêque. L'auteur des statuts y nomme ses prédécesseurs : Henri, Rodolphe et Pierre; ce sont précisément les évêques qui ont précédé immédiatement Boniface de Challant; c'est donc à ce dernier qu'il faut les attribuer.

Ces statuts reproduisent en grande partie ceux de l'évêque Landri. (Voy. tom. I, pag. 210.) Plusieurs articles sont tout à fait identiques; quelques-uns ont subi des modifications; d'autres enfin sont nouveaux. Nous les reproduisons tous intégralement.



. . . .

Item statuimus atque precipimus vt predicatores, questoresque qui pro elemosinis colligendis vadunt, sacerdotes non permittant ipsos predicare sed ipsi sacerdotes proponent parochianis suis ea que viderint in litteris dni pape bullatis uel in litteris episcopi dyocesani sigillo suo sigillatis, nec cartulas eorum recipiant, nec eciam credant eis, nisi nomina ipsorum sint in litteris dni pape uel episcopi expressa. In hiis fratres Predicatores uel Minores non intelligimus includi.

Item precipimus sacerdotibus ne aliquid a predicatoribus exigant sub pena XX sol.

Item precipimus ne aliquis intret synodum sine superpellicio uel capa rotunda.

Item precipimus vt sacerdos quilibet conuenienter et decenter assistat altari, et quum celebrare voluerit, clericus qui ei seruire teneatur superpellicium siue cappam habeat circa altare.

Item precipimus vt nullus clericus in sacris ordinibus constitutus presumat ludere ad saltas uel equalia in publico uel priuato, alioquin ipsum iure ecclesiastico supponimus interdicto.

Item precipimus vt sacerdos, dyaconus, subdyaconus habeant coronam et tonsuram conuenientem ordini suo.

Item precipimus vt nullus clericus ferat cultellum barbarinum pendentem in zona siue in femore.

Item precipimus vt nullus seruitorum sacerdos in ciuitate Sedun. commorans missam celebrare presumat, nisi fuerit ad matutinas ecclesie superioris uel inferioris, alioquin penam suspensionis incurrant, nec oblaciones in altaribus suis recipiant illa die sub pena predicta.

Item precipimus sub pena excommunicacionis ne aliquis sacerdos Corpus Dni per laycum mittere presumat ad visitan-

dum infirmum, sed ipse personaliter visitet infirmum uel per dyaconum, uel in magna necessitate per subdyaconum.

Item quod nullus sacerdos presumat latenter ad infirmos portare Corpus Christi, sed publice, bursa apparente, habita eciam candela atque campana deportet et hec sub pena LX sol.

Item precipimus ne aliquis clericus ecclesiasticum habens beneficium negociaciones seculares exercere presumat, quod precipimus obseruari sub pena LX sol., et quod clericus coniugatus siue laycus uel eius filius proprius principaliter idem ministrare habeat. Si quis contra hec fecerit penam XX sol. incurrat.

Item statuimus quod clerici coniugati de cetero non admittantur in choro catedralis ecclesie quum diuina officia celebrentur, nec eciam bigami, quos auctoritate concilii generalis carere scimus omni priuilegio clericali. Item quod clerici illegitimi non intrent chorum ecclesie in omnibus officiis, nisi prius obtenta legittimacione a sede apostolica super defectum natalicium; quam constitucionem volumus extendi ad illos vsque qui nunc in dictis officiis sunt admissi.

Item precipimus ne aliquis sacerdos sacerdotem extraneum de cetero secum morari presumat, nisi de consensu episcopi et nisi habeat litteras sue ordinacionis et vicarium suum primo representet episcopo, vt ab episcopo potestatem soluendi recipiat et ligandi.

Item precipimus sub pena excommunicacionis ne aliquis sacerdos pueros infra annos impubertatis constitutos matrimonio coniungere presumat, videlicet donec puer masculus quatuordecim annos habeat ac mulier duodecim et sint ita habiles vt consentire ad inuicem valeant ac sciant.

Item precipimus ne aliquis sacerdos alienos parrochianos sine licencia proprii sacerdotis desponsare presumat.

Item precipimus sacerdotibus vt in ecclesiis publice et fre-

quenter inhibeant per penam LX sol. et per penam excommunicacionis quod aliquos desponsare non presumant.

Item precipimus sub eadem pena sacerdotibus vt obediant episcopo et decano suo de justicia facienda pro quibuslibet offensis, cum eis fuerit iniunctum.

Item precipimus sacerdotibus vt publice et frequenter in ecclesiis denuncient mulieribus que teneros pueros ponunt secum in lectulis, quod si ibi decesserint ad papam transmittentur.

Item precipimus sacerdotibus vt de cetero vigilias in suis ecclesiis fieri non permittant.

Item precipimus sacerdotibus sub pena XX sol. ne pro sepulturis uel exequiis mortuorum, uel pro benedictionibus nubencium, uel confessionibus, uel huiusmodi sacramentis obtemptu alicuius commodi dictum sacramentum aliquatenus retardent, sed postmodum cum officium debiti sacramenti perfecerint, exigant racionabiliter quod eis ex antiqua et bona consuetudine debetur.

Item pronunciandum est vt parrochiani sciant tempora feriandi per annum, id est omnes dominicas a vespera vsque ad vesperam, ne Judaismo capiantur. Feriandi vero per annum isti sunt dies: Nátiuitas Dni nostri, S. Stephani, S. Johannis, SS. Innocencium, S. Siluestri, Octaua Dni, Epiphania, S. Vincencii, Purificacio S. Marie, B. Karoli imperatoris, B. Katerine virginis et martiris, Annunciacio Dni, Sanctum Pasca cum tota ebdomada, Rogacionum tribus diebus et vtrumque festum S. Crucis, Ascensio Dni, sancta dies Pentecostes, S. Johannis Baptiste, et omnium Apostolorum, maxime Petri et Pauli, S. Marie Magdalene, S. Laurencii, Assumpcio B. Marie, S. Theodoli patroni nostri solempniter celebretur et ad feriandum omnibus precipiatur, Natiuitas S. Marie, S. Mauricii cum sociis suis, S. Michaelis, Omnium Sanctorum, S. Martini, S. Nicolai et dedicacio cuiusque ecclesie et festiuitas sancti illius in

cuius honore ecclesia consecrata est, que tantum parrochianis illius ecclesie indicanda est, aliis vero non. Relique vero festiuitates non sunt cogende nec prohibende.

Preterea de illis quatuor diebus Pasce et Pentecostes, scilicet IV feria, VI feria, sabbato, et in tribus diebus Rogacionum, Marci ewangeliste et in commemoracione fidelium defunctorum, que est crastina die Omnium Sanctorum et de quibusdam festis sanctorum in quibus IX facimus lectiones et in ipsis diebus solempniter celebramus, sic fieri debent : omnes vnanimiter conuenire debent et audita missa et preceptis quilibet deinceps peragat opus suum.

Item precipimus de accidenciis que possunt accidere in missa quod debeat fieri : Si in missa uinum uel aqua defuerit, si per negligenciam euenerit vt perlecto canone, peracta consecracione nec vinum nec aqua reperiatur in calice, debet statim infundi vtrumque et sacerdos reiterabit consecracionem ab illo loco canonis *Simili modo* vsque in finem. Ita tamen vt illas duas cruces obmittat que singulariter fiunt super panem. Quod si de simplici vino uel de aqua sine vino fiat consecracio, vinum reputatur pro sacramento, aqua vero non, et ideo ista negligencia de aqua maior est et maiori pena emendanda. Si quid de sanguine Dni super corporale ceciderit, recindendum est illud corporale et in loco reliquiarum seruandum. Si palla altaris inde intincta fuerit, recindenda est illa particula et pro reliquiis seruanda. Si super casulam uel albam deguttat, similiter faciat. Si super quodcumque uestimentum, comburenda est pars illa et cinis in sacrario reponendus. Si vero in terram ceciderit, lingendus est ille siue lapis, siue lignum, siue terra et puluis in sacro loco reponendus. Porro si in ipso sanguine mus uel aranea uel aliquid tale ceciderit quod sine vomitu et periculo corporis sumi non possit, igne cremandum est et sanguis Dni sumatur ; illud tamen quod intus ceciderat prius debet in calice vino perfundi sepius quanto

caucius et diligencius fieri potest et illam ablucionem, si fieri potest, sacerdos sumat uel in sacro loco deponat. Postea illud animal super lauacrum comburatur. Quod si de corpore Christi super pallam altaris aliquid ceciderit uel super quodlibet uestimentum, non inciditur sed vino abluitur et a ministro sumitur illud vinum. Quod si corpus Dni infirmo datur, reiicitur, prout diligencius poterit recipiatur contrictum in calice si integrum non potest. Et si ex eo quod de ore alterius proiectum est resumi non potest, ponatur in pixide et in illo loco reliquiarum seruetur diligenter. Si super lignum uel lapidem ceciderit, modus supradictus teneatur. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam et linteamina que stilla tetigerit, tribus vicibus minister abluat subtus posito calice et aqua ablucionis sumatur et iuxta altare recondatur.

Item districte precipimus sacerdotibus curam habentibus animarum sub pena excommunicacionis et LX sol. vt quilibet sacerdos ista precepta synodi secum habeat scripta et semper deferat secum ad synodum subsequentem.

Item statuimus et precipimus vt quilibet minister ecclesie calicem et libros et ornamenta altaris munda et alba studeant habere decenter et sufficienter. Et qui per culpam uel negligenciam habere hoc neglexerit, puniatur et dicta ornamenta ter in anno mundant et lauent et hoc sub pena XX sol.

Item oleum sanctum et crisma et corpus Christi diligenter custodiatur et cum reuerencia tractent et portent ad infirmos. Et hinc ad VIII dies sub sera de cetero caueant sub pena XX sol. Hoc idem volumus de fontibus sub eadem pena seruari.

Item vestes sacras, libros et thesauros, terras et redditus ecclesiarum nemo vendat uel impignoret uel in feodum concedat sine licencia dni episcopi.

Item a quolibet prelato denuncietur publice mandatum concilii generalis de accipienda penitencia, et quicumque saltem

in quadragesima penitenciam non acceperit, corpus Dni non detur ei in Pasca nec ecclesiastica sepultura in morte.

Item districte precipimus ne aliquis presumat ponere fenum, paleam, archam aut segetes in ecclesia, nisi forte in tempore guerre.

Item statuimus quod nemo cimisteria seu quelibet alia sacrata loca sibi vendicare uel appropriare presumat, alioquin excommunicetur.

Item statuimus atque precipimus quod nullus sacerdos parochianos alterius diebus dominicis et festiuis recipiat ad diuina, quum non licet falcem mittere ad messem alienam, et prelatus moneat populum sibi commissum ad decimas persoluendas. Ille qui contrarium fecerit penam X sol. incurrat, quam nisi soluerit dno episcopo infra mensem, existet interdicto sic subpositus ecclesiastico.

Item quilibet sacerdos Primam dicat ante missam et totum officium matutinale sub pena predicta.

Item statuimus quilibet uel quicumque scienter in excommunicacione perstiterit per annum et plus, saluis aliis aggrauacionibus que ante fieri debent, eius excommunicacio totaliter aggreuetur, scilicet confitentur (l. confiscentur) eius bona uel eciam nomine pene a quolibet occupentur, et feoda, si que habent, ad dnos feodorum libere reuertantur ne (l. nec) aliquis teneatur eis in aliquo respendere.

Item statuimus et precipimus firmiter obseruare ne aliquis pro ecclesiastico beneficio uel ordine suscipiendo donare uel promittere quidquam presumat quod animum suscipientis possit euertere uel mutare, uel propter quod ipse petens credat ipsum sibi magis facilem inuenire; quod qui fecerit sciat se ab officio uel ordine sic suscepto sine spe restitucionis perpetuo deponendum.

Item precipimus omnibus curam animarum habentibus et aliis in sacris ordinibus constitutis ne secum in domibus aut

alibi mulieres suspectas teneant, unde possit oriri scandalum.

Item quod nullus clericus frequentet tabernas et hoc volumus obseruari sub pena X sol.

Item districte precipimus vniuersis clericis tam maioribus quam minoribus, tam canonicis quam aliis ecclesiastica beneficia habentibus vt possessiones, elemosinas perpetuas et redditus siue census beneficiorum suorum cum omnibus vsagiis eorumdem diligenter in pergameno conscribant infra annum, vt per talem scripturam bona ecclesiastica perpetue memorie commendentur. Si quis vero clericorum supradictorum infra annum scribere contempserit scripta habeat, penam LX sol. incurrat, quam nisi soluerit infra mensem, eum tunc ecclesiastico supponimus interdicto.

Item precipimus quod nullus sacerdos intromittat se de causis matrimonialibus, sed quam cito orta fuerit aliqua discordia super matrimonio, statim sacerdotes mittant ad episcopum uel officialem eius, vt ipse eam discuciat, examinet et terminet consilio peritorum; solius est enim episcopi causas terminare matrimoniales.

Item precipimus eisdem sacerdotibus ne de aliquibus aliis causis seu causa (se) intromittant, et si secus fecerint penam incurrant LX sol.

Item precipimus vt omnes curam animarum habentes in suis residenciam personalem faciant ecclesiis, ne per eorum absenciam redditus ecclesiarum suarum minuantur et pereant et ne elemosine subtrahantur ecclesiis, nisi fuerint in scolis de licencia nostra. Transgressores vero huiusmodi precepti ecclesiastico interdicto subponimus et in hiis scriptis.

Item districte precipimus ecclesiarum rectoribus vniuersis sub anathematis interminacione vt vicarios temporales siue perpetuos secum nequaquam recipiant, nisi prius prestito iuramento quod ecclesie fideliter seruiant pariter et persone, infirmos primo et principaliter inducendo ad elemosinas cen-

suales uel alias ecclesiis erogandas, nec eciam receptos vicarios permittant aliquatenus ministrare, nisi prius in forma predicta prestiterint veris pastoribus iuramentum et episcopo, sicut supra dictum est, ipso vicario presentato et ab ipso recepto.

Item prohibemus ab Aduentu Dni vsque ad octauam Epiphanie et a Septuagesima vsque ad octauam Pasce et a tribus diebus ante Ascensionem Dni vsque ad festum Trinitatis nupcias celebrare seu nubentibus aliquam solempnitatem ecclesiasticam exhibere; contemptores vero prohibicionis huius gravi pena (se) nouerint puniendos.

Item prohibemus ne matrimoniis contrahendis aliqua persona ecclesiastica intersit uel auctoritatem impendat, nisi prius in ecclesia publice bannis editis tribus diebus dominicis seu festiuis ; et si quis sciuerit impedimentum contra matrimonium contrahendum in pena LX sol. proponat ; nec clandestinis desponsacionibus quoquo tempore presumat vestrum aliquis interesse, alioquin se suspensionem ab officio et penam LX sol. nouerit incursurum.

Item precipimus omnibus curatis vt penes se teneant et habeant oleum infirmorum, vt necessitate vrgente infirmis unctionem extremam valeant impertiri, docentes subditos vt cum adnumeretur VII ecclesiasticis sacramentis, ipsam unctionem summa deuocione suscipiant et requirant, quod secum cum viatico portent, si viderint expedire.

Item precipimus ne questores admittantur ad questas faciendas, cuiuscumque condicionis existant, nisi litteris nostris sub ipsius anni data sint muniti, vt omnis falsitatis amoueatur scrupulus.

Item precipimus vniuersis prioribus et ecclesiarum rectoribus vt ad celebracionem sancti synodi personaliter veniant nec per alios se valeant excusare. Volumus etenim presentem constitucionem vim competentis monicionis obtinere, contra quam si presumptum fuerit nos presumptores huiusmodi ab

execucione officii per annum integrum suspendimus in hiis scriptis, nisi ex causa racionabili et necessaria voluerit excusari, quam causam in dicta synodo per certum nuncium coram dno episcopo teneantur talem qualem dnus episcopus debeat merito acceptare.

Item vniuersis curatis et vicariis ecclesiarum sub pena interdicti districte precipimus vt cum aliqui diuersarum parrochiarum fuerint matrimonio copulandi, in vtraque parochia in qua conuersacionem habuerint, huiusmodi matrimonia solempniter publicentur secundum formam super hiis obseruatam, ne ex hoc sequatur periculum quod de clandestinis consueuit matrimoniis prouenire, sed ex eorum vicinis et consanguineis assurgat testimonium copula maritali qui tam consanguinitatis quam conuersacionis eorum noticiam habuerint.

Item precipimus curatis omnibus et vicariis vt publice denuncient in ecclesiis suis vt si quis aliqua bona ad ecclesiam Sedun. pertinencia sine licencia nostra detineat, ipsa infra Natale Dni nobis manifestare procuret, vsagia debita, census et placita, necnon et mobilia domorum predecessorum nostrorum uel aliqua ex bonis predictis, videlicet ex bonis Henrici, Rodolphi et Petri, et hanc denunciacionem faciant singulis diebus dominicis vsque ad dictum festum, intimantes eis quod nos iam alias in ipsos et alios scientes et consencientes litteras nostras excommunicacionis dedimus destinatas.

Item statuimus quod sacerdotes, dyaconi et subdyaconi ciuitatis nostre Sedun. cuiuscumque condicionis existant, in ciuitate Sedun. non sedeant publice per uicos cum mulieribus, cum ex hoc honor ecclesiasticus dehonestetur et scandalum sepe inter laycos generetur. Contrarium facientes penam LX sol. incurrant ipso facto, quam infra mensem teneantur soluere; quod nisi fecerint, eos tunc ecclesiastico supponimus interdicto.

Ceterum cum Sanctorum Patrum precipiant instituta vt bis in anno sancta synodus celebretur, autumpnali videlicet tempore et vernali, dies nobis prefigimus feriam sextam post festum beati Nicolai proximam, ac feriam quartam post octauam Pentecostes, ad quas personas vestras coram nobis ad celebracionem predictam faciendam annualiter presentetis, si penam vultis effugere contra contumaces huiusmodi provolgatam.

Item cum scriptum sit : *Multum valet deprecacio iusti assidua* [1], vos sacerdotes et quemlibet vestrum hortamur in Dno vt cum vos missas celebrare contingerit, orationem : *Dnus omnium pastor et rector*, pro nobis, vobis ac nostris subditis vniuersis dicatis, quum commode poteritis, nisi solempnitas vos excusat.

Item precipimus obseruari districte cum quis terram uel de terra Sedun. ecclesie occupauerit seu inuaserit uel pignorauerit et ipsa detineat occupata uel pignorata, vt ex quo id ad noticiam sacerdotum peruenerit non celebrentur ab eis diuina in toto districtu illius qui ipsam occupauerit uel pignorauerit, cuiuscumque condicionis existat, donec fuerit restitutum, nullis a nobis aliis litteris uel mandato expectato. Transgressores autem huius precepti et non adimplentes, ipsum uel ipsos excommunicacionis vinculo innodamus. Iniungentes vobis vniuersis et singulis curatis in hac sancta synodo existentibus vt antequam de ciuitate Sedun. recedatis, hoc statutum et preceptum scribatis uel scribi faciatis, ita quod ipsum penes vos scriptum habeatis cum aliis constitucionibus synodalibus in libro vestro manuali uel missali, ne per ignoranciam vos posse videamini excusare. Si quis autem vestrum hoc, vt premittitur, adimplere neglexerit, ipsum uel ipsos, si plures fuerint, ecclesiastico supponimus interdicto.

Item precipimus ac eciam statuimus vt omnes curati et singuli Sedun. dyocesis sigilla propria habeant et non habentes

[1] Jacob. V, 16.

ipsa habere procurent infra tres menses a tempore promocionis sue uel amissionis sigilli, alioquin penam LX sol. incurrant quam infra mensem postea soluere teneantur; nec litteras officiales nostrorum uel decanorum Sedun. denariis uel aliis sigillis ignotis presumant vlterius sigillare; et hoc eciam vicariis precipimus obseruari.

Item statuimus et ordinamus quod sacerdotes secum non habeant uel teneant mulieres de quibus sinistra suspicio possit haberi, sed a se ipsas prorsus amoueant infra VIII dies, ne inde populo scandalum generetur. In contrarium vero facientes uel facientem extra excommunicacionis sentenciam promulgamus et contrafacientes penam XX sol. incurrant erga nos.

Item cum caueatur nimie quod clerici edendi uel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinacionis necessitate compulsi, et alibi dicatur quod tabernas prorsus euitent, cuius iuris multi sacerdotes in ipsorum animarum periculum et scandalum plurimorum transgressores existunt, ex quorum transgressione honestas sancte Ecclesie non modicum deformatur, statuimus et ordinamus statuto irrefragabili quod omnes sacerdotes curati et non curati ciuitatis Sedun. eas tabernas causa edendi uel bibendi non ingrediantur nisi ex necessitate in itinere constituti. Tabernas autem intelligimus domos in quibus vinum venditur cum plateis iuxta positis, vt sic fraudibus quorumdam obuietur. In contrarium facientes uel facientem interdicti sentenciam promulgamus et nichilominus penam X sol. incurrant erga nos ipso facto.

Item statuimus ac insuper precipimus districte quod si quis sacerdotum uel clericorum sciuerit aliquem uel aliquos machinari contra nos et ecclesiam Sedun. quod cederet in dampnum et dedecus nostrum et ipsius ecclesie, illud nobis statim per litteras et certos nuncios studeant intimare, presertim cum vniuersi curati ex iuramento ad hoc regulariter teneantur.

Quod si non fecerint, presertim curati, ipsos decernimus esse periuros et fore ab omni ordine deponendos.

Item cum clerici illis primo teneantur obnoxii a quibus beneficia recognoscunt recepisse et intelleximus quosdam curatos et alios sacerdotes et clericos in sortem Dei vocatos qui sancte matri ecclesie non adherentes, sed pocius contrarientes eidem, verbo, opere, consilio et fauore contra nos et Sedun. ecclesiam sunt molliti, prout hoc anno certis experimentis nouimus ac a multis audiuimus fide dignis, ideoque prouide duximus statuendum vt nullus omnino curatus, sacerdos uel clericus talia de cetero audeat attemptare. Quod si presumpserint, transgressores huius statuti in hiis scriptis excommunicacionis vinculo innodamus, et si in sua malicia perstiterint nec respicere (l. resipiscere) curauerint ipsos priuabimus officio et beneficio sine misericordia et indignos ecclesiastica beneficia possidere.

1155

Vente faite par Jaquette du Palais à maître Nicolas Binfaz.

Sion, 25 mars 1300.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Jaqueta filia quondam Giroldi de Palacio, neptisque quondam Johannis de Palacio fratris dicti Giroldi, laudatione Martini Cloluys mariti mei, vendidi et finaui perpetue pro clamoribus meis persoluendis, pro decem lb. Maur., magistro Nicholao filio quondam Petri Bynfaz dyacono quicquid juris et rationis habebam uel habere expectabam in domibus, casalibus et horreo sitis in Palacio, juxta capellam beati Theodoli, ex vna parte, et juxta domum capellanie, ex altera, et in duobus viridariis quorum vnum situm est juxta dictam

domum, ex vna parte, et juxta ortos capituli Sedun., ex altera, et tendit vsque ad bastimentum, aliud situm est vltra bastimentum juxta plantatas dni episcopi. In quibus omnibus successi tanquam heres proximior et ab ipso Johanne in heredem constituta. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic uocantur : dnus Johannes de Daylleto canonicus Sedun., dnus Willelmus de Sancto Theodolo, dnus Borcardus de Palacio, sacerdotes, dnus Willelmus vicarius Sedun., Henricus de Eyuians clericus, Johannes de Venthonnaz, Willelmus dou Theyrdo, ciues Sedun., et Nicholaus de Aragnon clericus qui juratus, etc. Actum Seduni, VIII kl. aprilis, anno Dni millesimo trecentesimo, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1156

Amodiation de l'alpe de Mont-molli par Jocelin de Blandrate, major de Viége.

15 avril 1300.

Archives de Valère.

Anno dnice incarnationis millesimo CCC°, indicione XIII, die veneris XV intrante aprili, in burgo Vemenie, factum fuit instrumentum istud tale ut infra legitur : Dno comiti Joncellino magiori de Vesbia Darixius de Cruxinallo et Isolinus de Vallo de Vemenia salutem et quidquid possent seruicii et onoris. Relatione Antonii de Briga intelleximus de vobis bona noua quod vos voluistis actendere mercatum quem alias feceratis cum predicto Antonio, quare vobis mandamus quod ego Isolinus et predictus Darixius sumus socii in accipiendo vestram alpem Monti molli, sicuti alias fecimus, quare afirmamus mercatum quam fecistis cum predicto Antonio de Briga, hoc est pro sex lb. Morixinensium, et intendimus vobis dare tres lb.

Morix. ad Sanctum Gracianum in calendis mensis junii, quando bestie nostre iuerint super predictam alpem, et alie III lb. quando recedemus de dicta alpe. Et causa sic actendendi omnia nostra bona vobis obligamus. Item rogamus vos ut debeatis nobis censare dictam alpem a glaçerio superius, secundum consuetudinem ab hominibus de valle Soxa, ut ipsi non constringant bestie nostre ut non vadant ad pasculendum vsque ad glaçerium. Item rogamus vos ut habeatis vnum vestrum nuncium ad curtem Monti molli, quando recedemus de dicta alpe, cui possemus dare solutionem vestram de dicta alpe, qui habeat vestras literas ad ascendendum. Mitemus bene vobis de carta vestra; non curamus dum habeamus vestram literam. Ego Isolinus notarius hanc cartam tradidi, rogaui et scripsi et subscripsi.

Au revers : Carta pro ficto Montis molli.

1157

Jean, major des Agettes, vend un cens de 4 sols à Guillaume de la Foschieri.

Sion, 19 mai 1300.

Archives de Valère.

Notum sit quod ego Johannes maior de Lagiety, laudatione Willermete vxoris mee, pueri mei erant impuberes, vendidi et finaui perpetue pro XXXVII sol. Maur. Willermo de la Foschieri dEruens IIII^or sol. redditus in quibus michi tenebatur ratione mistralie quam tenebam jure hereditario a viro nobili Hugone de Rarognia domicello, quos IIII^or sol. debebat dictus Willermus pro vsagiis que habentur in feodum a dicto Hugone, et debentur ratione meneydarum II sol. in natali Dni et alii duo sol. debentur in Penthecoste ratione de ressat, de quibus idem

Willermus est responsor et potest, ut asserit idem venditor, recuperare dictus Willermus duplum dictarum meneydarum et resset a comparticibus feodatariorum suorum, et dictus Hugo confirmauit et laudauit, prout in quadam littera sigillo dicti Hugonis dni feodi sigillata ego cancellarius vidi plenius contineri. Inde rogaui cartam fieri, etc. Actum Seduni, XIIII kl. junii, anno Dni M°CCC°, Alberto regnante, Bonefacio episcopante. — Et ut partes confitebantur et littera dicti Hugonis testificabatur, dicta concordia et venditio facta fuit anno Dni M°CC°LXXIX°.

1158

Donation de Jaquette du Palais à la chapelle neuve de la maladrerie de Sion.

Sion, 1301, 10 mars.

Archives de Valère.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod ego Jaqueta filia quondam Giroldi de Palatio dedi pro Deo et remedio anime mee et predecessorum meorum noue capelle maladerie Sedun., post decessum Martini Cloluys mariti mei, pratum meum situm in Campo Sicco, iuxta Rodanum, vna cum insula sita ibidem ; ita quod rector capelle soluat et reddat annuatim confratrie Sancti Spiritus Sedun. duos fischelinos siliginis redditus de prato et insula supradictis. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : dnus Marcus, dnus Nicholaus rector maladerie Sedun., etc. et Nicholaus de Aregnon clericus qui, etc. Actum apud Sedunum, VI idus marcii, anno Dni M°CCC° primo, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1159

Sentence arbitrale entre Guigone, veuve de Jacques d'Anniviers, chevalier, d'une part, et Girold de Villeneuve et Jaquet de La Tour de Granges, d'autre part.

Sion, 1301, 30 mai.

Archives cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun. p. 105.

Notum, etc., quod cum discordia uerteretur inter Vuillelmum de Aniuesio domicellum, procuratorem et procuratorio nomine nobilis dne dne Guigone relicte dni Jacobi de Aniuesio militis et liberorum suorum, ex vna parte, et Giroldum filium quondam Anthonii de Villanoua et Jaquetum de Turre de Granges, ex altera, super eo quod dicti G. et Jaquetus petebant a dicto Willelmo nomine dicte dne Guigone et liberorum dicti dni Jacobi[1]... ab ipsa dna et liberis hominium ligium quod debet dnus Ludouicus de Aniuesio miles albergamento dicti dni Jacobi, quod hominium dicebant ad eos pertinere vnacum feudo ipsius homagii, quod feudum existit apud Aniuesium et en Vernamisi ac alibi. Item petebant homines et res quos et quas tenet idem Ludouicus apud Mouyot, item decimam de Vila et quamdam vineam sitam in territorio de Villa. Item petebant apud Chaler et apud Ressy hec, scilicet feudum Willelmi Fort de Ressy et plures res alias in ipsis locis sitas, item apud Granges quasdam domos et quedam casamenta et casalia, item apud Gronam vnum iuger campi et vineam dictam Cochart, item quamdam fidelitatem et quedam vsagia quam et que dicebant sibi debere ab albergamento de Aniuesio. Quas peticiones dictus Willelmus nomine quo supra negabat fore veras. Item super eo quod dictus Willelmus petebat a dictis

[1] Un mot illisible.

G. et Jaqueto quinquaginta lb. Maur. in quibus quondam dnus P. de Turre miles predecessor ipsorum tenebatur quondam dicto dno Jacobo, item VI sextaria vini censualia ratione quondam Pomete de Pensey, item dictam vineam de Cochar. Que VI sextaria vini et quam vineam asserebat ad dictam dnam pertinere debere. Quam peticionem dicti G. et Ja. negabant fore veram. Tandem dicte partes de omnibus peticionibus supradictis se compromiserunt in arbitros, videlicet in dnum N. curatum de Bacio, dnum Willelmum curatum de Aniuesio et Franciscum Quarterii, promittentes, etc. Qui quidem arbitri pronunciauerunt in hunc modum, videlicet quod dicta dna Guigona et liberi dicti dni Jacobi habeant imperpetuum et possideant pacifice omnia infrascripta, videlicet dictum homagium ligium quod debet dictus dnus Ludouicus de Aniuesio miles albergamento dicti dni Jacobi vna cum fondo dicti homagii, quod feudum existit apud Aniuesium et apud Vernamisi et alibi, item homines et res quos et quas tenet idem dnus Ludouicus apud Mouyot, item decimam de Vila et quamdam vineam sitam in territorio de Vila, item illud quod petebant predicti G. et Ja. apud Chaler et apud Ressy, scilicet feudum Willelmi Fort de Ressy, et res alias in ipsis locis de Chaler et de Ressi sitas, item quasdam domos et quedam casamenta et casalia sita apud Granges, quas et que petebant G. et Ja. memorati, item vnum iuger campi situm apud Grona, item vniuersas res et possessiones alias quas petebant aut petere possent in futurum iidem G. et Ja. a dna predicta et liberis dni Jacobi memorati. Item pronunciauerunt quod dicti G. et Jacobus habeant perpetue dictam vineam de Cochart et dicta VI sextaria vini censualia et quod dictus Willelmus dictis G. et Ja. de dictis quinquaginta lb. quittacionem faciat. Qui quidem Willelmus quittauit L lb. memoratas. Item pronunciauerunt quod dictus Willelmus siue dicta dna G. pro bono pacis ac nomine transactionis omnium predictorum daret ipsis G. et Ja.

XII lb. Maur., quod soluit idem Willelmus. Quibus sic pronunciatis ipsi W. G. et Ja., auditis materna lingua, nominibus quibus supra laudauerunt et approbauerunt omnia supra pronunciata. Uniuersa autem suprascripta dicta dna G., Jo. et Agnes eius liberi in manu dni Willelmi curati de Aniuesio iurati cancellarie Sedun. et Ysabella mater dicti G., Willelmus, Henricus, Beatrix et Nichola liberi predicti Giroldi, reliqui pueri erant impuberes, in manu Petri de Friburgo iurati cancell. Sedun. laudauerunt et approbauerunt, promittentes per juramenta, etc. Testes: Willelmus senescalcus Sedun. miles, dnus P. de Magi presbiter, Benedictus de Malacuria, G. filius quondam Willelmi Dauaul, dnus N. caratus de Olono, etc. et P. de Friburgo qui hanc cartam leuauit, Seduni, die martis post dominicam de Trinitate, anno Dni M°CCC° primo.

1160

Jean de Vinéis détermine l'usufruit dont jouira son épouse dans le cas où il mourra avant elle.

Sion, 1301, 13 juin.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun. p. 85.

Notum, etc., quod Johannes de Vineis domicellus, laudacione Agnetis matris sue, Nantermi et Aymonis filiorum suorum eiectorum ab omni auoeria et tutela, assignauit seu assetauit Perrete vxori sue, filie quondam dni Jacobi de Aniuesio militis, XX^ti lb. Maur. annuatim pro vsufructu suo percipiendo ad vitam suam tantum, si contingeret ipsum Johannem decedere ante dictam Perretam sine herede ab ipsis coniugibus communiter procreato, aut si contingeret dictum heredem decedere post mortem ipsius Johannis, antequam dicta Perreta decederet, quia sic actum est inter partes, super omnia bona sua apud Aragnon et a Monte Dei superius, item

super vnam vineam sex putatorum sitam apud Narres, loco qui dicitur ad Vineas, subtus domum predicti Johannis et iuxta vineam Warneri de Vineis, item super vnam vineam octo putatorum et viridarium ibi contiguum, sita subtus dictam domum et iuxta vineam Gonradi de Vineis. Item actum est quod dicta Perreta possit vtifrui bonis dicti Johannis secundum consuetudinem ab aqua que dicitur Raspilly inferius obseruatam, si contingeret ipsum Johannem decedere sine herede suscepto ab eadem Perreta, si ipsa mallet vtifrui dictis bonis quam percipere dictas XX lb. annuales, ratione vsufructus sui. Item assignauit dictus Johannes eidem Perrete LX lb. Maur. semel super pratum suum de la Massonna situm juxta Rodanum ex j parte et la Massonna ex altera .et iuxta iter publicum, quas LX lb. dictus Johannes habuit ex dote dicte Perrete et soluit creditoribus suis ad exonerationem communium debitorum hospicii sui. Hec autem omnia promiserunt Nantermus et Aymo predicti per juramenta sua perpetuo seruare. Testes: dni Johannes de Dailleto, Ebalus Hubodi, Anthonius frater eius, canonici Sedun., dnus Willelmus curatus de Aniuesio, W. de Sancto Mauricio clericus, Jo. comes de Vespia, Jo. Rodier, W. de Aniuesio, domicelli, Benedictus de Malacuria et Amedeus de Reyna, qui hanc cartem leuauit, Seduni, infra domum dicti Johannis de Vineis, idus junii, anno Dni M°CCC° primo, Alberto regnante, Bonefacio episcopante.

1161

Isabelle, dame de la Bâtia, veuve d'Aymon de Challant, ratifie l'accord conclu antérieurement entre le dit Aymon et Jean Clerc.

Granges, 1301, 19 juin.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun. f. 86.

* Cum discordia verteretur inter nobilem dnam Ysabellam



dnam de la Bastia, relictam Aymonis de Chalant domicelli [1], ex j parte, et Johannem dictum Cler ex Vercorens, ex altera, super pluribus querelis quas petebat dicta dna a dicto Johanne nomine albergamenti et bonorum Anthonie filie quondam Vldrici de Saxo de Ressy, tandem dicta discordia sopita est in hunc modum, quod dicta dna laudauit omnes concordias olim factas inter dictum Aymonem maritum suum et dictum Johannem ; insuper laudauit vendicionem quam fecit dicta Anthonia Johanni lo Cler predicto. Et pro hac concordia et laudacione dicta dna recepit centum sol. Maur. Testes : dnus Ebalus sacrista ecclesie Sedun., W. de Aniuesio domicellus, etc. et dnus P. curatus de Magi, qui hanc cartam leuauit, apud Granges, XIII kl. julii, anno Dni M°CCC° primo, Alberto regnante, Bonefacio episcopante.

1162

Guillaume, sénéchal de Sion, fonde et dote un autel dans la cathédrale de Sion, en l'honneur de saint Antoine et de saint Maurice et de ses compagnons.

Sion, 1301, 19 août.

Archives de Valère, T, 222.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod dnus Willermus senescalcus Sedun. in eius testamento ultimo quoddam altare construxit et dotauit, dicens inter cetera legata in hunc modum : Item pro dote cuiusdam altaris construendi infra ecclesiam beate Marie Sedun. inferiorem, in honore beati Anthonii et sancti Mauricii sociorumque eius, do et lego pro remedio

[1] Isabelle, fille unique du donzel Jacques Albi, de Granges, épousa en premières noces Rodolphe, dont le nom de famille n'est pas connu, en secondes Aymon de Challant, vicomte d'Aoste, et en troisièmes Richard de Villette.

anime mee centum solidos Maur. annuales, videlicet super virgultum situm subtus virgulta Sedun., quod tenet Vldricus filius Henrici Aleynio, viginti quatuor sol. Maur. quos inde debet per annum, item super virgultum quod teneo contiguum alteri virgulto predicto viginti quatuor sol. Maur. per annum, item viginti quatuor sol. Maur. redditus quos michi debent heredes matricularii de Bramois, item duos modios siliginis censuales quos michi debet Ansermeta vxor Clauelli de Bramois. De quo eciam altari sic ordino et dispono quod Jaquemetus filius meus et eius heredes legitimi ab ipso descendentes usque ad tercium heredem inclusiue conferendi ipsum altare liberam habeant potestatem. Post decessum uero dicti Jaquemeti et tercii eius heredis, ut dictum est, collacio ipsius altaris pertineat ad capitulum Sedun., ita tamen quod dictum capitulum conferendi dictum altare ex tunc in antea potestatem habeat sine diminucione aliqua redditunm per me et quondam vxorem meam dnam Eliquam dicto altari assignatorum, et dicto Jacobo dare bonam cartam cancellarie super istis, scilicet quod si contingeret illos de capitulo aliquid de redditibus assignatis altari predicto retinere uel sibi appropriare, ex tunc in antea dictam collacionem amittant perpetuo et ad heredes seu successores dicti Jaquemeti plenarie deuoluatur. Et hec fiant modo et forma superius contentis, si placet dicto capitulo quod negocium... ut superius est distinctum. Inde rogauit cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : frater Rodulphus conuersus Altecriste, Johannes Boneti clericus, Benedictus de Malacuria, Perrinus de Olono, Ansermus de Mar, ciues Sedun., Johannodus de Yuorna, Roletus de Torrente de Sancto Germano et Amedeus de Reyna clericus, qui, etc. Cui si quis, etc. Actum Seduni, in domo dicti dni senescalci, XIII kl. septembris, anno Dni M°CCC° primo.

(Levata 2 die aprilis 1379, Edduardo de Sabaudia episcopante.)



1163

Accord entre Guigone, veuve de Jacques d'Anniviers, chevalier, et Violin major d'Ernen, au sujet de la majorie de ce lieu.

Sion, 1301, 19 août.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancellarie Sedun., p. 85. — *Furrer*, Urkunden, pag. 98, (Extrait.)

*Notum, etc. quod cum discordia uerteretur inter nobilem mulierem dnam Guigonam relictam dni Jacobi de Aniuesio militis, nomine suo et nomine tutorio Johannis filii sui, ex vna parte, et Violinum maiorem de Aragnon, Petrum, Johannem et Violinum filios suos, ex altera, super eo quod dicta dna petebat a dicto Violino et filiis suis IIIIor lb. et X sol. Maur. redditus, in quibus tenebantur dicte dne ex vi concordie olim facte inter quondam dnum Jacobum de Aniuesio predictum et dictum Violinum maiorem de Aragnon, ex eo quod dictus dnus Jacobus petebat in albergamento de Mulimbach maioriam de Aragnon cum omni jure et pertinenciis suis. Tandem dicta discordia sopita est in hunc modum, quod dictus Violinus et eius filii tenentur soluere dicte dne Guigone IIIIor lb. et X sol. Maur. redditus annuatim, quem redditum assignauerunt dictus Violinus et filii sui predicte dne super XVIII modiis auene censualibus quos tenentur congregare in loco qui dicitur Rutingue. Dicta uero dna Guigona et Johannes filius eius predictus et eciam Agnes filia eiusdem dne quictauerunt et cesserunt penitus dicto Violino et eius filiis et eorum heredibus dictam maioriam dAragnon et quicquid habebant in eadem, saluis tamen octo lb. Maur., quas dictus Violinus et eius filii debent et promiserunt soluere dicte dne in festo beati Martini proximo venturo pro retentis. Testes in facto dicti Violini fuerunt dnus

Thomas de Gluringuen miles, Johannes de Vineis, Petrus Fontana, domicelli, Jo. de Seduna subdyaconus, etc., in laudatione uero dicte dne Guigone et liberorum predictorum et in expedicione eorumdem, quam recepit dnus Willelmus curatus de Aniuesio apud Aniuesium, fuerunt testes Willelmus de Aniuesio domicellus, etc., et dnus P. curatus de Magy, qui hanc cartam leuauit quo ad factum et expedicionem dicti Violini et eius filiorum, apud Sedunum, in capella beati Theodoli, XV kl. septembris, anno Dni M°CCC° primo, Alberto regnante, Bonefacio episcopante. Hec autem omnia predicta laudauit et ratificauit dnus Bonifacius Sedun. episcopus, apud Turbilionem, presentibus testibus Willelmo vicario de Raronia, Johanne de Vineis, Francisco de Sasson, Willelmo de Aniuesio, Giroldo Daual de Syrro, domicellis, XIIII kl. septembris, anno quo supra.

1164

Accord entre Nantelme d'Ayent et sa tante Perrette.

Sion, 1301, 2 septembre.

Archives de la famille de Torrenté, Copia litterarum de Ayent, f. xvj.

* Anno M°CCC° primo, indicione XIIII, IIII nonas septembris, in ciuitate Seduni, infra domum capellanie, Nantermus dAyent domicellus, ex vna parte, et Perreta amita ipsius Nantermi, ex altera, et inter ipsas partes, ut asserebant, videlicet inter ipsum Nantermum nomine suo et Amedei fratris sui absentis, ex vna parte, discordia verteretur, et dictam Perretam, ex altera, super mutuis peticionibus, videlicet super tercia parte bonorum et hereditatis dicte Perrete, quam petebat dictus Nantermus, nomine quo supra, asserens quod ipsam terciam partem dederat olim ipsa Perreta Margarete matri ipsius Nantermi, dicta vero Perreta petebat eamdem terciam hereditatis

sue, dicens quod dicta Margareta soror sua in eius vltima voluntate refudit et dedit eidem Perrete dictam terciam partem. Tandem dicte partes venerunt ad pacem in hunc modum, quod dicta Perreta cessit dicto Nantermo quicquid ipse Nantermus habuit hactenus de bonis ipsius Perrete; item dedit tres fischilinos siliginis censuales. Dictus vero Nantermus cessit dicte Perrete dictam donationem tercie partis predicte; item dedit IIII^or lb. Maur. eidem Perrete. Item actum est quod si dicta Perreta sine herede legitimo de suo corpore descendente decederet, dicta tercia pars hereditatis sue ad dictum Nantermum deuoluatur. Testes: P. dictus maior de Herementia, etc.

1165

Jean Rodier, donzel, vend une vigne et un pré à Jacques Buos.

Naterr, 1301, 18 septembre.

Archives de Valère, Registrum cancellarie Sedun.

Notum, etc., quod ego Johannes dictus Rodier de Narres domicellus, laudatione dni B. Sedun. episcopi, capituli Sedun., Perrete vxoris mee, Agnetis et Francisce filiarum mearum, vendidi pro centum et decem lb. Maur. michi solutis et pro XX sol. seruicii et XL sol. placiti Jacobo filio quondam Lodoyci Buos de Graniols, maiori de Morgia, vineam apud Morgiam, que fuerat quondam Marquardi de Morgia militis, sitam subtus aquam cui dicitur der Bak, et pratum meum Lenguimatta, inter Rodanum et stratam publicam, sub villa de Morgia, qua itur versus Narres, et grangiam in eodem prato cum eius casali; quod pratum tendit vsque ad den Bak. Testes: dnus Vldricus de Daylleto can. Sedun., etc. Apud Narres, in castro de Saxo, XIIII kl. octobris, anno Dni M°CCC° primo.

1166

Amédée, comte de Savoie, prend sous sa protection l'hospice du Mont-Joux.

Aoste, 1301, 20 septembre.

Archives de l'hospice du Grand Saint-Bernard, copie du xvii° s.

Nos Amedeus, comes Sabaudie, vniuersis presentibus et futuris presentes litteras inspecturis rei geste noticiam cum salute. Cum domus Montisiouis, prout opera misericordie testantur et perhibent, sit pauperum refrigerium et summi Regis palacium, nos imitantes vestigia predecessorum nostrorum qui prefatam domum non solum pietatis visceribus decreuerunt protegere, verum etiam eterne retributionis intuitu redditibus et aliis charitatis operibus ampliare, tam memoratam domum Montisiouis quam ceteras domos, tam in valle Augustensi, quam infra montes, quam in toto nostro comitatu eidem subiectas cum omnibus appendentiis et pertinentiis suis, tam in rebus quam in personis, sub clipeo nostre protectionis et deffensionis recipimus et presidium nostrum pariter et subsidium impendere promittimus et in Dno feliciter pollicemus. Addicimus propterea vt quicumque de cetero, quàmdiu prepositus Montisiouis uel domorum predictarum rectores coram nobis, si presentes fuerimus vel, si presentes non essemus, ubi debuerunt, juri parere voluerint, prenominatam domum tam in capite quam in membris molestare presumpserit, non solum indignationem nostram et iram sed etiam penes nos penam quinquaginta marcharum puri argenti se nouerit incursurum. Et ad maiorem firmitatem habendam in posterum hiis presentibus literis sigillum nostrum jussimus apponendum. Datum in ciuitate Auguste, die XX mensis septembris, anno Dni M°CCC° primo.



1167

Jean, comte de Viége et vidomne de Conches, renonce aux poursuites contre ceux qui avaient attaqué l'évêque Rodolphe.

1301, 4 octobre.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Johannes comes de Vespia, vicednus a Monte Dei superius, omnibus mansuariis et alibi commorantibus dimisit omnes querelas et inquietationes quas habere potest pro insultu facto super ven. D. Rodulphum (sic) episcopum. 1301, 4 nonas octobris.

1168

Béatrice Soquista vend la *feysanda* d'une vigne.

Sion, 11 octobre 1301.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Beatrix dicta Soquista, laudatione Willi mariti mei, vendidi dno Jacobo de Nouilla canonico Sedun. la feysanda [1] vnius vinee site en Bouson. Actum Seduni, V idus octobris, anno Dni M°CCC° primo, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1169

Accord entre Isabelle de la Bâtia de Granges et Blanchod du Cuson au sujet de la dîme de Vercorin.

Granges, 1301, 20 novembre.

Archives cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 87.

* Notum, etc. quod cum discordia verteretur inter nobilem dnam Ysabellam dnam de la Bastia de Granges, ex j parte, et

[1] Feysenda seu cultura vinee, dans un acte de l'année 1325.

Blanchodum dol Cuson de Vercorens, nomine suo et comparticipum suorum, ex altera, super eo quod dicta dna petebat a dicto Blanchodo homagium ligium et plura alia vsagia ratione trium parcium tocius decime parrochie de Vercorens, quod homagium cum vsagiis dictus Blanchodus negabat penitus se debere. Tandem dicta discordia sedata est in hunc modum, quod dicta Ysabella, filia sua impuber erat, promisit ferre garenciam dicto Blanchodo et eius comparticipibus contra omnes ratione dicte decime ab omni alia exactione vsagiorum pro vsagiis infrascriptis eidem Ysabelle faciendis, videlicet pro X modiis siliginis sicce censualibus de blado ipsius decime, ad mensuram de Vercorens, soluendis ibidem annuatim, et pro XVI fisch. ordei sicci et IIII fisch. frumenti sicci et IIII^or fisch. fabarum siccarum, ad eandem mensuram, annis singulis, et pro II sol. Maur. seruicii et IIII sol. placiti et pro tallia annis alternis ad misericordiam ipsius dne, et eciam pro LX sol. Maur. eidem dne pro bono pacis et concordie persolutis. Pro quibus dicta dna quittauit penitus predicto Blanchodo omnia alia vsagia et homagium predictum. Testes : W. de Aniuesio domicellus, Willermodus de la Bastia, etc. et dnus Março curatus de Grona, qui, etc. Actum apud la Bastia de Granges, XII kl. decembris, anno Dni M^oCCC^o primo, Alberto regnante, Bonefacio episcopante.

1170

Traité de paix entre Amédée V, comte de Savoie, et Boniface, évêque de Sion.

Près de la Morge, 1301, 20 décembre.

Archives du canton du Vallais, volume intitulé : Traités entre le Vallais et la Savoie, f. 40 verso. — *Furrer*, Urkunden, p. 98. (Extrait.)

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod cum discordia nuper orta esset inter illustrissimum virum dnum Amedeum



comitem (Sabaudie), homines, valitores, fautores et coadiutores suos, ex vna, et reuerendum in Christo patrem dnum Bonifacium Dei gracia episcopum Sedun., nomine suo et ecclesie Sedun., ac homines suos et illos de terra sua, ex altera, super incendiis, damnis datis et diuersis inimiciciis hinc inde illatis tam in personis quam in rebus, tandem prefati dnus comes et dnus episcopus saniori ducti consilio, cum aliter bono modo pax reformari non posset inter ipsos, predicta damna, incendia, iniurias, offensiones quascumque vsque ad presentem diem quocunque modo hinc inde illatas et illata, pro se et suis hominibus, vallitoribus et adiutoribus, vicissim remiserunt et penitus quittauerunt. Ad hec voluerunt et expresse consenserunt prefati dnus comes et dnus episcopus quod conuentiones olim inite inter ecclesiam Sedun. tempore reuerendi in Christo patris dni Landrici tunc episcopi ex vna parte, et excellentem virum dnum Thomam tunc comitem Sabaudie, prout in litera super ipsis conuentionibus facta, cuius tenor inferius subscribitur, expresse, sint in suo robore, perseuerent et inuiolabiliter obseruentur vnacum omnibus aliis conuentionibus vsque ad presentem diem initis inter ecclesiam Sedun. et comites Sabaudie, de quibus constare posset per litteras episcoporum sigillis et comitum vel aliis sigillis autenticis sigillatas, et preter eas et vnacum ipsis promisit idem dnus episcopus, presentibus et consentientibus capitulo suo et hominibus de terra sua propter hoc specialiter conuocatis, iuuare in vita sua vsque ad aquam que vulgariter dicitur Arua fluentem prope ciuitatem Geben., iuxta modum olim habitum et conuentum per ipsum dnum Landricum quondam episcopum Sedun. et predictum dnum Thomam, vsque ad Aque Frigide riuum per omnia prout in ipsis literis predictis conuentio plenius explicatur. Que omnia et singula suprascripta predictus D. episcopus sacrosanctis euangeliis coram se positis, ac idem dnus comes ipsis manualiter tactis promiserunt et iurauerunt inuiolabiliter obseruare

et se curaturos et facturos obseruari. Tenor vero predictarum literarum est talis. (Voir tom. I, pag. 241.) In quorum omnium testimonium prefatus dnus comes pro se et heredibus suis et dictus dnus episcopus ac capitulum Sedun. nominibus quibus supra sigilla sua duxerunt presentibus apponenda ad maiorem roboris firmitatem. Datum et actum in pratis prope Morgiam subtus Contegium, presentibus dno Guyrardo de Orons decano Valerie, Johanne decano Sedun., Johanne de Dignico priore de Estuel, Rudolpho de Montemaiori, Aymone de Salanoua, Bonifacio de Sarro, Hudrico Daylleto, Wilhelmo de Orons, canonicis Sedun., Richardo de Pontevitreo, Borcardo de Fontibus, militibus, Humberto de Salla legum professore, Julliano Musandi, Johanne de Romano monasterio canonico Sedun., Joselmo maiore de Vespia, Johanne Comitis, Johanne de Vineis, Johanne Magni de Vespia, Hudrico de Sirro domicello et pluribus aliis, decimo tercio calendas januarii, anno millesimo tercentesimo primo. Ita est per copiam facta diligenti collatione ad ipsum originale cum Anthonio Suaueti clerico infrascripto.

Per me Em^dum Girardi
et Anthonium Suaueti.

1171

Amédée V, comte de Savoie, défend à ses officiers du diocèse de Sion de troubler la juridiction de cette église. Le comte Edouard renouvelle ensuite la même défense.

Sion, 1301, 21 décembre. — Chambéry, 1324, 4 juin.

Archives de Valère, D, 29, copie du XIVe siècle.

Amedeus comes Sabaudie dilectis suis balliuis, judici et vniuersis castellanis, salteris, mistralibus et aliis officialibus nos-

tris in dyocesi Sedun. constitutis, qui nunc sunt uel qui pro tempore fuerint, salutem et dilectionem sinceram. Vobis vniuersis et singulis precipiendo mandamus quatenus juridicionem ecclesie Sedun., officialis, decanorum ac eciam cancellariam capituli ecclesie memorate in aliquo casu ad dictam ecclesiam, officialem et decanos, siue cancellariam pertinentem, in sancta synodo seu aliquocumque modo minime perturbetis, nec per vos seu per alium turbari aut minui aliquatenus permittatis, nec nuncios eorum litteras deferentes molestetis seu molestari ab aliquo permittatis, sed juridicionibus eorum tam in sanctis synodis quam in aliis casibus eos vti permittatis libere et quiete, necnon et cancellaria, prout omnibus predictis vti consueuerunt temporibus retroactis, volentes ut carte dicte cancellarie in judicio et extra judicium obtineant de cetero illam roboris firmitatem quam hactenus habuerunt. Datum Seduni, XII kl. januarii, anno Dni M°CCC° primo. Expeditum per dnum Johannem de Dugnye et dnum Humbertum de Sala judicem nostrum Chablassii. Datum ut supra.

Edduardus comes Sabaudie dilectis suis balliuis, judicibus, castellanis, salteris, mistralibus et aliis vniuersis et singulis officialibus nostris in Sedun. dyocesi constitutis, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, salutem et dilectionem sinceram. Vobis et vestrum cuilibet precipiendo mandamus quatenus mandatum inclite recordacionis carissimi genitoris nostri presentibus litteris annexum faciatis et obseruetis firmiter ac faciatis per vestros subditos firmiter obseruari, prout in ipso mandato plenius continetur. Eadem concedentes que prefatus genitor noster concessit eisdem. Datum Chamberiaci, cum apposicione sigilli nostri, IIII die mensis junii, anno Dni M°CCC° vicesimo quarto.

Reddantur littere portitori.

1172

Nantelme d'Ayent, donzel, donne une vigne en fief à Chabert, métral d'Ayent.

Saint-Romain, 1302 (1301), 28 décembre.

Copia litterarum de Ayent, f. xxv verso.

Notum, etc., quod ego Nantelmus de Ayent domicellus dedi in feodum, pro quinque den. seruicii et pro quinque sestariis musti puri soluendis in vindemiis de vindemia vinee infrascripte, Chaberto mistrali de Ayent quamdam peciam vinee apud Nouales, quam quondam emeram a Vullermo de Aula, nomine dotis Amphilisie vxoris mee, quam vineam eadem Amphelisa michi quittauit... Testes : Petrus et Aymo mistrales, fratres dicti Chaberti, Johannes Chaberti, Girodus Ruffi, Johannes Latomi et dnus Petrus curatus de Ayent, qui etc. Actum apud Sanctum Romanum, V kl. januarii, anno Dni M°CCC°II°.

1173

Legs de Jacques de Noville, chanoine de Sion, en faveur de la confrérie du Saint-Esprit, à Sion, et pour son anniversaire.

Valère, 1302, 18 janvier.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Jacobus de Novilla canonicus Sedun. infirmus corpore legaui inter ceteras ordinationes in meo testamento contentas hec legata. Item do et lego confratrie Sancti Spiritus Sedun. duodecim den. seruicii cum placito, quos michi debet Johannes de Venthonna super prato de Turre. Item lego pro anniuersario meo annuatim faciendo XV sol. Maur. annuos



super hominibus meis de Cordonna. Testes : magister Martinus canonicus Sedun., dnus Stephanus de Tallueres uicarius suus, dnus Nicholaus curatus de Sancto Leonardo, dnus Johannes Richos, dnus Martinus de Vex, sacerdotes, etc. Actum Valerie, in stupa dicti testatoris, XV kl. februarii, anno Dni M°CCC° secundo, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1174

François de Bex vend un cens à Pierre Esperlin.

Rarogne, 1302, 4 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Franciscus filius quondam Johannis de Bacio domicelli, laudatione Margarete vxoris sue, vendit pro X lb. Maur. sibi solutis Petro dicto Hesperlin de Balciedro III modios siliginis censuales, quos debet Giroldus filius quondam Petri Abtaz et eius consortes de feodo vocato Tazerolen zu Vstegen. Testes: Jacobus curatus de Rarognia, Marcus de Vespia domicellus. Datum apud Rarogniam, anno Dni M.CCC.II, II nonas februarii.

1175

Echange entre Boniface, évêque de Sion, et Martin Piscator de Sierre.

Sion, 1302, 23 mars.

Liber instrumentorum de Seduno, etc., f. 99.

* Notum, etc., quod nos Bonifacius Sedun. episcopus dedimus in concambium, pro X sol. Maur. intragii et pro vno capone seruicii et pro II caponibus nomine placiti, Martino Piscatori de Sirro duas fossoratas vinee apud Comera. Viceuersa dictus Martinus dedit nobis in concambium campos suos apud Tur-



billon vsque ad portam vltimam, excepto campo quem acquisiuimus a Waltero de Bodema; item dedit nobis I peciam campi in pede de Turbillion, versus Rodanum. Testes: dnus Nicolaus curatus de Vyla, Willermus vicarius de Rarognia, Nicholaus Rainaldi domicellus, etc. Actum Seduni, in curia episcopali, VIII kl. aprilis, anno Dni millesimo CCC°II°, Alberto regnante, ipso Bonifacio episcopante.

1176

Isabelle de la Bâtia de Granges cède ses hommes de Vercorin à l'évêque de Sion, en échange d'un fief.

Tourbillon, 1302, 30 mars.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 161.

* Ego Ysabella de la Bastia de Granges, filia mea impuber erat, dedi in concambio R. in Christo patri B. Sedun. episcopo, pro quodam homagio ligio in quo ego tenebar sibi et mense episcopali, omnes homines meos de Vercorens qui vulgaliter dicuntur Naamont. Testes: dnus Ebalus sacrista, Bonef. de Sarro canonicus Sedun., Jo. Boneti curatus de Sancto Germano, W. de la Bastia et dnus P. curatus de Magy, qui, etc. Datum apud Turbillionem, anno Dni M.CCC.II, III kl. aprilis.

1177

Dépositions de témoins qui attestent que la majorie de Viège appartient directement à l'évêque de Sion, en vertu de commise.

1302, 6 avril.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II. Ex libro Conches.

Nos officialis curie Sedun. Petrachinus filius Lotharii de Muroalto citaverit secundum regulam sive consuetudinem Val-

lesii, ut proximior in gradu heres Richardi de Aragnon et Rudolphi eiusdem nepotis, sibi petiit adiudicari majoriam de Aragnon quam tenent Violinus Rodis et eius filii; et Violinus traxit episcopum in judicio et episcopus citari fecit Petrachinum et eius matrem Mabiliam et omnes alios se gerentes pro herede. Et dictum pro parte episcopi quod Richardus et Rudolphus privati fuerint de dicta majoria, cum ut de feudo ceciderit in commissum, et quare comissa testes in perpetuam memoriam fuerunt producti, ex quibus probatur quod Richardus de Mulibach et Rudolphus eius nepos insultum fecerunt, in quo dictus episcopus fuit vulneratus in capite et in tibia et quidam de sua familia interfectus et multi alii vulnerati, et sunt circa anni viginti septem, et ab inde a sententia tenuerunt majoriam Jacobus de Vespia miles, deinde Stephanus de Saxo domicellus, inde Rudolphus de Platea de Aragnon, deinde Nicolaus de Glurigen, qui omnes tenuerunt dictam majoriam nomine dicti dni episcopi, et postmodum episcopus contulit dictam majoriam Wilhelmo moderno majori. Et secundus testis per omnia ut supra, hoc addito quod dictus Richardus dixit deponenti quod episcopus Rudolphus dederat ipsi in feudum homagii ligii dictam majoriam et quod paraverat cibum, quia honorifice volebat recipere episcopum Rudolphum, et in crastinum venit episcopus et facto prandio dictus Richardus et complices sui fecerunt insultum contra episcopum et vulneraverunt in capite et in tibia et interfecerunt Conradum de Stegue eius domicellum et plures vulneraverunt, et dictus Richardus fuit privatus dicto feudo et detentus in carcere. Deponunt testes quod viderint prestare fidelitatem per Richardum de majoria flexis genibus apud Morgiam, et quidem in principio regiminis dicti episcopi Rodulphi, quando primo ibat per diocesim recipere fidelitatem, et sunt ab hoc circa 29 anni, in vigilia B. Laurentii, die dominica qua cantatur evangelium *Jesus videns civitatem Jerusalem flevit*, et dictus Richardus fuit detentus in carceribus

usque ad obitum episcopi Rodulphi, et audivit dici quod privatus fuerit dicto feudo per sententiam. Item dictus testis dixit quod scit quod dictus Widolinus tenet dictam majoriam ex donatione ab episcopo Bonifacio. 7 testis Hugo de Raronia dicit ut supra et quod, cum suis gentibus obviam iret, vidit episcopum 3 vulneribus que sibi fecerant Richardus et complices. Et hoc est notorium per totam Vallesiam. Item dicit quod viderit Rodulphum, Petrum et Bonifacium episcopos tenere majoriam predictam per se vel per alium. Item quod Petrus episcopus obtinuit in curia sua contra ballivum regis Rodulphi Allemanie, videlicet contra Artemandum de Baldica et Rychardum de Corberiis, quod dicta majoria et omnia feuda ceciderant in commissum. Et dicta examina fuerunt scripto redacta ad perpetuam memoriam pro conservatione juris dicti D. episcopi et dicti Widolini et filiorum et heredum. 8 idus aprilis 1302.

1178

Franchises accordées par Amédée V, comte de Savoie, aux hommes de Conthey, Vétroz et Plan-Conthey.

Tour de Vevey, 7 mai 1302.

An. Jos. de Rivaz, Opera histor. XII, 427, ex archivio Contegii. — Archives du cant. de Fribourg, copie de la fin du XVI[e] siècle.

Le chanoine de Rivaz a fait sa copie d'après l'original, qu'il dit ne pas être en bon état. La copie de Fribourg, faite par Barthélemy Grangéri, notaire et bourgeois de Saint-Maurice et secrétaire de la cour de Conthey, contient des variantes que je donne en notes ; les mots imprimés en *italiques* dans le texte ne se trouvent pas dans la copie de Fribourg, ou y sont remplacés par ceux des notes.

Amedeus, comes Sabaudie et Maurienne, Chablasii dux et Auguste ac in Italia marchio, universis et singulis tam presentibus quam futuris salutem et memoriam rei geste. Apud eos



debuit [1] nostra magnificentia suam dexteram extendere liberalem, quorum fidelitatis et amoris apud nostros predecessores et nos sinceritatem opera manifestant. Igitur in animi nostri consideratione revolventes quod castrum, ville et parrochie Contegii, de Vertro et de Plano Contegio *sint* [2] in loco limitrofo terre nostre a parte Vallesii situata, propter quod *nunc et* [3] alias sepius inter nos et Vallesienses guerris et dissensionibus exortis homines et incole parrochiarum et locorum predictorum *deperditiones* [4], neces, vulnera, insultus, incendia et dampna alia quam plurima sustinuerunt, et *presentibus sustinent temporibus* [5] in bonis et personis, jura nostra [6] tanquam fideles subditi viriliter deffendentes continuis sudoribus, multis periculis *pertulisse*, personas *ipsas* [7] exponendo. Pro meritis cupientes *eosdem* [8], ut convenit, quantum est nobis possibile, *rependere* [9], ut de suis laboribus dignam retributionem *in bonis* consequantur, *ut* [10] quanto se nostre *largitatis* [11] senserint gratia communitos, tanto ad nostra et nostrorum servitia ferventius animentur, locaque predicta *incolarum et habitatorum* [12] nostre largitatis suffragio populata, suorum hostium, si quos habeant, quod absit, in posterum fortius valeant incursibus obviare, *tam presentibus quam* [13] successoribus et heredibus quibuscumque dictis hominibus utriusque sexus locorum Contegii, de Vertro *et* [14] Plano Contegio et parrochiarum eorumdem ac posteritatibus ipsorum damus et concedimus, ipsos animo benevolo volentes favoribus prosequi [15], *itaque* libertates, immunitates, privilegia, franchesias et alia que et prout inferius continentur, infra confines et limites infrascriptos et per modum hic descriptum, que in presenti pagina fecimus *inserere* [16], ne labilitate memorie perire valeant in futuro, prosequentibus

[1] decernit. — [2] sunt. — [3] nuper. — [4] depredationes. — [5] partibus contrariis incombunt. — [6] statum et honores. — [7] proprias. — [8] eisdem. — [9] respondere. — [10] et. — [11] largitionis. — [12] incolis et habitatoribus. — [13] pro nobis nostrisque. — [14] de. — [15] graciosis. — [16] inseri.

et procurantibus[1] huiusmodi dilectis fidelibus nostris Aymone d'Erdes domicello, Girardo de Daillon, Francisco de Antigniano Lombardo, clericis, et Johannodo *Marenschet*[2], burgensibus nostris Contegii pro se et aliis supradictis.

Et primo quod nullus burgensis *intra*[3] banna seu limites[4] franchesiarum capiatur per personam quamdiu paratus fuerit stare juri in curia Contegii et ydonee cavere, nisi fur *vel*[5] latro fuerit, vel furtum portans, proditor manifestus, vel homicida, seu sanguinem ad mortem faciens. In hoc autem non intelligantur persone officiariorum dni[6].

Item[7] qui percusserit aliquem infra banna et inde mors sequatur, rigor juris observetur. Si vero evaserit percussor[8], teneatur ad emendam et solvat dno pro pena sexaginta sol., vel in corpore puniatur aliter, si non *habeat*[9] unde solvat. Si vero ictus non fuerit mortalis et cum gladio seu manu armata factus fuerit, fiat emenda injuriam passo, et solvat dno pro banno sexaginta sol., nisi membri mutilatio intervenerit, in quo casu secundum jus puniatur. Et si forsan ille qui per alium invasus fuerit, defendendo corpus suum, invasorem percusserit, quoquomodo fuerit, ad nullam penam teneatur.

Item qui percusserit infra banna *et*[10] pugno sine sanguine soluat...[11] qui percusserit de pede viginti sol., qui percusserit de palma...[12] solvat dno pro banno LX sol., nisi sanguis levis et non atrox *ut* per nares vel alibi, in quo casu levitatis *parva*[13] pena sufficiat et semper fiat emenda injuriam passo.

Item si quis utriusque sexus, cuiuscumque status *et*[14] conditionis sit, juratus dicte ville Contegii, faciat testamentum et ordinationem de bonis suis mobilibus et immobilibus quibuscumque, ubicumque sint, qualescumque[15] faciat, eius ordinatio

[1] negotium. — [2] Mareschet. — [3] infra. — [4] dictarum. — [5] et. — [6] offendentes. — [7] quod. — [8] sibi. — [9] habet. — [10] de. — [11] dno pro banno decem sol. — [12] quinque sol; et in quocumque dictorum casuum sanguynis fuerit. — [13] prima. — [14] vel. — [15] qualitercumque.

et testamentum inviolabiter observetur, sive fecerit per donationem causa mortis, vel donatione inter vivos, seu per codicillos, seu *aliter*[1] simpliciter sine scriptura, coram testibus tamen, seu per formam testamenti, aut secundum jus alio modo quocumque.

Item si quis, cujuscumque status et conditionis *fuerit*[2], utriusque sexus, decedat ab intestato et sine aliqua ordinatione de bonis suis, ut premissum est, *faciendam suis*[3] liberis de suo corpore legitime procreatis, bona ipsius defuncti mobilia et immobilia, quecumque et ubicumque sint, ad proximiores suos usque ad quartum gradum consanguinitatis ex successione *generali*[4] vel collaterali jure legitime successionis deveniant. Si autem proximiores non existant, clamores defuncti de bonis suis primo solvantur et residuum dno applicetur.

Item si aliquis decedat relicta uxore sua et dicta uxor velit utifrui in bonis viri sui[5], possit secundum consuetudinem terre et omnia bona mobilia sua facere *vel habere* pro solvendo clamores viri sui, eadem lege in viro reservata.

Item contra burgenses et juratos inquisitio non fiat, nisi denuntiatione precedente, vel nisi in casibus criminalibus, ubi inculpatus esset de illo crimine deffamatus, *nisi*[6] factum sit ita notorium seu manifestum quod celari non possit; in quibus casibus sine denuntiatione inquiri possit.

Item si quis clamam fecerit de alio super debito, vel presiis terrarum, seu de re immobili, aut *redditibus*[7] et usagiis, et petitio per reum denegetur, per hoc *ipse*[8] non assumat causam in se inquirendo, sed eam per viam ordinariam coram dno vel judice *discutiat*[9], *nisi*[10] per hoc a quacumque parte per negationem *petitoris*[11], licet probetur, bannum exigatur, nisi quis fuerit de perjurio manifeste convictus veniendo contra

[1] alias. — [2] sit. — [3] facienda et sine. — [4] gradali. — [5] uti. — [6] vel. — [7] redditus. — [8] dnus. — [9] discutiatur. — [10] nec. — [11] petitionis.

propriam confessionem suam seu juramentum suum. Dnus autem, ubi sibi videbitur, possit causas committere breviter et de plano, sine judicii strepitu et figura *terminandas*[1].

Item si aliquis extraneus habitator per annum et diem habitaverit infra banna et confines dicte franchesie receptus a dno *nostro*[2], castellano suo et *a* burgensibus in burgensem, burgensis sit et esse debeat soluendo communitati[3] ville et alia usagia faciendo[4]; *nec a burgensi* nec ab aliquo repeti possit, dum tamen infra primum annum a dno suo non fuerit debite requisitus. Burgenses autem alium burgensem facere et recipere possint de consilio castellani et expressa voluntate.

Item si aliquis forefecerit taliter quod fuerit relegatus, vel ad mortem dampnatus et bona sua fuerint confiscata, dnus clamores suos de dictis bonis solvere teneatur.

Item si aliquis condemnatus *aut*[5] convictus fuerit de causa principali in judicio vel extra ad clamam *ubicumque*[6], primo fiat executio de petitione principali *prius*[7] quam de banno dni.

Item qui extraxerit gladium de vagina et non percusserit, solvat pro pena decem sol.

Item si aliquis burgensis fuerit perjurus vel usurarius, nichilominus de bonis suis *testare*[8] et ordinare possit et omnibus libertatibus aliis ville concessis uti[9], sive cum testamento decedat, sive etiam ab intestato et dnus in bonis talium manus[10] non apponat *suas*[11], alii debeantur virtute libertatum ville seu etiam de jure.

Item quod burgenses possint habere communes syndicos, actores, administratores facere[12], consentiente castellano, in cuius manibus prestare debeant debitum juramentum, et de suis pascuis, nemoribus et rebus aliis communibus ordinare, una cum hiis qui in hiis participare *debebant*[13], et hoc facere

[1] terminandi. — [2] vel. — [3] communitates. — [4] ut burgensis. — [5] vel. — [6] alicujus. — [7] pro actore. — [8] testari. — [9] utatur. — [10] manum. — [11] dum. — [12] presente et. — [13] deberent.

debeant cum castellani consilio, et de emolumento inde habendo dnus habeat partem tertiam et communitas duas partes.

Item quod mensure bladi et vini de consilio burgensium et procuratorum ville tallientur[1], moderentur, seu signentur.

Item[2] si aliquis *habitator* infra contractam Contegii detentus fuerit per dnum ob aliquam causam, detur eidem detento *defensor*[3], questioni seu torture non ponatur, nisi precedentibus judiciis *legitimis*[4] et prout jura volunt.

Item si aliquis habuerit litteram debiti contra alium, ipsum debitum infra terminum *a*[5] tempore termini solutionis recuperet, sin autem exinde debitor ad solutionem *pecuniarum*[6] seu usurarum non teneatur, nisi in simplici debito tantum.

Item si quis emerit publice aliquam rem a persona non suspecta infra villam vel banna seu limites franchesie[7] que reperiatur alibi vel ibidem fore capta violenter vel occulte, emptor suum precium non perdat.

Item de verbis injuriosis *dictis levi cum*[8] injuria non in presentia officiariorum sed extra, licet injuriam passus sibi inde *emenda*[9] fieri petat, nullam penam patiatur propter hoc qui dicta verba *dixit*[10], sed tantum injuriam passo fiat emenda. Ubi *dicta*[11] esset atrox injuria, secundum jus puniatur.

Item si aliquis familiaris dni aliquem infra banna invaderet manu armata sine causa rationabili, invasus se possit defendere sine pena.

Item si aliquis juratus vel *alius*[12] coram dno vel officiariis confessionem fecerit non in modum testis sed aliter pactionem sive transactionem faciat cum dno de quocumque casu burgensibus non consentientibus, illud dnus ad consequentiam trahere non possit nec libertatibus ville seu burgensibus prejudicium generare.

[1] et. — [2] quod. — [3] deffentio et. — [4] legittime. — [5] ac. — [6] penarum. — [7] franchesiarum. — [8] dictis tamen levi. — [9] emendam. — [10] dixerit. — [11] autem. — [12] aliter.

Item quod mercatum semper teneatur Contegii die martis et quod duobus primis annis omnes de dicta contracta *ibi debeant apportare*[1] res suas venales vel *debeant* adducere semel antequam alibi portent *et ad portandas* quascumque mobiles compellantur. Et quod aliquis veniens ad mercatum vel rediens *de*[2] mercato non impediatur in persona nec in rebus per dnum ad clamam alicuius de simplici debito factam. Et quod ibidem sint nundine perpetue bis in anno, videlicet in festo B. Severini et in festo B. Luce evangeliste. In nundinis autem dnus tributa percipiat que in mercato percipere consuevit.

Item quod *omnis burgensis tamen et juratus hiis*[3] libertatibus utantur. Alii vero de parrochia Contegii, de Plano Contegio et de Vertro et extranei aliunde venientes qui villam et *franchesiam*[4] juraverint et domum infra banna seu limites *franchesie*[5] habuerint et per duos menses cuiuslibet anni a die prestationis juramenti *incolantes*[6] moram infra banna seu limites fecerint, presentibus libertatibus uti possint, et eorum heredes facientes ut supra in quocumque casu *dum* tamen *juraverint*[7] dicti heredes dictas libertates. Cum autem necessitas evenerit omnes dictis franchesiis uti volentes ad requisitionem *dicti* castellani infra villam venire debeant moraturi. *Ita*[8] quod burgenses et jurati extra villam morantes anno in quo moram fecerint, ut est dictum, dictis libertatibus utantur, anno vero quo moram, ut supra, non fecerint, non utantur. Per hoc tamen non *excluduntur*[9] quin semper postea venire possint, si velint, et moram facere, ut premittitur, et dictis libertatibus uti. Et si forsan incepta residentia sive mora quis interim moriatur, nichilominus ipse et sui heredes dictis libertatibus gaudeant, defectu supplementi residentie in aliquo non ob-

[1] ibidem apportent. — [2] a. — [3] omnes burgenses et habitatores ville, jurati tamen, semper. — [4] franchesias. — [5] franchesiarum. — [6] incoandos. — [7] jurent. — [8] Item. — [9] excludantur.



stante. Menses autem sunt januarius et februarius, *et* de residentia credendum sit testibus fidedignis.

Item *prefati*[1] burgenses sint fideles nobis et nostris successoribus et ville Contegii. Et qui dictas libertates anegare voluerit facere possit, sed exinde careat commodo libertatum et solvat dno viginti sol. Maur. semel; non per hoc excusatur ab aliis usagiis et juribus in quibus *a* dno antea tenebatur.

Item quod burgenses et jurati dicte ville vendere possint et emere de feudo dni solvendo per emptorem laudem et vendam, videlicet pro qualibet libra duodecim denarios.

Item de intragio quod debetur[2] per burgenses de extra dictum locum venientes de novo recipiendos, dnus habeat medietatem et residuum burgenses.

Item[3] quicumque dictis libertatibus uti voluerit receptus et juratus sive burgensis infra vel extra morans in expensis factis et faciendis pro presentibus libertatibus *optinendis*[4] et defendendis contribuere teneatur et per castellanum dni ad requisitionem aliorum burgensium vel procuratorum ipsorum ad hoc compellantur.

Item quod banna seu limites et confines dicte franchesie sint et esse debeant perpetue ut sunt inferius designata et limitata, videlicet incipiendo a parte orientali per viam tendentem en la *Placi*[5] et protendendo continue per viam de Plano Contegio de subtus usque in viam *dou Bacclio*[6] et protendendo *continue* per viam usque *ad*[7] fontem de Chamarey a parte occidentali, et ab *ipso*[8] fonte directe ascendendo per vineas usque ad finem clausi curati a parte occidentali et prosequendo superius de *dicto clauso*[9] usque *ad*[10] viam tendentem *en Aves*[11], et ab hinc descendendo inferius per viam et protendendo usque in viam *furcatam*[12] juxta clausum prati Perrodi de Contegio, et deinde

[1] quod jurati et. — [2] dabitur. — [3] quod. — [4] obtinendis. — [5] Place. — [6] de Balliox. — [7] in. — [8] illo. — [9] juxta ipsum clausum. — [10] in. — [11] in Avex. — [12] forcatam.

eundo per viam tendentem juxta ipsum clausum usque in viam Croysie[1] tendentem a Sinsina *et* apud Contegium et ab illo loco descendendo per viam *dol Borin*[2] continue usque ad viam descendentem en la *Placi*[3] primo dictam.

Que omnia et singula capitula suprascripta et que continentur in ipsis pro nobis et nostris successoribus rata, grata, firma et irrevocabilia habere perpetuo promittimus bona fide sub bonorum nostrorum omnium ypotheca, et nunquam contra *venire*[4] vel alium directe vel indirecte quomodolibet facere vel venire, eaque omnia et singula per nostros officiarios quoscumque presentes *pro tempore*[5] et futuros et loca tenentes eorumdem volumus et precipimus perpetuo inviolabiter observari et in nullo[6] modo quovis per eos attentari. Pro parte quorum burgensium extitit protestatum quod per aliqua que[7] superius contineantur nullum sibi in libertatibus suis si quas habent a nostris predecessoribus vel a nobis concessis prejudicium generetur. Supradictis tamen libertatibus pro nobis semper in suo robore duraturis.

Datum apud Turrim Viviaci, die VII mensis maii, anno Dni millesimo CCC° secundo.

Per dnum in consilio presentibus dnis
Episcopo Sedunensi
G. de Balma A[th].....
Ludov. Revoyr
A. de Urtenis
H. Bastardo
Hug. de Boscosello
Aymone de Pontevitreo
G. de Castillione

Redd. litt. portit.

[1] Cruesiaz. — [2] de Vueryn. — [3] Place. — [4] per nos. — [5] pariter. — [6] contra. — [7] La copie de Fribourg s'arrête ici ; les deux feuillets suivants du volume qui la contient ont été arrachés.



Pend à l'acte original le grand sceau du comte en cire verte pendu à un cordon de soie rouge, qui représente le prince à cheval, armé de toutes pièces, portant au bras droit l'écu de Savoie moderne, savoir la croix blanche, mais semée d'autres petites croix, et tenant de la main gauche l'épée nue. (Note du chan. de Rivaz.)

1179

Donations faites aux confréries du Saint-Esprit et de la sainte Vierge, à Sion, par maître Martin, chanoine et curé de Sion.

Sion, 27 juillet 1302.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego magister Martinus, canonicus et curatus Sedun., dono confratrie Sancti Spiritus Sedun. duos sexterios vini census quos michi debebat Perretus li Melaneis annuatim super vinea de Ciuitate, sita subtus Turbillon, et supra campum capituli in quo est puteus Ciuitatis, ita quod sicut confrater possim habere et domi deferre meam embatya et hospitari pauperem sicut alii. Alios vero duos sexterios in quibus michi tenetur dictus Petrus Melaneis, modo et conditione quibus supra, dono confratrie beate Marie virginis. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : Willermus Manenberc, Johannes Frewars, mistrales confratrie Sancti Spiritus, Nicholaus rector maladerie, mistralis confratrie beate Marie, qui omnia predicta approbauerunt, dnus Stephanus de Taluores vicarius Sedun., etc. Actum Seduni, VI kl. augusti, anno Dni M°CCC° secundo, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1180

Jean de Duyn est élu prévôt du Mont-Joux.

Sion, 1302, 14 août.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Seduni in aula veteri, in domo episcopali, presentibus canonicis Sedun. et Montisjovis sunt presentata littera et decretum electionis de preposito Montisjovis Sedun. episcopo Bonifacio, in qua continetur quod capitulum compromiserit in 10 canonicos dicti Sancti Bernardi, potestatem dando eligendi prepositum usque ad consummationem cuiusdam candele que accensa ibi existebat, et elegerunt ante consumptionem dicte candele Johannem de Dugnie canonice electum. Quapropter R. paternitati duximus supplicandum ut electionem predictam sic canonice et solemniter factam dignemini confirmare. 1302, 14 augusti.

1181

Compte de la commune de Saint-Maurice.

15 août 1302. — 8 septembre 1303.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

Computus Wifredi clerici et Martini Caly, syndicorum ville Sancti Mauricii, a festo Assumptionis beate Marie anno Dni M°CCC° secundo usque ad diem Natiuitatis beate Marie virginis anno Dni M°CCC° tercio, videlicet de vno anno integro et tribus septimanis factus.

Frumentum.

Iidem reddunt computum de vno modio frumenti recepto de Jaqueto Quarterii de anno currente M°CCC° secundo finito in carnipriuio de redditu per annum. De I mod. frum. recepto de eodem Jaqueto Quarterii de anno currente M°CCC°III° finito in carnipriuio pro eodem. De I mod. recepto de Johanne mistrali Villenoue de anno currente M°CCC° secundo de redditu per annum. De I modio recepto de eodem de anno currente M°CCC°III° pro eodem. De VIII cupis receptis de Pereto Grosse debitis de duobus annis videlicet de anno M°CCC°II° et de anno M°CCC°III° de redditu per annum. De VI cupis receptis de heredibus de Reuerens debitis de duobus annis predictis pro eodem. De VI cupis receptis de Petro Lorete debitis de duobus annis predictis pro eodem. De VII cupis receptis de vxore Petri de Turre debitis de duobus annis predictis de redditu per annum pro eodem. De I mod. frum. recepto de Rod. de Nouilla debito de duobus annis predictis de redditu per annum pro eodem. De II cupis receptis de Rey. de Octans de duobus annis predictis de redditu per annum pro eodem. De I cupa et dimidia frumenti recepta de relicta Willelmi de Montez debitis de duobus annis predictis de redditu per annum pro eodem et debet dimidiam cupam de tempore transacto. De IIII cupis receptis de Cristino de Martignie pro borgensia et debet pro tempore transacto quatuor cupas. De II cupis et dimidia frum. receptis de Willelmo Vacherini pro venditione frumenti de Parauiso sibi vendito per vnum annum finitum in medium augustum anno M°CCC°III. De X cupis receptis de Johanne Clari et participibus per venditione ponderorum paysanorum pro anno finito in octaua Purificationis beate Marie anno M°CCC°III°. De XVIII cupis receptis de venditione insule et vanelli venditis Vacherinodo pro tantum anno presenti. De II modiis receptis de Petro Jollens, Humberto Fabri et Willelmo de Wurie pro chargiis paysanis sibi venditis pro tanto per

vnum annum finiendum in octaua Purificationis beate Marie anno M°CCC°IIII°. De IIII modiis IIII cupis frumenti emptis in foro. De V modiis frumenti receptis de empto facto in foro.

Summa frum. XXI modii IX cupe.

De quibus iidem librauerunt abbancie Sancti Mauricii de duobus annis, videlicet pro quolibet anno septem mod. et quatuor cupas — XIIII mod. VIII cup. frum. Item soluerunt hospitali cui debebantur de duobus annis elapsis in carnipriuio nuper preterito VII mod. I cup. frum. et debentur sibi trex cupe.

Summa librate XXI mod. et IX cupe.

Denarii.

Iidem reddunt computum de exena facta hoc anno recepta per Humbersetum Quoquini, summa cuius fuit sexaginta lb. et duodecim den. quos receperunt per manum dicti Humberseti LVII lb. VIII s. X d. Maur. Iidem reddunt computum de duobus s. receptis post computum Humberseti de dicta exena de Anthonio Salterii. De XXXIII s. receptis de antiquis exenis per manum dicti Humberseti. De XV lb. receptis de Humberto Fabri pro cor... anni receptis per dictum tempus. De XXIIII sol. receptis de Johanne Badelli et Jaqueto Pacho de remanencia computi eorumdem. De VI sol. II den. grossorum Turon., qui fuerunt computati XLIII sol. II den. Maur. mutuatis a Petro Bebo pro quinquaginta sol. Maur., videlicet quolibet Turon. computato octo den. et octo den. vltra. De C et II s. receptis a quibusdam de villa de mutuo facto minute ab eisdem. De XXX sol. receptis de mutuo a Martino Caly. De C sol. receptis de mutuo facto ab eodem in festo B. Laurencii pro duodecim sol. usque ad festum Omnium Sanctorum susequens anno M°CCC°III° et vlterius ad vsuras.

Summa recepta IIII^{xx} IX lb. III sol. Maur.

Librate.

De quibus iidem librauerunt relicte Reymondini qui sibi



debebantur per alios sindicos, scilicet per magistrum Jacobum, Johannem Badelli et Jaquetum Pachodi predecessores ipsorum XL lb. Maur.

Item libr. pro quatuor modiis et quatuor cupis frumenti de quibus supra computauerunt solutis abbacie, emptis quolibet modio viginti duobus sol.

III lb. XVs IIII d. Maur.

Item libr. pro quinque modiis frumenti emptis ut supra et solutis abbacie, quolibet modio empto viginti trex den. (*sic, sed leg.* sol.) hoc anno presenti CXV sol. Maur.

Item libr. probis hominibus a quibus mutuata fuerunt in particulis ut supra CII sol. Maur.

Item libr. Petro Bebo pro mutuo.... facto ab eodem ut supra L sol. Maur.

Item libr. dicto Martino pro mutuo facto ab eodem ut supra XXX sol. Maur.

Item libr. caurcinis de debito quod remanserunt debentes sindici ante ipsos XXXI sol. VII den. Maur.

Item pro exena predicta recolligenda et recuperanda judici et castellano XXX sol. Maur.

Item libr. Humberseto Quoquini pro dicta exena recuperanda et pro antiqua exena XIIII sol. Maur.

Item pro operatorio condicto a Petro Pebo ad vadia exene reponenda et hiis qui portauerunt vadia, pro filo empto et clauis ad serandum portas II sol. VI den.

Item libr. pro salario Perreti Fabri, Anthonii Binfan, Willelmi de Euiona, Johannis Andree, qui fecerunt exenam anni presentis VIII sol. Maur. Item pro expensis ipsorum excubie et clerici VIII sol. I den. Maur. Item pro beuragio exene recolligende per manum consiliariorum XII den. obol. Item pro sescallibus anni presentis XV sol. Maur. Item pro salario excubie pro anno presenti X sol. Maur. Item pro scriptura et

sigillo procurationis X sol. Maur. Item pro exena reactanda magistro Jacobo II sol. et pro redditione rotuli pro vino IIII den. Item pro facto Petri Franqueti pro expensis castellani Mauricii Quarterii, Barberii, Martini Caly euntium apud Sedunum cum duobus garcionibus in media quadragesima per trex dies XVIII sol. Maur., incluso salario duorum roncinorum et duorum garcionum. Item pro salario Mauricii Quarterii transmissi ibidem pro notario IIII sol. Maur. Item pro salario castellani euntis ibidem V sol. Item die martis post octavas Pasche pro beuragio castellani, Domengii, Johannis Salterii pro facto de Octanez IIII den. et Richardodo transmisso ibidem II den. Item pro salario castellani conducti pro facto de Octanez de consilio consulum V sol. Item pro transcripto monitionis quam fecit prior de Sine muro castellano occasione ville XII den. Item pro carta precepta Johanni de Illetis pro facto de Octanez et Dorona pro carta et registro XVI d. Item magistro Jacobo pro salario compromissi de Octanez VI sol. Item pro expensis Bartholomei Vichardi, Johannis Salterii, Johannis Badelli, Jaquemeti Vetam, Domengii, Willelmi Fabri, Wiffredi, Martini Caly, cum tribus curribus euntium apud Octanez VI sol. Item in expensis cuiusdam nuncii missi ad balliuum pro facto monitionis Versoye et pro littera VIII den. obol. Item pro expensis Johannis Salterii missi apud Chillionem pro facto Versoye, et fuit tantum apud Alium, pro prandio suo et locatione roncini XVIII den. Item pro expensis Johannis Salterii et Martini Caly missorum apud Chillionem pro facto caualcate preconizate de foco in focum et locatione roncinorum et auena eisdem data IIII sol. IIII den. Item pro expensis castellani, Johannis Badelli, missis (sic) ad balliuum pro cauacata preconizata, quando dnus comes dicebatur abisse, et duorum equorum et unius garcionis V s. IIII den. Item in refectione canalium de Chablo V den. Item pro quandam carta precepta

P. clerico pro monitione dni episcopi quam faciebat dnus Johannes Boneti IIII den. Item recambio exene Henrici Boneti VI den. Pro salario et stipendiis decem et octo clientum euntium in Valesio, quorum quatuordecim steterunt ibidem per sexdecim dies et quatuor per tres dies, qui recesserunt a Seduno, quolibet capiente per diem vndecim den. XI lb. XVI sol. Maur. Item pro auantagio facto illi qui tulit vesillum V sol. IIII den. Item pro nuncio misso dictis clientibus qui stetit per vndecim dies et dantur sibi quolibet die septem den. VI sol. V den. Maur. Item pro expensis quatuor clientum qui fuerunt apud Versoyam per quindecim dies quolibet capiente per diem duodecim den. LX sol. Maur. Item pro quadam littera citationis facta per dnam de Hospitali et procuratorem abbacie II den. Item pro beuragio venditionis lignorum insularum III den. Pro pelle pergameni ad transcribendum computum magistri Jacobi IIII den. Pro vno papiro XII den. pro vna carta precepta Jo. de Illetis pro appellatione facta contra illos de abbancia IIII den. Item pro transcripto monitionis Sancti Sigismondi XII den. Item dno balliuo de seruicio sibi facto X sol. Maur. Item dno judici de seruicio sibi facto XXV sol. Maur. Item pro salario dictorum sindicorum per dictum annum XL sol. Maur. Item Mauricio Quarterii et filio suo pro scriptura exene et aliis scripturis supra scriptis factis in papiro et pro presenti rotulo XXV sol. Maur. et pro transcripto rotuli magistri Jacobi. Item pro salario Johannis Salterii euntis apud Villam novam XII d. Item pro expensis recipientium computum pro Bertholomeo Vichardi, Johanne Saltero, P. Jollens, Johanne Badelli, Jaqueto Pachodi, Martino Caly et dictorum sindicorum cum clerico V sol. III den.

Summa librate IIII^{xx} X lb. II sol. Maur.

Et sic debentur eisdem XIX sol. Maur. Et lod... in festo Omnium Sanctorum CXII sol. Maur. et vxori Reymondini XII

sol. Maur., et sic debent dicti sindici scilicet Martinus Gorgi et Jaquetus Pachodi de debito aliorum sindicorum VII lb. III sol.

Au revers du parchemin :

Summa IIII[xx] IX lb. XV sol. IX den. et sic debentur eisdem XII sol. IX den., et dicti sindici sequentes debent soluere lod... de mutuo de quibus supra.

Computatum est CXII sol. Maur. et vxori Reymondini de debito magistri Jacobi XII sol. Maur.

1182

Protestation de Clémence, veuve de Jean de Morestel, au sujet de sa dot.

Sion, 1302, 21 septembre.

Archives de Valère.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°CCC° secundo, indicione XV[a], in festo beati Mathei apostoli, in ciuitate Sedun., ante domum quondam Petri dicti Bonier, in presencia mei notarii et testium subscriptorum, Clemencia relicta Johannis dicti de Morestel ciuis Sedun., vxor quondam dicti Petri Bonier, sepulto reuerenter ipso Johanne, dixit et protestata fuit quod ipsa non intrabat nec intrare intendebat in hospicium suum ad presens tanquam vsufructuaria in bonis dicti Johannis de Morestel, cui vsufructui tamen non renunciabat donec plenius consilium habuerit de predictis, sed intrabat dictam domum tanquam in rem suam propriam et dotem suam. Testes fuerunt ad hoc Petrus senescalcus Sedun., Willermus de Morestel, domicelli, Johannes de Cruce, Johannes de Ventonna, Johannes li Foz, P. de Aniuesio de Sea, Willermus

Pelerins et quam plures alii ciues Sedun. venientes cum dicta Clemencia de sepeliendo dictum Johannem de Morestel.

Et ego Amedeus de Reyna, clericus, etc.

1183

Commission établie pour réformer les statuts du chapitre de Sion.

Sion, 1302, 2 novembre.

Archives de Valère.

In nomine Dni Amen. Anno eiusdem M°CCC° secundo, inditione prima, die veneris in crastino festi Omnium Sanctorum, in domo magistri Martini curati et canonici ecclesie Sedun. sita iuxta claustrum ecclesie Sedun. inferioris, in presentia reuerendorum in Christo patrum dnorum Bertrandi miseratione diuina sancte Tharentasien. ecclesie archiepiscopi, visitationis officium exercentis, et Bonifacii eadem miseratione episcopi ecclesie Sedun. ac mei notarii et testium subscriptorum constituti venerabiles viri dnus Johannes decanus ecclesie Sedun., Thomas de Vespia cantor eiusdem ecclesie Sedun., Johannes curatus de Narres, Martinus curatus Sedun., Ebalus Hubodi, Johannes Herpo sacerdotes, Petrus de Ventona, Petrus de Majey et Petrus de Vespia, omnes canonici dicte ecclesie Sedun. et in eadem ecclesia residentes, dederunt et concesserunt potestatem liberam et licentiam emendandi, reformandi, addendi, mutandi, detrahendi, modificandi seu etiam declarandi statuta predicte ecclesie Sedun., vnacum predictis dnis archiepiscopo et episcopo quatuor discretis viris canonicis Sedun. infrascriptis, videlicet venerabili viro dno Ebalo de Gresiaco sacriste dicte ecclesie Sedun., dno Vldrico de Dallieto, dno Francisco dErdes et Anthonio Hubodi, canonicis sepe-

dicte ecclesie Sedun., presentibus et in se dictam potestatem recipientibus, volentes et concedentes omnes predicti canonici, excepto dicto Petro de Vespia, quod ipsi quatuor canonici memorati vnacum dnis archiepiscopo et episcopo supradictis reformarent, emendarent, adderent, mutarent, detraherent, modificarent et etiam declararent predicta statuta secundum quod eis videretur melius expedire. Prefatus vero dnus cantor commisit et concessit dictam potestatem et licentiam predictis quatuor viris sub tali protestatione quod aliquid non fieret aut statueretur in preiudicium beneficii sui vel sue dignitatis. Ad hec autem fuerunt testes vocati et rogati, videlicet discreti viri dnus Johannes prior Monasterii Tharantasien., dnus Hugo sacrista eiusdem Monasterii, dnus Johannes Boneti curatus Sancti Germani et Willermus de Sancto Mauricio clericus dyocesis Sedun.

Et ego Johannodus dictus de Auboreynges de Viuiaco, clericus Lausan. dyoc., auctoritate sacri imperialis palatii notarius publicus, qui premissis omnibus et singulis vnacum prefatis dnis archiepiscopo et episcopo ac testibus suprascriptis presens interfui et ea in publicam formam redegi, presens instrumentum [rogatus scripsi signoque meo consueto signaui in testimonium veritatis.

1184

Statuts du chapitre de Sion.

Sion, 1302, 3 novembre.

Archives de Valère, G. 1.

Nos Bertrandus diuina miseratione sancte Tharantasiensis ecclesie archiepiscopus, visitationis officium exercens in ciuitate et dyocesi Sedun., ac Bonifacius eadem miseratione



ecclesie Sedun. episcopus, vnanimes et concordes, ex potestate et licencia tradita et concessa vna nobiscum a capitulo Sedun. ad inuicem congregato venerabili viro dno Ebalo sacriste ecclesie Sedun., dno Vldrico de Dallieto, dno Francisco dErdes et Anthonio Hubodi, canonicis dicte ecclesie Sedun., nemine contradicente, excepto dumtaxat Petro de Vespia canonico dicte ecclesie Sedun., notum facimus vniuersis presentem paginam inspecturis quod nos considerata (utilitate) ecclesie Sedun. et castri Valerie, circa reformationem quorumdam statutorum dicte ecclesie et declarationes insistentes, de uoluntate et consensu expresso dictorum quatuor proborum virorum, videlicet dni sacriste et aliorum trium concanonicorum suorum ad hec nobiscum, vt dictum est, ex parte dicti capituli deputatorum, duximus ordinandum, statuendum et declarandum statuta que inferius inseruntur. In primis quod illi canonici qui habent et de cetero habebunt canoniam de Laques, canoniam quam tenet dnus Franciscus de Curia maiori et canoniam quam olim tenuit dnus Jacobus de Nouilla, vna cum prebendis ipsis canoniis agnexis, infra coronam anni teneantur ad sacerdocium promoueri, alioquin ex tunc suis canoniis ipso facto penitus sint priuati, quas deputamus aliis canonicis conferendas. Super personatibus autem obseruetur circa hoc secundum quod hactenus extitit obseruatum. Item personatus habentes et dictas canonias agnexas faciant per se vel per alios canonicos Sedun. suas septimanas sacerdotales in magno altari deseruiri, alioquin persone pro qualibet missa in sua septimana ob defectum ipsorum in magno altari non celebrata penam quinque solidorum incurrant, et eciam illi qui tenent et tenebunt dictas tres canonias agnexas penam trium sol. incurrant, quas penas nisi soluerint infra vnum mensem proximo sequturum postquam incurrerint ipsas penas, distributiones cholidianas amittant et ipso facto eisdem sint priuati. Mistralis vero dicti capituli, qui nunc est et qui pro

tempore fuerit, dictis deficientibus dictas distributiones ex tunc minime soluere teneatur, donec de ipsis penis dicto dno sacriste Sedun. fuerit plenarie satisfactum. Absentes vero deficientes in predictis ex tunc ipso facto penam dupli incurrant, que debeat recuperari super fructibus eorumdem, ita videlicet quod dicti deficientes ante satisfactionem plenariam in pecunia factam dictas distributiones suas minime recipiant nec recipere possint per se uel per alium, et dictus mistralis dictas distributiones soluere non valeat et si eas soluerit, tantumdem capitulo soluere teneatur, et hoc dictus mistralis in institutione sua jurare teneatur. Item quod canonici qui tenentur ad dyaconatum et subdyaconatum, penam predictam trium solidorum incurrant quocienscumque missa in magno altari ob eorum defectum minime fuerit celebrata, que pena solui debeat modo quo supra. Quas quidem penas omnes predictas dictus dnus sacrista exigat et in ornamentis ecclesie, videlicet pro magno altari, conuertantur. Super prima vero residencia nichil innouatur, que talis est. Videlicet quod quilibet canonicus Valerie faciens primam residenciam tenetur singulis noctibus infra castrum Valerie pernoctare et eciam comedere et bibere et dictam ecclesiam Valerie frequentare diebus singulis saltem in matutinis, et si non in matutinis ad magnam missam et ad vesperas, aliter residens minime reputetur. Quod si forte ex causa necessitatis, vtilitatis uel uoluntatis semel uel bis in epdomada, dummodo non pluries, nisi ut dictum est, et non consequenter sed interpollatim, inferius comederet vel pernoctaret, vel si forte aliquis dictorum canonicorum specialem amicum haberet in ciuitate grauiter egrotantem et ante eum quamdiu esset in mortis periculo vellet jacere, nulla tamen adhibita fraude uel dolo, non propter hoc reputabitur minus residens aut periurus, dummodo intersit horis canonicis, sicut superius est expressum. Si vero egrotaret vel esset minutus sanguine, dummodo nichil faciat in fraudem et existat infra

muros Valerie, reputabitur residere. Et est sciendum quod canonici, antequam fecerint et compleuerint primam residenciam, distributiones panis et vini non recipiant, nec percipiant suos fructus. Item ille canonicus primam residenciam faciens qui presens non interfuerit kalendis, nulla necessitas, vtilitas uel uoluntas eum poterit excusare quo ad receptionem eorum que ibidem diuiduntur, nisi forte esset egrotans vel sanguine minutus et existens infra muros Valerie. Quod autem dictum est de canonicis nouiciis residenciam facientibus apud Ualeriam, seruandum est illud idem in canonicis nouiciis ecclesie inferioris, qui tenentur facere primam residenciam annalem in ecclesia inferiori. Item de canonicis moram contrahentibus Seduni tam in ecclesia superiori quam inferiori taliter ordinamus quod ipsi canonici de Valeria post primam residenciam factam tenentur pernoctare, comedere et bibere infra muros Valerie, dummodo viuant de suo, exceptis quindecim diebus pro vindemiis et aliis quindecim diebus pro messibus colligendis, et quod possint extra Valeriam per vnum diem aut per duos in qualibet epdomada pernoctare, comedere et bibere, si voluerint et sibi viderint expedire. Item poterit hoc facere si ab aliquo fuerit inuitatus, scilicet comedere et bibere tantum, dummodo nichil procuret in fraudem, non tamen poterit pernoctare extra Ualeriam, nisi sicut superius est expressum. Si autem contigerit aliquem dictorum canonicorum egrotare uel sanguine minui, dummodo existat infra muros Valerie, pro residente habeatur. Et si forte aliquis dictorum canonicorum aliquem specialem amicum haberet in ciuitate grauiter egrotantem et ante eum quamdiu esset in mortis periculo vellet jacere, nulla fraude adhibita, non propter hoc reputabitur minus residens aut periurus. Eum vero qui presens non interfuerit kalendis, nulla necessitas, vtilitas vel uoluntas excusabit quo ad receptionem eorum que diuiduntur ibidem, nisi existens in Valeria egrotans fuerit vel sanguine

minutus vel nisi absens esset pro negociis capituli uel episcopi sui. Ab ista autem ordinatione sunt quatuor canonici inferiores excepti, quorum quilibet in canonicum assumptus tenetur facere huiusmodi juramentum, videlicet quod infra coronam anni, si non sit presbiter, in quantum in se est, in presbiterum sit promotus et continuam residenciam faciat in ciuitate Sedun. officiando ecclesiam pro viribus et pro posse, ita quidem quod si vltra duos menses in anno sine licencia capituli uel maioris et sanioris partis eiusdem absens fuerit, ab officio et beneficio ipso facto sit suspensus et nichilominus fructus suos grossos amittat ipso facto. Debent autem dicti canonici inferiores pendentibus duobus mensibus quibus erunt absentes in dicta ecclesia facere in magno altari per alium concanonicum suum sufficienter in sua epdomada deseruiri, nec possunt pendentibus dictis duobus mensibus, dum vnus uel duo absentes extiterint, alii duo se a dicta ecclesia inferiori absentare nisi vrgente necessitate et cum licencia capituli, ut superius est expressum. Si vero contingeret aliquem ex canonicis proxime dictis deficere in epdomada sua in missa magni altaris, ita quod missa remaneret ob defectum ipsius, penam incurrens trium sol. soluat, prout superius de aliis canonicis est expressum. Item statuimus et ordinamus quod quicumque in posterum personatum in ecclesia Valerie fuerit consecutus, beneficium quod vvlgariter canonia appellatur vna cum dicto personatu et prebenda nequeat optinere. Item de domibus ecclesiarum Valerie et beate Marie inferioris obseruetur prout hactenus extitit obseruatum. Item statuimus et ordinamus quod omnes canonici et seruitores dictarum ecclesiarum a vigilia Omnium Sanctorum in vesperis vsque ad Pascha proxime subsequens capas nigras portent in ecclesiis supradictis, dum in ipsis diuina officia celebrantur, nisi ipsi qui seruiunt in altari vel circa illud aliqua administrant. Item sub excommunicacionis pena precipimus ne aliquis capellanus, canonicus aut clericus in domo propria

conducta uel gratis concessa publice teneat in ciuitate et dyocesi Sedun. mulierem preter illas que conceduntur a iure. In Valeria autem nec hee nec alie modo quo supra teneantur, nisi causa grauis infirmitatis alicuius canonici egrotantis uel alicuius seruitoris ecclesie aut dictorum canonicorum durante infirmitate predicta. Item statuimus et ordinamus quod clerici beneficiati infra ciuitatem Sedun. in hospitali et in maladeria Sedun. uel qui dicta beneficia pro tempore optinebunt, seruiant prout tenentur ecclesie beate Marie continue, et ad hoc idem teneatur eiusdem ecclesie curatus, et ad hoc per dnum episcopum compellantur. Item cum de iure nouo caueatur quod nullus debeat promittere in genere aut in specie aliquod beneficium ecclesiasticum non vacans, statutum est quod de cetero non promittatur alicui a canonicis vel ab aliquo eorumdem vniuersaliter aut singulariter, in genere uel in specie, prebenda non vacans aut aliud beneficium ecclesiasticum non vacans, nec super hiis litteras suas dare. Item si aliqua immobilia, census vel redditus jam ad manus capituli deuenerunt vel in posterum deuenient quocumque titulo, nulli persone, quecunque sit, graciose conferantur, sed tantummodo plus offerenti de canonicis concedantur, eo saluo quod si quis dicte ecclesie aliquid immobile contulerit certa condictione apposita, eius condictio et voluntas in omnibus obseruentur. Item quod omnes canonici insimul uel diuisim non faciant alicui nouo canonico graciam super prima residencia annali nec super fructibus dicti anni primi, nec sibi dimittantur vinee vel possessiones alie prebende vel canonie sue pro aliqua pensione, sed excolantur dicte vinee et possessiones alie a ministro capituli qui nunc est et qui pro tempore fuerit, quandiu ad ipsum capitulum pertinebunt. Item quod de cetero quicunque recipietur in canonicum et in fratrem non habeat vocem cum aliis in capitulo, nec in tractatibus canonicorum qui in capitulo tractabuntur intersit nec valeat interesse, nisi primo saltem

ad ordines subdyaconatus se fecerit promoueri. Item quod illi qui debent habere clericos ad seruiendum ecclesie Valerie, de cetero teneantur procurare et facere quod ipsos habeant et teneant per totum annum singulis annis. Qui autem ad presens non habent, procurent ipsos habere infra festum Natiuitatis Dni et de cetero similiter faciant, alioquin residentes distributiones denariorum amittant donec ipsos habuerint, absentes vero duplum salarii quod deberet dari dictis clericis amittant. Item cum sit indecens et a iure prohibitum ne dyaconus non legat epistolam, ne a suo officio retrocedere videatur, idcirco nos predicti archiepiscopus et episcopus et predicti quatuor canonici, attendentes quod quandoque contingit propter defectum dyaconorum vel subdyaconorum in ecclesia Sedun. inferiori maxime sacerdotes euuangelium et dyaconi epistolam ibidem legere et in ipso officio deseruire, statuimus et ordinamus quod quando archiepiscopus Tharantasiensis vel episcopus Sedun. qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint, missam magnam in ecclesia inferiori vel Valerie solempniter celebrare voluerint, quod persone uel canonici Sedun. qui per alterius eorum nuncium fuerint requisiti aut per cantorem Sedun., in ordine suo dyaconatus vel subdyaconatus veniant ad ecclesiam inferiorem et ipsis dnis uel alteri eorum adsistant et in ordine suo deseruiant sicut decet. Quod si facere contempserint, contempnens uel rebellis quinque sol. Maur. persoluat et persoluere teneatur dicto sacriste in ornamentis inferioris ecclesie conuertendos infra terminum in superioribus statutis contentum, alioquin sentencias in aliis statutis contentas ipso facto incurrant, nisi causam necessariam obstenderint tempore competenti quare in suo ordine tunc deseruire non possint. In omnibus autem et singulis predictis dictus dnus episcopus Sedun. sibi retinuit quod secum habere possit tot canonicos quot sibi a iure conceduntur et alia que sibi iura permittunt singulariter et vniuersaliter, tam super predictis quam super aliis

casibus quibuscumque. Item statuimus et ordinamus quod predicta statuta cuilibet qui in posterum recipietur in canonicum, in ipsa receptione legantur et ea iuret integraliter obseruare, et iam recepti teneantur predicta sub prestando juramento integraliter obseruare. Et quia statuta que penis firmata non sunt aliquando consueuerunt ab aliquibus negligenter obseruari, ideo statuimus et ordinamus quod predicta omnia et singula, prout superius dicta sunt, integre obseruentur. Si quis vero contrafecerit vel in toto aut in parte non obseruauerit, nisi infra unum mensem incipiendum a die defectus uel non obseruationis predictorum emendam fecerit competentem, penam suspensionis ab ingressu ecclesie ipso facto incurrat, et si in ipsa suspensionis pena per quindecim dies steterit, ipso facto sit excommunicationis sentencia innodatus. Has autem sentencias excommunicationis et suspensionis nos predicti archiepiscopus et episcopus in rebelles ferimus in hiis scriptis. Per predicta autem statuta non derogamus nec derogare intendimus statutis dictarum ecclesiarum sigillatis sigillis venerabilium patrum predecessorum nostrorum dnorum Petri Dei gracia quondam archiepiscopi dicte ecclesie Tharantasiensis et Petri eadem gracia episcopi Sedun., et eciam capituli Sedun., nisi in quantum hic eis expresse additur, mutatur, detrahitur, modificatur vel etiam declaratur. In cuius rei testimonium nos prefati archiepiscopus et episcopus sigilla nostra huic scripto autentico vnacum sigillo Sedun. capituli duximus apponenda ad perpetui roboris firmitatem. Et nos prefatum capitulum Sedun. sigillum nostrum presentibus duximus apponendum in robur et testimonium omnium premissorum. Datum Seduni, die sabbati post festum Omnium Sanctorum, anno Dni M°CCC° secundo.

Sceaux pendants de l'archevêque et de l'évêque; celui du chapitre est tombé.

1185

Ebrard de Rarogne vend une vigne à Pierre d'Underbeke.

Rarogne, 1302, 19 décembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Ebrardus de Rarognia, laudatione Willermete vxoris sue, Salomee filie sue et Petri huius mariti, vendit pro IX lb. et X sol. Petro filio quondam Petri de In der Beke vineam suam retro castrum de Rarognia, que vocatur Blatte. Datum apud Rarogniam, anno Dni M.CCC.II, XIV kl. januarii.

1186

Pierre de La Tour vend la métairie d'Econnaz à Jean, prévôt du Mont-Joux.

1302.

Arch. de la famille de Torrenté, copie.

Acquisitio facta per R^{m} Joannem prepositum Montis Jovis versus nobilem Petrum de Turre Castillionis et Guygonam de Rossillione eius vxorem de una grangia dicta Esquinia una cum foresta et terra arabili in purum allodium, sitis in prato de Esquinia pro 14 lb. gross. Turon. argenteis bonis et legalibus. 1302, ind. 2.

1187

Accord entre Boniface, évêque de Sion, et Pierre, fils de Guillaume, sénéchal de Sion, au sujet des vidomnats de Sion, de Sierre, de Viège et de Naters.

1308, 11 février.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II, ex libro Brigæ.

Cum questio verteretur inter episcopum Bonifacium, ex una, et Petrum filium Wuillelmi seneschalli Sedun. (ex altera parte), super eo quod dictus Petrus petebat vicedominatum de Seduno, de Sirro, de Vespia et de Narres cum eorum jurisdictionibus, que Petrus ad se pertinere dicebat ratione successionis Antonii filii Rodolphi deRaronia, consanguinei sui, tanquam proximioris heredis, dicto R. D. episcopo contrarium dicente petita ad ecclesiam potius pertinere.

Tandem compositio facta est, intervenientibus Rodolpho de Monte majore, ballivo Chablasii et Geben. pro comite Sabaudie, Richardo de Pontevitreo, militibus, Bonifacio de Saro, Antonio Hubodi, can. Sedun., inprimis quod D. episcopus vicedominatus de Seduno, Sirro et Vespia cum eorum juribus cedat et tradat dicto Petro, salvo jure alterius et salvis usagiis, homagio ligio et aliis que debentur ecclesie Sedun. Econverso autem dictus Petrus cedat et concedat prelibato episcopo et ecclesie Sedun. in perpetuum vicedominatum de Narres cum omni jurisdictione, una cum omnibus hominibus suis de Simplono et totius vallis de Simplono et omni jurisdictione, exceptis tantum usagiis. Ita tamen quod dictus Petrus vicedominatum de Narres una cum dictis hominibus rehabere possit pro 500 lb. Maur. a decem annis inde; effluxo termino perpetue remaneant episcopo et ecclesie Sedun.

Item si de recta linea descendentes a dicto Petro vel sorores sue sine liberis decederent, ipso facto vicedominatus predicti omnes cum eorum juribus ad ecclesiam devolvantur. 1303, 3 idus februarii.

1188

Vente faite par Pierre, métral de Saint-Rémy, à l'hospice du Mont-Joux.

Aoste, 1303, janvier.

Archives du Grand-Saint-Bernard, copie.

* Notum sit quod Petrus mistralis de Sancto Remigio juratus vendidit domui pauperum Montis Jouis vnam peciam prati cum fundamento, que jacet in loco dicto Fontintes, item totum jus et actionem quod et quam ipse habet in pascuis a loco dicto Fontana cuuerta vsque ad alpem de la Perra ex parte Fauergie, a fundo montis vsque ad summitatem, saluo jure comitis. Huius autem venditionis precium est XII lb. Hugo vice Jacobi cancellarii scripsit Auguste, feria VI mensis januarii, vacante sedė imperatoria, anno Dni M°CCC° tercio.

1189

Humbert de Collombey vend à Amédée V, comte de Savoie, un cens annuel de 10 L., à percevoir sur le péage de Saint-Maurice.

La Tour de Peilz, 1303, 21 mars.

A.-J. de Rivaz, Opera hist. XII, 467, ex archivio Agaun., Minutar majus, f. ccxviii.

* In nomine Dni, Amen. Anno ejusdem M°CCC°III°, indictione I, per hoc presens publicum instrumentum cunctis appareat



evidenter quod in presentia mei notarii et testium subscriptorum propter hoc specialiter constitutis Humberto filio quondam dni P. de Columberio, militis, ex una parte, et nobili viro dno Rodulpho de Montemajori, ballivo in Gebennesio et Chablasio pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, et Hugoneto Pochesii, castellano Turris Viviaci, vice et nomine illustris viri dni A. comitis Sabaudie supradicti, ex altera, dictus Humbertus predictis dno Rodulpho et Hugoneto, vice et nomine et ad opus dicti dni comitis, vendit in perpetuum decem lb. Maur. annui redditus, percipiendas super pedagio suo quod apud Sanctum Mauricium Agaun. percipit, et super omni jure eidem Humberto competenti in dicto pedagio, persolvendas quolibet anno dicto dno comiti in festo beati Martini hyemalis, pretio centum lb. bonorum Maur., de quo dictus Humbertus confitetur sibi integre satisfactum fuisse. Cumque ita esset quod dictum pedagium ypothecatum seu obligatum esset pro tertia parte obventionum dicti pedagii Beatrici uxori dicti Humberti pro dote sua sibi fore salva, que erat in quantitate IIII^{xx} lb. Maur., dictus Humbertus eidem Beatrici in recompensationem dicte ypothece obligavit omnia sua bona mobilia et immobilia. Cui venditioni dicta Beatrix expresse consensit et eamdem venditionem ratificavit. Inde preceptum est mihi notario infrascripto ut facerem publicum instrumentum ad utilitatem dni comitis supradicti, ad dictamen sapientum, sub sigillo capituli monasterii Sancti Mauricii Agaun. Datum quoad dictum Humbertum, apud Turrim Viviaci, supra pontem castri, testibus ad hoc vocatis et rogatis, videlicet Amedeo nepote Hugoneti predicti et Perrodo de Melduno clerico, Percevallo de Solerio civi Astensi et Aymone de Yverduno, XII kl. aprilis. Et actum quoad dictam Beatricem, apud Montheolum, anno et indictione quibus supra, X kl. aprilis, in domo dicti Humberti, testibus ad hoc vocatis, videlicet Johanne filio Jaqueti Fabri de Monthez clerico, etc., et ego Petrus de Orba publicus notarius, etc. Ad

majorem autem firmitatem omnium premissorum dictus notarius presens instrumentum levavit vice mei P. de Frasciis cantoris monasterii Sancti Mauricii Agaun., etc. Ad majorem autem iterum firmitatem et certitudinem omnium premissorum ego predictus Humbertus sigillum meum, unacum signo dicti notarii et sigillo capituli supradicti, apposui huic publico instrumento.

1190

Guillemette Livréta vend un cens à Jean, diacre de l'église de Sion, et à Pierre, frère de ce dernier.

Sion, 1303, 24 mars.

Archives de la famille de Torrenté, Liber instrum. de Seduno, de Bramosio, etc., f. 98.

* Notum, etc., quod ego Willermeta Liureta, laudatione Martini, Raymunde et Agnesaule liberorum meorum, vendidi pro XVII sol. Maur. Johanni dyacono Sedun. ecclesie et Petro fratri suo vnum fichillinum silliginis censualem, quem michi debebant super ripis de Clauaut, que habentur in feudum a quondam Alberto saltero Sedun., quem fichillinum cum alio fichillino censuali dnus Bonifacius Sedun. episcopus michi dedit pro campo meo sito retro et in pede de Turbyllion, qui de nouo colitur ad vineam. De qua venditione dicti fratres dimiserunt Johannete amite sue medietatem acquisiti et medietatem pecunie persolute. Actum Seduni, IX kl. aprilis, anno Dni M°CCC° tercio, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1191

Ysabelle de La Bâtia fait remise de certaines redevances aux hommes de Vercorin.

Vercorin, 1303, 2 mai.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 139.

* Ego Ysabella de la Bastia de Granges, Katherina filia mea impuber erat, quictaui et finaui omni communitati hominum de Vercorens tale auxilium quale michi debebant ad filiam maritandam et ad militem novum, item tale jus quod habebam super predictam communitatem ratione alpis de Orgiual, exceptis quatuor sol. Maur. seruicii. Testes: W. de Anniuesio domicellus, P. Lioneti de Granges, etc. Datum apud Vercorens, anno Dni M.CCC.III, IV nonas decembris.

1192

Accord entre le curé de Grimisuat et les dîmeurs d'Ayent et de Grimisuat.

Sion, 1303, 5 août.

Archives de la famille de Torrenté, Copia litterarum de Ayent, f. xxx.

Notum, etc., quod cum discordia verteretur inter dnum Mauricium curatum de Grimisolio, ex vna parte, et decimatores de Ayent et de Grimisolio, ex altera, super eo quod dnus curatus petebat nomine ecclesie decimam noualium, et dicti decimatores asserebant quod ad dictum curatum nulla decima pertinebat in noualibus predictis, tandem dicta discordia, laudatione reuer. in Christo patris dni Bonifacii Dei gratia episcopi Sedun., capituli eiusdem loci, Petri de Turre dni Castellionis in Valesio, Petri Fontanna domicelli, Francisci de Sasson,

Jacobi de Capella, Nantelmi de Ayent domicelli, Vulliermi et Mathei de Grimisolio, sopita est in hunc modum, quod dictus curatus nomine suo et ecclesie sue et successorum suorum pro rebus infra scriptis finauit penitus et remisit dictis decimatoribus predictam decimam noualium, excepta decima terrarum nobilium de Grimisolio. Dicti vero decimatores dederunt perpetue dicto curato et ecclesie sue totam decimam quam accipiebant siue accipere poterant de cetero in terris, pratis et vineis quas modo tenet dnus curatus, uel tenebunt in futurum ipse uel sucessores sui nomine ecclesie predicte in districtu parrochiarum de Ayent et de Grimisolio, item decimam terrarum de Crista Surgat a terra Petri de Curia usque ad terram eys Auenturous, a medio Combe versus Cristam Surgat. Actum est etiam quod si dictus curatus siue successores sui de possessionibus dicte ecclesie vendidissent siue alienassent quoquomodo, decima illarum possessionum alienatarum dictis decimatoribus totaliter deuoluatur... Testes: dnus Bonifacius archidiaconus Augustensis et canonicus Sedun., Anthonius Huboldi, canonicus eiusdem loci, dnus Johannes Boneti curatus de Sancto Germano, etc., et dnus Petrus curatus de Magy, qui, etc. Actum Seduni, in curia episcopali, nonas augusti, anno Dni M°CCC° tercio.

1193

Amphélice, veuve de Boson de Chaley, donzel, vend à l'évêque de Sion le fief que son mari tenait de ce dernier.

Chaley, 1303, 18 août.

Archives de Valère.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod ego Amphelix, relicta Bosonis de Chaler domicelli, non vi, non dolo neque metu



ad hoc inducta, sed voluntate spontanea mota, vendidi et finaui, cessi et quitaui perpetue, pro quinquaginta lb. Maur. michi solutis et pro centum sol. Maur. redditus michi vel mandato meo ad vitam meam tantum, infra festum beati Nicholai yemalis anno quolibet persoluendis ab isto anno in antea, reuerendo in Christo patri dno Bonifacio Dei gracia Sedun. episcopo et eius successoribus catholicis totalem vsumfructum meum qualem habeo, seu habere debeo in bonis et rebus omnibus quondam dicti Bosonis mariti mei. Que res et bona, ut credo et intellexi, sunt de feodo homagii dicti dni episcopi. Que res quas sibi vendidi sunt hec: primo due partes domus de Chaleir quondam dicti Bosonis et due partes domus de castro de Sirro. Item septem homines ligii et talliabiles annis alternis, cum albergamentis et tenementis ipsorum et omnibus pertinenciis eorumdem, exceptis tamen rebus que allodia vel de alterius feodo probarentur. Qui homines sunt hii, videlicet Petrus dou Coster de Vercorens, Warnerus de la Crista eiusdem loci, Giroldus li Vidondos de Vercorens, albergamentum eis Paillioz eiusdem loci, item albergamentum Alnoldi de Chaler, Abel de la Sala de Chaler, Michael de Chipiz, cum talliis, seruiciis, placitis et vsagiis que debent homines supradicti. Item feodatarii hii qui sequuntur, videlicet Perroniers dou Chablo de Vercorens, Jaquemiers li Crespos, liberi Petri donni Aymonis deis Ocches de Vercorens, Johannes filius Aymonis ou Juhantz Lamyonz, Blanchus dol Cuson de Vercorens, Marchiandus de Chaler, Jorius Chandeleir de Granges, Brunyers Platters de Chermignon, Johannes des Places eiusdem loci, Martinus Chasseyla de Montana, et quicquid debent feodatarii supradicti. Item nouem fischelini siliginis, ad mensuram de Granges, censuales, quos debet vno anno Warnerus de Crista de Vercorens, et alio anno debet quatuor feschelenos tantum. Item quatuor fischelini siliginis censuales, quos debet albergamentum Arnoldi de Chaler annuatim. Item Abeloz de Chaler tres fische-

linos siliginis altero annorum. Vldricus dou Maresc de Vercorens debet duos fisch. siliginis annis alternis. Item li Wigiers de Vercorens debet duos fischelinos siliginis annis alternis. Item Petrus Pelliciers sex den. seruicii et sex den. placiti. Item Perronyers li Maiors de Vercorens vnum fischelinum siliginis altero annorum. Petrus dou Coster dimidium fisch. fabarum annuatim. Item vinea de Chaler que continet in se circa decem fossorarios, cum decem lb. quas habet super dicta vinea. Item virgultum existens sub domo de Chaler. Item pratum Bona Filly. Item pratum de la Comba et quicquid habeo in ipso prato et quicquid habeo in prato Habandona, sito apud Chaler. Et quedam lista paruula prati iuxta aliud pratum. Item casale situm apud Chaler. Item grangia de Chaler et pratum contiguum ipsi grangie a parte subteriori. Item pars mea prati Contamine, circa duas sectoratas. Item pratum dou Tombe apud Chaler de ley uer. Item totus campus Contamine, continens tria bona jugera, site apud Chaler. Item campus dou Perren, scilicet vnum juger. Item campus dou Bulliet, scilicet dimidium juger. Item campus dou Perrer de super, scilicet dimidium juger. Item sore Sala vnum juger terre, apud Chaleir. Item campus dou Noier, vnum juger. Et pontenagium rippe seu riuagium quod habeo in Rodano, scilicet duas partes hinc et inde, ab aqua de la Raspilli vsque ad aquam de la Ressi. Et quicquid aliud reperietur de rebus, jure et albergamento quondam dicti Bosonis mariti mei in parrochiis et contractis de Chaler, de Chipiz, de Granges, de Gironda, de Sirro, de Vercorens et de Lenz, excepta decima de Chaler, que est de feodo Petri de Turre. Item vinea Doiz vendita est cum rebus predictis, sita inter vineas Petri Lionet et vineam Willermi de Aniuesio. Et excepto virgulto sito apud Chaler, subtus domum Willermi Joio et iuxta Rodanum. Quas res exceptas ad me retineo, salua dicti dni episcopi et alterius ratione. Excepto eciam passagio Rodani, quod libere ad me

retineo quociens michi et rebus meis opus fuerit et necesse. Item voluit dnus episcopus quod quocumque anno non solnerentur michi vel mandato meo integre centum solidi predicti, dum vixero, termino supradicto, quod ego plenum et liberum recursum habeam auctoritate propria super omnibus rebus et singulis supradictis, et ipsas teneam et possideam per me uel per alium, donec de dicto redditu non soluto fuerit michi plenarie satisfactum, facturo ipso dno episcopo vsagia, si qua debeantur de predictis. Quos quidem centum sol. annis singulis, dum vixerit dicta dna, assignamus nos dictus episcopus eidem percipiendos et habendos super tallia nostra de Leuca, mandantes tenore presencium saltero nostro de Leuca vt dictos centum sol. eidem per dictum tempus persoluat pacifice et quiete; et nos debemus eciam vsagia infrascripta, scilicet duos sol. Jacobo Dauaul, de quibus debet Warnerus de Crista duodecim den., et Boso Alnoldi VI den., et Stephaneta filia quondam Bosonis de Chaler sex den. Inde rogauimus nos tam prefatus episcopus emptor quam dicta Amphelix venditrix et precepimus cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: dnus Willermus curatus de Leuca, dnus Johannes Boneti, curatus Sancti Germani, dnus Petrus Falconis, Aymo de Crista de Leuca, Nicholetus de Maladeria, Johannes Aspere, clerici de Vercorens, Thomas et Matheus mistrales de Leuca, fratres, Jaquetus li Parrare de Ressi, Brunetus mistralis de Granges, Anthonius de la Bonnauentura de Heruens, Petrus dol Coster de Vercorens, Nicholetus de Castro de Sirro, Petrus Magnus de Aniuesio et quam plures alii, et dnus Petrus curatus de Vercorens, qui juratus super hoc hanc cartam leuauit, vice capituli Sedun. cancellariam tenentis, vice cuius ego Johannodus dictus de Auboreynges de Viuiaco, clericus, juratus super hoc eam scripsi. Cui si quis, etc. Actum apud Chaler, ante domum predictam, in viridario, XV kl. septembris, anno Dni M°CCC° tercio, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1194

Statuts synodaux du diocèse de Sion.

1303, 18 septembre.

Archives de la paroisse d'Ernen; copie de M. Ferd. Schmid.

In nomine Dni nostri Jehsu Christi, Amen. Nos Bonifacius permissione diuina Sedunensis episcopus, hoc die, scilicet XIIII° kl. octobris, anno Dni M°CCC° tercio, in presencia priorum et curatorum tam ciuitatis Sedun. quam eiusdem dyocesis sanctam synodum celebrantes, infra scriptas constituciones et statuta ipsis presentibus et nobis assistentibus facimus, statuimus et ordinamus.

Inprimis monemus, inducimus et ortamur vt constituciones et statuta SS. Patrum, canones concilii et decretales Romanorum Pontificum, nec non et leges promulgate contra hereticam prauitatem et pro libertate ecclesiastica, et omnes constituciones et statuta per dnos archiepiscopos Tarentasienses in prouinciali concilio edita, et constituciones et statuta edite siue edita tam per nos quam per predecessores nostros, tam super cultu diuino quam super vita et honestate clericorum et omnibus aliis, inviolàbiliter obseruentur. Et quum humana natura sepe labitur ad delicta et noua experimenta morborum cogunt nos nouas medicinas necessario invenire, idcirco propter quasdam nouitates nuper et nouiter attemptatas tam contra neruum ecclesiastice discipline quam contra cultum diuinum, prouidimus facere et salubriter publicare et addere ante dictis, alia omnia et singula nichilominus confirmantes, vt saltem harum penarum metu transgressores penitus debeant a uetitis abstinere.

Primo statuimus, precipimus et ordinamus, quod omnes et singuli curati per se uel per eorum vicarios singulis diebus



dominicis uel saltem semel in mense publice dicant in ecclesiis suis et denuncient populo, quod hii qui sunt maioris excommunicacionis, scilicet a canone uel ecclesiastico iudice ordinario, delegato uel subdelegato late vinculo innodati, non possunt iudicare de causis secularibus uel aliis quibuscumque, nec possunt esse testes aut aduocati in foro ecclesiastico siue eciam seculari, nec possunt eciam regulariter testamenta facere aut ex testamento aliquid, scilicet legatum uel aliud capere, nec eciam heredes institui, eorumque sentencia non valet ipso iure, sed est nulla, et iudices coram quibus excommunicati excommunicacione maiori, vt supra dictum est, aliquid agendo uel reconueniendo petunt, eos repellere ab agendo ex officio tenentur, si sciant illos excommunicatos taliter fore, eciam si per partem aduersam eis non opponatur, peccantque tam iudices quam alii, exceptis quibusdam personis, domesticis, filiis, seruis, mercenariis et uxoribus eorumdem, communicando scienter cum eis.

Item cum alias statutum fuerit, id idem iterum statuimus et eciam innouamus, quod quicumque scienter in excommunicacione maiori nequiter per annum uel plus steterit, saluis aliis aggrauacionibus, que ante fieri debent, eius excommunicacio taliter aggrauetur, scilicet quod saluo ere alieno et primo creditoribus satisfactis, eius bona conficentur et feuda ad requisicionem nostram per dominos feodorum sine fraude aliqua sasiantur et sasita detineantur, quo vsque dicti excommunicati absolucionis beneficium meruerint obtinere; ita quod per hec et alia prudenter et statuto episcopali docente, ad gremium sancte ecclesie reuertantur, et nichilominus puniantur banno LX solidorum Maur. et aliis penis de consuetudine introductis et per iura siue statuta predecessorum nostrorum et nostra eciam promulgatis, vt pena docente senciant quam graue sit excommunicacionis sentenciam tamdiu sustinere.

Item statuimus in virtute obediencie et precipimus, vt sin-

guli curati per se uel eorum vicarios qui statuta synodalia habere tenentur, prout alias statutum extitit, ipsa statuta nunc et alias edita quater in anno saltem de verbo ad verbum legere debeant et studere, et statuta populo necessaria annis singulis pluries explicare, ne pretextu negligencie seu eciam ignorancie tam ipsi quám eorum subditi ipsorum statutorum effici valeant transgressores.

Item statuimus ac eciam prohibemus ne aliqui iudices, ballivi, castellani, vicedomni, maiores, nobiles, salteri, ministrales uel aliqui, quicumque sint, iurisdictionem habentes potissime diebus dominicis et festiuitatibus solempnibus audiant causas subditorum suorum aut tractatus seu arbitria uel composiciones exerceant in cimisterio uel circa confines cimisterii, quamdiu missa parrochialis celebrabitur in parrochiali ecclesia, sed tunc cessent penitus ab eisdem, ne hora diuino cultui deputata aliis usibus deapplicetur, et parrochianos ab ecclesia recedentes oporteat, quum dicta fuerint aut precepta per suos capellanos, aliquatenus ignorare. Alioquin contrarium facientes maledictionem nostram se nouerint incursuros, nec absoluantur ab ipso contemptu et inobediencia per suos sacerdotes uel quemcumque alium, donec ecclesie, cuius cultum taliter impedierint, satisfecerint competenter, et a nobis beneficium absolucionis meruerint obtinere; et hoc salubre statutum precipimus per curatos uel eorum vicarios frequenter in ecclesiis publicari. Processus autem qui fient et sentencie que ferentur per quoscumque iudices seculares nunc uel alias infra ecclesiam uel cimisterium, iuxta statuta generalis concilii pronunciamus, decernimus et decerni precipimus nullos et nullius fore ac irritos et irritas ipso iure.

Item cum alias in statutis synodalibus prohibitum extiterit, quod nullus sacerdos in ciuitate Sedun. commorans beneficiatus ibidem missam celebrare presumat, nisi fuerit ad matutinas in choro ecclesie superioris uel inferioris, quod statutum,



provt a fide dignis inteleximus, sacerdotes predicti Seduni commorantes non obseruant, penam ipsi statuto addicimus, scilicet quod sacerdotes contrarium facientes omnes oblaciones ipsius misse, quam ipsa die celebrabunt, amittant, que per sepmariarium vtriusque ecclesie statim pauperibus erogentur, quas oblaciones si retinuerint predicti sacerdotes, duplum nobis infra VIII dies restituere teneantur, alioquin penam suspensionis incurrant.

Item statuimus, quod quicumque promotus fuerit ad ordinem sacerdotis, a die ordinacionis sue missam suam celebrare teneatur infra XL dies continuos postmodum subsequentes, nisi fuerit legitimo impedimento detentus uel licenciam a nobis obtinuerit specialem, de quo impedimento nobis fidem facere teneatur, alioquin nouerit se ab officio suspensum, donec a nobis beneficium absolucionis meruerit obtinere. Curati autem et alii beneficiati in suis beneficiis existentes, qui per annum a celebracione missarum cessauerint, cum contra eos sit merito presumendum, ab officio ex tunc nouerint se suspensos, nisi fuerint legittimo impedimento detenti, de quo ante dictum tempus nobis fidem facere teneantur. Seruitores potissime sacerdotes ecclesie Sedun. inferioris uel superioris ad synodum de cetero intersint, audituri verbum Dei et alia precepta synodalia, alioquin penam X solidorum incurrant.

Item cum constitutum sit in constitucione nouella summi pontificis dni Bonifacii pape VIII quod omnes et singuli iuridictionem ecclesiasticam impedientes in casibus, in quibus ecclesiastici iudices de iure uel de consuetudine consueuerint iudicare, sunt excommunicati ipso facto et ipso iure, precipimus, vt per curatos uel vicarios singularum ecclesiarum hoc salubre statutum saltem semel in mense wulgariter in presencia populi puplicetur, ne transgressores pretextu ignorancie a pena statuta se valeant excusare, quum ex quo vetiti fuerint, eos dignum est sustinere.

Item de creditoribus litteras, cartas et instrumenta cuiuscumque generis post solucionem factam retinentibus statuimus, vt facta solucione totali litteras et instrumenta..... ex tunc excommunicacionis vinculo se nouerint innodatos, et nichilominus ad arbitrium sui iudicis puniantur; quod quidem statutum precipimus singulis mensibus per curatos uel vicarios in ecclesiis publicari.

Item statuimus, quod curati uel eorum vicarii annis singulis teneantur nobis in scriptis reddere nomina subditorum uel parrochianorum suorum, qui dictam excommunicacionis sentenciam sustinuerint per annum contra contemptum ecclesie discipline annimo indurato, vt habita eorum noticia iuxta formam iuris et statutorum nostrorum et predecessorum nostrorum taliter puniantur, quod metu pene alii a similibus arceantur.

Item precipimus omnibus et singulis curatis, quod hec statuta vna cum aliis infra mensem habeant et scribi faciant, et secum singulis annis, quum sancta synodus celebrabitur, deferant ad synodum sub pena et sentencia in alio statuto contenta.

1195

Pierre, sénéchal de Sion et vidomne de Rarogne, vend une maison, une vigne et un verger à Pierre Esperlin, major de Rarogne.

Rarogne, 1303, 22 octobre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Petrus, senescalcus Sedun. et vicednus de Rarognia, laudatione Katherine vxoris sue, vendit pro XX lb. Maur. Petro dicto Esperlin, maiori de Rarognia, domum cum casali, vinea et curia apud Rarogniam et pomarium retro castrum de Ra-



rognia, quod fuerat quondam Rodulphi vicedni de Rarognia avunculi sui, et agrum du Goukheyt. Testis, Jo. filius quondam Willermi de Vespia domicelli. Datum apud Rarogniam, anno Dni M.CCC.III, XI kl. nouembris.

1196

Jocelin de Viége fait remise à Jean de Glurigen de l'hommage que ce dernier lui devait.

Viége, 1303, 10 novembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Jocelinus de Vespia maior, laudatione Petri filii sui, vendit et remittit pro XV lb. Maur. Johanni filio quondam Nicolai de Gluriguen homagium ligium quod ipsi debebat et seruicia nomine homagii debita. Testes : Johannes de Raronia capellanus dicti Jocelini, Johannes de Vespia domicellus. Datum apud Vespiam, anno Dni M.CCC.III, IV idus nouembris.

1197

Boniface, évêque de Sion, recommande à son clergé les quêteurs que l'abbaye de Saint-Maurice envoie afin de recueillir des dons pour l'entretien de deux cierges devant les reliques des martyrs thébéens.

1303, 30 novembre.

Arch. de l'abbaye de Saint-Maurice, Livre de la Val d'Illiez, p. 101.

Bonifacius, permissione diuina Sedun. episcopus, vniuersis et singulis prioribus, curatis, vicariis ac aliis ecclesiarum rectoribus in ciuitate et dyocesi Sedun. constitutis, ad quos pre-

sentes littere peruenerint, salutem in Filio Virginis gloriose et sic gerere curam animarum ne in stricti judicii portionem capiant ab iniquis, quoniam, ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, de omnibus que gessimus sententiam recepturi, siue bonam siue malam. Cum igitur in reuelatione sanctissimi Mauricii martiris Christi, sociorumque eius a fratribus illius beatissime ecclesie tam deuote quam liberaliter fuerit institutum, ut in eo loco in quo reliquie felicissimi martiris et sociorum eius florent et requiescunt, duo cerei nocte dieque lucere deberent, et hoc salutare misericordie institutum usque nunc feliciter extitit obseruatum, et ad hoc quod in posterum obseruari possit, elemosine fidelium quam plurimum necessarie esse noscuntur, vniuersitatem uestram rogamus et vobis in virtute sancte obedientie precipimus, quatenus nuntios illorum latores presentium in ecclesiis vestris amicabiliter et benigne recipiatis et honeste tractetis, parrochianos uestros ad audiendum mandatum apostolicum et nostrum conuenire moneatis ad diem quem vobis electi nuntii nominabunt, et ubi dicti nuntii interesse non poterunt, vos pro eis ad mandatum ipsorum predicationis officium assumatis fideliter pertractantes, et quod receperitis, sine retentione aliqua dictis nuntiis reddatis. Insuper volumus et eis liceat verbum Dei, quando voluerint, ante euangelium uel post salubriter predicare. Indulgentias vero quas venerabiles patres archiepiscopus Tarantasiensis, episcopi August., Gebenn., Lausanen. concesserunt pro iam dicto negotio, in nostra diocesi concessimus valituras. Nos vero de omnipotentis Dei gratia et misericordia, beatorum apostolorum Petri et Pauli ac beati Theodoli patroni nostri et omnium Sanctorum meritis confidentes, omnibus vere penitentibus et confessis qui ad.....[1] opus manus suas porrexerint adiutrices, quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus semper valituris, donec ipsas

[1] En blanc.



duxerimus reuocandas. Datum cum appositione sigilli nostri, pridie calendas decembris, anno Dni millesimo tercentesimo tertio.

1198

Pierre, vidomne de Sion, reconnaît devoir 68 L. pour compléter la dot de sa sœur Amphélisie, épouse de Nantelme d'Ayent.

(1303-1310.)

Copia litterarum de Ayent, f. xxxviij verso.

Nos officialis curie Sedun. notum facimus vniuersis quod in nostra presentia in judicio constituti Petrus vicedominus Sedun., ex vna parte, et Nantelmus de Ayent domicellus, maritus Amphelisie sororis dicti Petri, ex altera, dicte partes confesse fuerunt se venisse ad bonum, legalem et finalem computum de dote dicte Amphelisie, et facto legitimo computo remansit idem Petrus debens dicto Nantelmo nomine dotis dicte Amphelisie, prout ipse idem confessus fuit, sexaginta et octo lb. Maur. ex causa dotis predicte. Quam pecunie quantitatem idem Petrus promisit stipulatione solempni et fide sua, etc., soluere integre et perfecte dicto Nantelmo uel eius mandato, etc.

Pierre a été vidomne de Sion de 1303 à 1310.

1199

Guigone d'Anniviers donne à Isabelle de La Bâtia la moitié de ses droits sur l'alpe d'Orgivaux.

Anniviers, 1304, 12 janvier.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 140.

* Ego Guigona de Anyuesio, relicta dni Jacobi de Aniuesio

militis, laudacione Jo. filii mei, dedi dne Ysabelle de la Bastia de Granges medietatem iuris quod habebam in alpe de Orginaux de Vercorens, scilicet in filiabus maritandis et in nouis militibus et in aliis auxiliis que debent facere homines et communitas de Vercorens, exceptis IIII sol. Maur. seruicii. Testes: W. de Aniuesyo domicellus, dnus Raynaldus capellanus de Aniuesyo, donnus Martinus de Luc mistralis meus. Datum apud Aniuesium, anno Dni M.CCC.IV, II idus januarii.

1200

Testament de Clémence, veuve de Jean de Morestel.

Sion, 1304, 28 janvier.

Archives de Valère.

* Ego Clemencia, relicta Johannis de Morestello, facio testamentum meum in hunc modum. In primis lego confratrie Sancti Spiritus Sedun. duos fischilinos siliginis censuales, quos assigno percipiendos super partem meam totalem grangie quam ego et Michael filius meus emimus a Willermo de Morestello domicello, site es Abandonaz, ita ut fratrem et confratrem teneantur perpetue hospitari. Item lego altari perrochiali B. Marie Sedun. et curato dimidium fischil. silig. cens., et alium dimidium confratrie B. Marie, quam regit capitulum Sedun.; quem fischil. assigno percipiendum super molendino quod tenet Johanneta li Mugneri et Johannes maritus eius in feudum a me, et quem acquisiui a Petro de Mulignon, vna cum aliis VII fisch. super dicto molendino dicto dou Trueil. Item assigno anniuersarium meum et Johannis de Morestello, quondam mariti mei, super dicta grangia usque ad summam V sol. annuatim, ita quod dicto curato offerantur XII panes et totidem candele, et residui IIII^or sol. in candelis et panibus ceteris al-

taribus offerantur. Volo etiam quod filii mei, solutis censibus et anniuersario, residuum diuidant inter se. Item lego filie mee lectum unum garnitum, scilicet culcitram, puluinar et II lintheamina, item consimilem lectum garnitum filie naturali Johannis de Morestello; item unum lectum garnitum domui Montis iouis; item Beato Anthonio meliores vestes meas. Testes: Willermus gener meus, etc., et ego magister Martinus, cancellarius capituli Sedun., etc. Actum Seduni, V° kl. februarii, anno Dni M°CCC°IIII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1201

Vente faite par Emma de la Cour à Nicolas de Viége, donzel.

Viége, 1304, 30 janvier.

Cartularium ecclesie de Vespia, p. 91, N° lxxiiii.

* Anno incarnationis Dni millesimo CCC IIII°, indicione IIa, tercio kl. februarii, in villa de Vespia, Hemma, relicta Vldrici in Curia de Eycholtz, vendidit pro viginti lb. Maur. Nycolao domicello, filio quondam dni Jacobi de Vespia militis, totam terram seu possessiones iuxta pontem illorum de Vespia, videlicet prata, agros, domos, grangias, etc., que omnia olim fuerant Lantmani de Vespia, hiis condicionibus adiectis quod dictus Nicolaus soluere (teneatur) annuatim seruicia infrascripta, videlicet Petro Esperlino, maiori de Rarognia, triginta sol., item Petro dicto Fontana de Ayent domicello duos modios siliginis, item Jacobo de Lauota duos mod. silig., item ecclesie Beati Bartholomei apostoli in valle Sausa sex fissilinos silig., item alia parua seruicia denariorum tres sol. Testes: Johannes de Vespia domicellus, Rudolphus ab Blattun, Anselmus Asper, Petrus eius frater, etc.

1202

Vente faite par Pierre Laquenessa à Pierre de La Tour, donzel.

Brigue, 1304, 14 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Notum, etc., quod ego Johannes filius quondam Petri dicti Laquenessa de Simplono vendidi pro octoginta lb. Maur. Petro de Turre domicello, dno Castellionis, octo lb. Maur. seruicii, quas michi debebat Rikardus maior de Simplono de possessionibus que sequuntur, scilicet de domibus, casamentis que a me tenebat in feodum infra villam de Simplono, item sex sectoria prati in dien Slottern, item omnes alias possessiones que ad ipsum Rikardum et Gregorium fratrem suum ibidem pertinent, item pratum cui dicitur dv Slvkt matta, quod continet IIII sectoria prati, item quicquid ad dictos fratres pertinet ibidem, etc. Testes : Hugo de Raronia, Johannes Magnus de Vespia, Marquetus de Vespia, domicelli, etc. Actum apud Brigo, XVI kl. martii, anno Dni M°CCC° quarto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1203

Hugues de Rarogne, donzel, vend un homme lige à Guillaume Wafferoth.

Sion, 1304, 20 février.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Hugo de Rarognia domicellus vendidi et finaui perpetue pro sex lb. Maur. Willermo dicto Wafferoth, commoranti apud Seya, Jacobum dictum Marbero hominem li-



gium meum, cum omni feudo, dominio, hominio, jure, ratione, seruiciis, talliis, vsagiis, clamis, bannis, frewariis, superseruiciis que tenet a me et eius comparticipes in dicto feudo, et jacet apud Nas. Quod feudum michi vendidit Willermus de la Rochi domicellus. Quod feudum fuit de hereditate quondam Thome de Rarognia domicelli et dni Petri de Rarognia militis, patris sui. Quod feudum debet annuatim sexdecim sol. cum aliis vsagiis ad dictum feudum pertinentibus. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : Nycholaus de Vesbia domicellus, salterus Sedun., Petrus de Montez, cancellarius de Ayent, domicellus, Petrus dictus Esperlins de Rarognya et magister Martinus cancellarius capituli Sedun. qui, etc. Actum Seduni, in curia episcopali, X kl. marcii, anno Dni M°CCC°IIII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1204

Jean de Romont vend un cens de deux coupes de froment aux lépreux de la maladrerie de Saint-Maurice.

Saint-Maurice, 1304, 22 février.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

* Nos Humbertus de Sala legum professor, judex in Geben. et Chablasio pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, notum facimus quod, sicut nobis constat per relationem Mauricii Quarterii de Sancto Mauricio, iurati curie dicti dni comitis, in eius presencia constituti Johannes dictus de Rotondomonte de Sancto Mauricio, Willermetus et Martinodus filii sui vendiderunt Perrete leyprose maladerie de Sancto Mauricio, ementi nomine suo et aliorum leyprosorum maladerie ac successorum suorum, duas cupas frumenti de censu, ad mensu-



ram Sancti Mauricii, precio triginta duorum sol. Maur. Quas duas cupas iidem venditores assignauerunt percipiendas super vnum jornale terre situm supra maladeriam, in plano de Vigniez, iuxta terram mistralis de Chieses, item super campum suum situm es Goletes. In cuius rei testimonium nos prefatus judex sigillum curie dicti dni comitis duximus presentibus apponendum. Actum apud Sanctum Mauricium, in festo Sancti Petri in cathedra, anno a nativitate Dni M°CCC° quarto.

Fragment du sceau.

1205

Soffred de Chamoson, donzel, vend une vigne à François, fils mineur de maître Jacques.

Sion, 1304, 7 mars.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Soffredus de Chamoson domicellus, vicednus de Chamoson, vendidi et finaui perpetue, pro tresdecim lb. Maur. michi solutis et pro duobus den. seruicii et quatuor den. placiti, magistro Martino, canonico Sedun., administratori bonorum Francisci pupilli quondam Jacobi magistri, ad opus dicti pupilli, vnam peciam vinee sitam infra clausum meum de Marcueyl, apud Chamoson, que pecia extimata est ad octo fossoratas. Promisi quod pecia predicta non est Amphelise vxori mee aut persone alicui alteri obligata, et quod dicta vxor mea presentem venditionem laudabit. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic uocantur : viri venerabiles dnus Bonifacius archidiaconus Augustensis, Willermus de Sancto Mauricio iuris peritus, Johannes de Cruez, Johannes Donzelz de Chamoson, Walterus de Bodemo, Willermus Chartra de Chamoson, dnus Petrus filius eius curatus

de Saxon et dnus Petrus curatus de Magy, qui juratus, etc. Actum Seduni, ante Beatum Theodolum, nonas marcii, anno Dni millesimo CCC°IIII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante. Postmodum Amphelix uxor dicti Soffredi presentem cartam laudauit, apud Gironda in claustro, idus marcii, anno Dni millesimo CCC° quarto.

1206

Fondation d'un hôpital à Brigue.

Naters, 1304, 23 mars.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II, ex libro Brigæ.

D. Bonifacius episcopus Sedun. dedit et in perpetuum concessit in elemosinam pro hospitali faciendo Johanni Chandeler c. s. et fratri Jordano de Augusta dicto casale domus cum muris, que fuit Petri de Augusta militis, apud Brigam, pro una lb. piperis annualiter solvenda et placito pertinente. Item Johannes comes de Narres dedit eidem jus suum quod habet in dicto casali pro 6 den. cum placito pertinente. Retinens sibi D. episcopus et successoribus collationem et jus patronatus hospitalis predicti. Apud Saxum, 1304, 9 cal. aprilis.

1207

Perret de la Cour vend un cens de seigle à Jean Daz.

Sion, 1304, 24 avril.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Perretus de Curia de Grimisua, laudatione Willermete vxoris mee, cuius laudem recepit dnus

Mauricius curatus de Grimisua, laudatione Jaquete filie quondam dni Walteri de Chamoson militis et Nantelmi mariti eius, vendidi et finaui perpetue, pro sex lb. Maur. michi solutis et pro tribus den. seruitii et sex den. placiti, Johanni filio quondam Petri Daz nouem fisch. siliginis censuales, quos michi debet Aymo li Cristina de Myojo et fratres sui, item unum resset cum uno socio de pane et de vino, de duabus carnibus, item tres den. seruitii et sex den. placiti; que omnia michi debent Aymo et fratres sui predicti. Inde rogaui, etc. Actum Seduni, VIII° kl. maij, anno Dni M°CCC°IIII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1208

Sentence arbitrale entre la commune de Savièse et celle de Conthey, Plan-Conthey et Vétroz au sujet des pâturages.

Près de la Morge, 1304, 1er mai.

Archives de la famille de Torrenté, copie.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod cum lis, controuersia, discordia, siue questio verteretur inter Willermum salterum de Seta et Johannem de Canali de Eschandulins, sindicos, procuratores et actores communitatis de Sauisia, prout de dicto sindicatu seu procuratione constat per quoddam publicum instrumentum actum et consignatum per manum Amedei de Reyna, auctoritate imperiali notarii publici, et est sigillo reuer. in Christo patris ac dni B. Dei prouidencia episcopi Sedun. sigillatum, nomine suo et predicte communitatis, ex vna parte, et Petrum de Herdes et Willermum Alamant, burgenses de Conteiz, sindicos, procuratores et actores communitatis contrate siue parrochiarum de Conteiz, de Plan Conteiz et de Vertroz, prout de dicto sindicatu et procuratione

constat per quasdam litteras sigillo illustris viri dni A. comitis Sabaudie sigillatas, nomine suo et predicte communitatis, ex altera, super eo quod predicti sindici, procuratores vel actores dicte communitatis de Sauisia dicebant et asserebant ipsos homines de Sauisia esse in possessione vel quasi et jus habere faciendi maeyns, siue habitacula, aut domunculas que vulgaliter maeyns nuncupantur, causa habitandi et pernoctandi cum bestiis suis a loco siue ab aqua que vocatur Rogny, per pascua communia vsque ad aquam que vocatur Chaudra, et ab aqua que vocatur Chaudra vltra ad aquam que vocatur Morgia, vsque in loco qui vocatur Glarey, in pede de Donel, per pascua communia et in locis suis siue pratis propriis amazaz, que in dictis confinibus habebant vel habere consueuerant.

Item super eo quod dicti sindici et procuratores de Sauisia dicebant et proponebant, nomine quo supra, se esse in possessione vel quasi et jus habere vtendi pascuis communibus suis subtus Conteiz, et pascendi animalia sua in eis, et sectandi fena que communiter flax vocantur, et deportandi ea, vtendi insulis et nemoribus communibus sitis ab aqua que vocatur Morgia vsque ad aquam que vocatur Yserna a Rodano citra versus Conteiz, et quod illi de Conteiz, quocienscumque dicte insule siue nemora scindi debebant, id notifficare tenebantur publice in ecclesia sancti Germani dominica precedenti.

Dictis sindicis et procuratoribus dicte communitatis de Conteiz, de Plan Conteiz et de Vertroz in contrarium dicentibus et asserentibus, nominibus quibus supra, contra predictos sindicos et procuratores de Sauisia, ipsos non habere jus, nomine quo supra, in predictis pascuis atque locis, et ipsos non esse in possessione vel quasi predictorum, maxime et specialiter in monte ab aqua siue loco qui vocatur Rogny per pascua communia siue per loca et prata propria illorum de Sauisia vsque ad aquam que vocatur Chaudra, et a dicta aqua que vocatur Chaudra vltra ab aqua que vocatur Morgia vsque in loco qui

vocatur Glarey, in pede Donel, et ipsos non habere jus faciendi maeyns siue habitacula siue domunculas, que communiter et vulgariter maeyns nominantur, sed posse tantum vti illos de Sauisia cum bestiis suis pascuis communibus de die tantum, dicentes et asserentes, nominibus quibus supra, quod predicti de Sauisia cum bestiis suis a predictis locis de nocte recedere debeant cum animalibus et bestiis suis et redire vltra aquam que vocatur Morgia, versus montem de Sauisia ad pernoctandum ibidem, dicentes tamen et confitentes predicti sindici et procuratores de Conteiz, nomine quo supra, quod predicti de Sauisia in pascuis communibus, insulis et nemoribus omnibus sitis subtus Conteiz, ab aqua que vocatur Morgia vsque ad aquam que vocatur Yserna, a Rodano citra de versus Conteiz, jus habebant tantummodo scindendi et vtendi insulis et nemoribus predictis, cum communitas predicta de Conteiz scindere vellet per communitatem insulis et nemoribus superdictis, et quod predicti de Sauisia tantummodo jus habebant pasquerandi cum animalibus et bestiis suis in pascuis predictis subtus Conteiz de die tantum, de nocte vero dicebant et asserebant quod predicti de Sauisia cum animalibus suis recedere et redire debebant vltra Morgiam, versus partem de Sauisia, ad pernoctandum ibidem. In aliis vero, scilicet in flachis sectandis et in grosso nemore, videlicet in nemore quod vocatur daylles siue sappyns, negabant dicti sindici et procuratores de Conteiz, nomine quo supra, ipsos predictos de Sauisia jus habere vel in possessione vel quasi fuisse aut esse vtendi predictis.

Tandem post multas alterquaciones dicte partes, scilicet dicti sindici et procuratores de Sauisia, nomine quo supra, vna cum Bosone de laz Chinal, Anthonio de Crista, Benedicto de Chousua et Perreto de Prensieres, scindicis et procuratoribus cum predictis dicte communitatis de Sauisia, nomine suo et dicte communitatis et singulorum hominum dicte communi-

tatis, et predicti sindici et procuratores de Conteiz, nomine suo et predicte communitatis et singulorum hominum predicte communitatis, mediantibus communibus amicis scilicet Perroneto Huboldi castellano Seyte, domicello, Aymone de Herdes, Willermo Mareschet et Martino Rufo de Ormona ad talem venerunt super predictis transactionem, composicionem, pacem et finem, scilicet super controuersia que erat in monte, quod ea que sequuntur per partem vtramque debeant obseruari perpetuo et in nullo capitulo per partem alteram transgredi.

Primo quod a loco in quo pons nouus nunc existit, per quod itur de Sauisia in montem de Sernyz et de Coppet, vsque ad aquam que vocatur Aqua Nigra, de subtus viam inferius, et de aqua que vocatur Chaudra vltra vers Sorsex, vsque ad torrentem dou Buttie, per pascua communia inter illos de Conteiz et de Sauisia, siue per prata propria eorum de Sauisia, si qua in predictis locis habent vel haberent, possint predicti de Sauisia in futurum, siue contradictione aliqua et auctoritate propria, facere maeyns siue habitacula aut domunculas causa jacendi et pernoctandi cum suis bestiis; vltra vero predicta loca maeyns siue habitacula facere non debeant neque possint.

Item est dictum, adiectum et in pactum deductum quod communitas predicte contrate de Conteiz vel aliquis de dicta communitate non possint facere mayens siue habitacula a dicto ponte nouo, qui nunc est, vsque ad aquam que vocatur Aqua Nigra, de subtus viam inferius. Per alia vero loca et pascua communia et per propria prata sua, si que habent, dicta communitas predicte contrate de Conteiz possint facere maeyens siue habitacula, prout hactenus extitit consuetum.

Item dictum est et adiectum et in pactum deductum quod a dicto ponte nouo, qui nunc est, vsque ad predictam Aquam Nigram, de subtus viam inferius, dicta communitas contrate de Conteiz possit vti cum bestiis suis pascuis et nemoribus et

pasturare, exceptis les maeyns et exceptis pratis propriis illorum de Sauisia, si qua habent.

Et e conuerso illi de Sauisia omnibus pascuis et nemoribus dicti montis vti possint ab aqua que vocatur Rogny et pasquerare, exceptis pratis propriis illorum de Conteiz et maeyens eorumdem, si que habent.

Item est dictum, adiectum et in pactum deductum per sindicos et procuratores vtriusque partis quod, a die confectionis presencium litterarum in antea, nullus de communitate de Sauisia et de contrata de Conteiz debeat sibi adpreparare pascua communia de Sauisia et de Conteiz in dictis montibus existencia.

Item dictum est, adiectum et in pactum deductum quod illi contrate de Conteiz et predicti de Sauisia in dictis locis vti debeant pascuis et nemoribus et pasquerare modo et forma predictis, pacifice et quiete, absque eo quod illi de Conteiz aliquod dampnum inferant seu irrogent in pratis, alpibus et rebus propriis illorum de Sauisia ; et e conuerso absque eo quod illi de Sauisia aliquod dampnum in predictis alpibus et rebus propriis illorum de Conteiz non inferant seu irrogent.

Et si, quod absit, contingeret quod aliquis de communitate de Sauisia alicui de communitate de Conteiz, vel aliquis de communitate de Conteiz alicui de communitate de Sauisia in suis pratis propriis aliquod dampnum inferret siue faceret, quod vnus alteri illud emendare teneatur, prout hactenus consuetum extitit inter partes.

Item dictum est, adiectum et in pactum deductum quod dicta communitas de Sauisia possit et debeat vti cum bestiis suis pascuis communibus de subtus Conteiz a Morgia inferius vsque ad aquam de Yserna, a Rodano citra versus Conteiz, de die tantum, ita quod in nocte debeant redire vltra aquam Morgie versus Sauisiam et omni tempore prout hactenus est consuetum.



Item dictum est, adiectum, pronunciatum et in pactum deductum quod predicti de Sauisia de cetero vti debeant atque possint de insulis predictis de subtus Conteiz, a Rodano citrà, exceptis arboribus que daylles, sappins, larges, warnyos communiter nuncupantur, si qui sint vel nascerent in futurum, et exceptis los flax; que arbores de daylles, de sappins, de larges que venirent ibidem cum flachis predictis possit predicta communitas contrate de Conteiz scindere et seyare sine communitate de Sauisia, ad suam plenariam voluntatem. Jus vero si quod habebat aut habere poterat predicta communitas de Sauisia in predictis arboribus de daylles, sappins, de laries et de warnyos in predicto loco de subtus Conteiz et in predictis flacis seyandis et recolligendis a Morgia vsque ad Ysernam, predicti sindici, procuratores et actores de Sauisia, nomine suo et dicte communitatis de Sauisia, predictis sindicis, procuratoribus et actoribus contrate de Conteiz, presentibus et recipientibus nomine suo et dicte communitatis de Conteiz, soluerunt penitus et quittauerunt imperpetuum pro se et heredibus suis siue successoribus, et pactum fecerunt expressum de vlterius non petendo, excepto omni tempore pasqueragio suo in pascuis predictis.

Item dictum est, adiectum et pronunciatum quod communitas de Conteiz possit tenere in banno, sine eo quod scindantur, insulas de clausura per quatuor annos a data presencium computandos, et les vernes per octo annos sequentes. In quarto vero anno, ad requisicionem illorum de Sauisia, scindantur dicte insule pro clausuris, et in octauo anno ad requisicionem dictorum de Sauisia communiter sindantur dicte verne, vel ante quando communitati de Conteiz placuerit, ita tamen quod illi de Conteiz, quando scindere voluerint dictas insulas vel vernas, hoc publice marciari faciant in ecclesia Sancti Germani dominica precedente.

Item dictum est, adiectum et in pactum deductum quod

communitas de Conteiz habeat vsum suum et vti possit pascuis, nemoribus, insulis cum animalibus suis ab aqua Morgie superius, in monte et in plano, vsque ad aquam que vocatur Seduna, prout habere consueuerunt de die tantum; de nocte vero ad pernoctandum cum animalibus suis vltra aquam Morgie a parte de Conteiz redire teneantur.

Item dictum est, adiectum et eciam pronunciatum quod ille plathee pratorum seu terrarum que alias erant amazaes aut appropriate a sub via inferius versus Chaudraz vltra vsque ad torrentem dou Buttyer, in illis mayens que solebant ibi esse, remaneant proprie illis de Sauisia, et ille plathee pratorum seu terrarum que alias erant amazaez aut adpropriate a sub via predicta superius et versus Chaudra vltra vsque a torrentem dou Buttyer, in illis maeyens que sunt ibi, remaneant proprie illis de Contegio.

Item dictum est, adiectum et pronunciatum quod illi duo maeyns qui solebant esse a sub via predicta superius, et qui erant donni Martini Rufi de Hormona et Johannis de Canali, remaneant illis de Contegio, et pro ipsis habeant et habere debeant, scilicet dictus Martinus Ruphi et Johannes de Canali et eorum heredes siue successores alios duos maeyns qui erant Huldrici de Thons et loz Guers de Dallyon, et qui maeyns erant sita a sub via inferius.

Item dictum est, adiectum et protestatum per dictos sindicos et procuratores vtriusque partis, nominibus quibus supra, ipsis consencientibus protestacionibus infrascriptis, quod per presentem transactionem, pacem et finem ac concordiam nullum preiudicium fiat juridicioni et dominio, mero vel mixto imperio que vel quod illustris vir comes Sabaudie, vel vicednus de Conteiz, vel reuer. in Christo pater dnus episcopus Sedun. et ecclesia Sedun. habent vel habere consueuerunt in predictis locis vel aliquibus ipsorum, et quod saluum sit eis jus suum in omnibus et singulis supradictis; ita quod per predicta

ipsis in nullo possit jus suum minui vel eis in aliquo derogari.

Quam transactionem, composicionem, pacem et finem ac concordiam predicti sindici, procuratores et actores communitatum predictarum sibi adinuicem, nominibus quibus supra stipulantes et recipientes, promiserunt per pactum expressum et per juramenta sua, nominibus quibus supra, super sancta Dei euuangelia corporaliter prestita, pro se et dictis communitatibus et singulis hominibus dictarum communitatum contrate de Conteiz et de Sauisia, heredibus seu successoribus eorumdem, attendere firmiter et penitus obseruare imperpetuum in omnibus et singulis capitulis supradictis et contra predicta vel aliquid predictorum per se vel per alium, in judicio vel extra, verbo vel facto seu consensu imposterum non venire, nec alicui contra venire volenti in aliquo consentire, sed facere et curare qualiter dicta pax et concordia in omnibus et singulis suis capitulis perpetuo conseruetur, custodiatur et in aliquo non ledatur.

Approbantes post pronunciacionem predictam et ratifficantes, confirmantes et eciam emologantes, nominibus quibus supra, dictam transactionem, composicionem, pacem, concordiam atque finem, quam obseruare perpetuo vna cum dictis sindicis jurauerunt super sancta Dei euuangelia ex parte illorum de Conteiz:

Primo Aymo de Herdes, Aymonetus de Herdes nepos eius, Petrus de Neynda, Willermus Berthaz, Jaquemetus Tyezoz, Willermus Songner, Willermus Claret, Johannes Galicios, Johannes de Combis, Johannes de Molendino, Johannes li Adans, Petrus de Moro clericus, Humbertus de Molendino, Johannes de Cleuenes, Otthetus de Vertro clericus, Perretus Jussinus, Willermus de Cristala, Anselmetus Guerotz, Willermus de laz Combala, Bertholdus de Nayz, Petrus Mistralis, Willermus Ducis, Hugo Tutonbert, Anthonius maior de Dayllon, Vldricus de Chamarey, Perretus de Molendino, Seuerinus

de Pomeron, Perretus de Visuez, Seuerinodus Grimiollot, Johannes Theobaldi, Hudricus de Vyssue, Perretus de Campo, Jaquetus Rustiot, Johannes Colons, Willermus de Ayent, Willermus Guischelet, Willermus Borgoyn, Perretus Caretz, Waltherus de Sancto Seuerino, Chono de Synsina domicellus, Humbertus Muriseiz, Petrus Mareschet et Johannes filius eius.

Item ex parte illorum de Sauisia, videlicet Johannes maior de Drona, Boso de la Chinal, Benedictus de laz Peirra de Drona, Benedictus de Malerna, Benedictus de Chousuaz, Petrus Somora, Perretus de Furno, Perretus de Torrente de Drona, Johannes de Crista de Eschandulin, Johannes de laz Chinal, Petrus de Aniuesio, Martinus Thourel, Johannes Wauferroth, Perretus de Wylleyn, Boso de Syons, Willermetus ly Wylliens, Willermetus Salamel de Drona, Johannes Warrel, Petrus Forneir de Sancto Germano, Anselmus de Temporiuaz, donnus Martinus Ruffi, Willermus ly Duz, Willermetus de Crista, Thomas filius Martini ou Duch, Stephanus de Crista de Eschandulin, Blanchodus de Temporiua, Perretus ly Douz, Petrus filius quondam Rodulphi de Rumaz, Perretus Warrel, Johannes Faber de Seya, Petrus de Chousua, Martinus li Duz, Willermus deys Montellier, Mauricius Jollien, Perretus ly Anselmetain, Perretus de Prensieres, Perretus ly Moschon, Perretus Ayllot, Girardus Philippe, Willermetus Marticularii, Benedictus Jussyon, Willermetus ly Boueyrs de Montelliers et Johannes de Malernaz.

Renunciauerunt siquidem dicti sindici, etc.

Inde rogauerunt ambe partes cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : dnus Johannes Boneti curatus de Sancto Germano, dnus Jacobus capellanus Petri de Turre, Jacodus de Aragnon domicellus, Perretus filius quondam Willienci de Drona et plures alii. Et ego Nycolaus de Aragnon clericus, qui, juratus super hoc, hanc cartam leuaui et scripsi, vice ca-

pituli Sedun. cancellariam tenentis. Cui si quis, etc. Actum prope aquam Morgie, in prato Perreti de Campo de Plano Contegio, kl. maji, anno Dni M°CCC° quarto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

Ad maiorem autem firmitatem nos Bonifacius, permissione diuina Sedun. episcopus, et Amedeus, comes Sabaudie, ad preces et requisicionem dictarum parcium, sigilla nostra presenti carte duximus apponenda in robur et testimonium omnium premissorum et omnia et singula superius declarata in omnibus et singulis eorum capitulis laudamus, ratifficamus, approbamus et in quantum possumus confirmamus. Datum apud Martigniacum, decimo kl. junii, anno Dni MCCC sexto.

1209

Vente faite par Pierre de Bex à Marquet de Viège, donzel.

Sion, 1304, 7 mai.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Petrus de Bacio clericus, filius quondam donne Binfe de Bacio, laudatione Petri fratris sui, vendit pro XV lb. Maur. Marqueto de Vespia domicello tale partagium quod habebat cum Francisco de Olono domicello in castellania de Castellione in Valesio. Testes: dnus Ny. officialis curie Sedun., magister Martinus et dnus Franciscus de Herdes, canonici Sedun., P. de Friburgo clericus, Ny. de Vespia domicellus. Datum Seduni, anno Dni M.CCC.IV, nonis maii.

1210

Vente faite par Guillaume, métral d'Ayent, aux frères Nantelme et Amédée d'Ayent.

La Place d'Ayent, 1304, 1 juin.

Copia litterarum de Ayent, f. xx verso.

Notum, etc., quod ego Vulliermus mistralis de Ayent, laudatione Perrete vxoris mee, Vulliermi et Anselmi filiorum meorum et Arnaldi filii quondam Jacobi filii mei, vendidi, pro centum duobus solidis Maur. michi solutis et pro ij den. seruicii et iiij den. placiti, Nantelmo et Amedeo de Ayent fratribus tres quartanos de ayssement, quos habebam apud la Chisereta, cum omnibus pertinentiis et dominiis. Testes : Vldricus Archierre, Martinus Custos, Vulliermus Latomi et dnus Petrus curatus de Ayent, qui, etc. Actum apud Platheam, kl. junii, anno Dni M°CCC°IIII°.

1211

Aymon de Morestel reconnaît devoir aux Lombards de Conthey 13 livres, 14 sols et 1 denier, qu'il a empruntés d'eux.

Chamoson, 1304, 16 juin.

Archives de M. Léon de Riedmatten.

* Nos Humbertus de Sala, legum professor, judex in Chablasio et Valesio pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, notum facimus quod, sicut nobis constat per relationem Ja-



cobi de Aragnon jurati et notarii dicti dni comitis, in sua presentia constitutus Aymo de Morestel de Granges confessus est se debere Manueli, Thome, Humberto, Layoli, Francisco et Jaquemino de Antegn... Lombardis, merceriis Astensibus, et eorum sociis apud Contegium morantibus tresdecim lb. et quatuordecim sol. cum uno den. Maur., quos confessus est se recepisse ex causa mutui. Quam summam dictus Aymo sub obligatione omnium bonorum suorum promisit integre persoluere in festo beate Marie Magdalene proximo venturo; et si tunc deficeret, ipse promisit soluere dictis merceriis a dicto termino in antea in qualibet septimana viginti novem den. Maur. ratione pene, quamdiu ipsam summam detinebit. De quibus autem predictis firmiter attendendis dictus Aymo dictis merceriis dedit fideiussores et obsides, scilicet Willelmum de Morestel, Willelmum de Ventona, Johannem et Reymundum de Mar, domicellos, qui se fideiussores et obsides obligauerunt quilibet in solidum et promiserunt per juramenta sua elapso dicto termino, ad requisitionem dictorum merceriorum, apud Contegium tenere personaliter ostagia per octo dies continuos, et ipsis octo diebus elapsis ibidem deliberare predictis merceriis bona pignora ductibilia uel portabilia custodita, de quibus uenditioni expositis dicta summa pecunie cum pena, damnis, interesse et expensis poterit integre haberi. Inde sunt testes vocati et rogati Johannes Bendet, Johannes Litoux et Willelmus de Sancto Andrea de Chamoson. In quorum omnium testimonium nos dictus judex sigillum curie predicte duximus presentibus apponendum. Datum apud Chamoson, XVI die junii, anno Dni M°CCC°IIII°.

Sceau pendant.

1212

Pierre, vidomne de Sion, vend un cens à Agnès, veuve de Jacques de la Sala, et à Pierre et Guillaume, frères de la dite Agnès.

Sion, 1304, 1 juillet.

Arch. cant. du Vallaís, Registr. R. cancel. Sedun., p. 184.

* Ego Petrus vicednus Sedun., laudatione Katherine vxoris mee, puer meus impuber erat, vendidi pro septem lb. Maur. Agneti relicte Jacobi de la Sala de Aniuesio, Petro et Willermo fratribus suis dimidium modium vini censualem et tres den. seruicii cum placito; que omnia dicti emptores michi debebant de quadam vinea sita in territorio dOeyz. Testes : dnus Franciscus de Herdes canonicus, dnus Willermus curatus de Aniuesio, etc. Datum Seduni, anno Dni M.CCC.IV, kl. julii.

1213

Humbert de Collombey vend ses droits de péage à Saint-Maurice à Amédée V, comte de Savoie.

Villeneuve, 1304, 4 septembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 469, ex arch. Agaun.

* Humbertus de Columberio, filius quondam Petri de Columberio militis, Humberto de Sala, legum professori, judici Chablasii et Gebenn. et castellano Sancti Mauricii et Ugoneto dicto Ponceys de Lausanna, castellano Turris Viviaci, ad opus Amedei comitis Sabaudie, vendit pedagium suum apud Sanctum Mauricium, vulgariter vocatum pedagium Fusciniaci, pro quo percipit in quacumque balla panni seu lane transeunte per Sanctum Mauricium duos den.; item pedagium



suum nuncupatum pedagium quatuor episcopatuum, pro quo percipit in quacumque balla telarum seu pellium, aut cuiuscumque rei alterius per dictum locum transeunte unum den., et in quolibet trosello seu fardello ad collum unam pittam Maur. pro septies viginti lb. Maur., consentiente, crastina die, Beatrice uxore sua. Testes: Jacobus de Montheolo miles, Cono de Chastenay domicellus, etc. Datum apud Villamnovam Chillionis, anno Dni M.CCC.IV, inditione IIa, IV Septembris.

1214

Collectes en faveur de l'hôpital de Brigue.

1304, 4 octobre.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Guillelmus Gratianopolitanus, Petrus Bellicensis, Emericus Augustensis et Aymo Gebennensis episcopi, cum R. charissimus amicus noster episcopus Bonifacius quoddam hospitale hoc anno incipere fecit pauperibus valde necessarium in loco penurioso ville de Briga, mandatum ad dictas dioceses pro collecta et elemosina danda, cum indulgentia 40 dierum. 1304, 4 nonas octobris.

1215

Redevance due à la commune de Châtillon par Eberhard de Rarogne.

Rarogne, 1304, 5 octobre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Eberhardus de Raronia fatetur se teneri communitati de Castellione in duobus modiis siliginis seruitii de quodam territorio sito zen Benken, iuxta aquam Lodentza, infra viam

Reitweg. Datum apud Rarogniam, anno Dni M.CCC.IV, III nonas octobris.

1216

Amédée d'Ayent donne le tiers de sa fortune à son frère Nantelme.

Sion, 1304, 5 novembre.

Copia litterarum de Ayent, f. xxiiij.

Notum, etc., quod ego Amedeus, filius quondam Johannis de Ayent domicelli, dedi Nantermo fratri meo, tanquam benemerito pro eius gratis, etc., terciam partem pro indiuiso totius hereditatis mee, tam paterne quam materne, et ommium bonorum meorum immobilium et omnia mobilia mea, sub hac tamen conditione quod si dictus Nantermus decederet, me viuente, nullo herede relicto, quod tota donatio predicta, excepta tantum donatione mobilium, ad me uel ad heredes meos proximiores totaliter deuoluatur. Testes: dnus Uldricus de Sirro miles, dnus Johannes Boneti, dnus Vulliermus prior de Lenz, Petrus dictus Fontana et magister Martinus canonicus et cancellarius capituli Sedum, qui, etc. Actum Seduni, nonas nouembris, anno Dni M°CCC°IIII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1217

Dépositions de témoins qui attestent que jadis Pierre de Rarogne, chevalier, a reconnu s'être emparé injustement des biens d'Ulric de Combes et qu'il les lui avait restitués [1].

Mannenberg, 1304, 7 novembre.

Archives de Valère, Registrum cancell. Sedun.

Notum, etc., quod coram me Petro de Luceria, capellano

[1] Voy. tom. II, pag. 545.



ecclesie de Vespia perpetuo, jurato cancellarie ecclesie Sedun. et leuatore cartarum parrochie iam dicte ecclesie de Vespia, examinatore cause subscripte a reuerendo in Christo patre ac dno Bon(ifacio) Dei gratia episcopo Sedun. specialiter super hoc misso in partes Alamannie et directo, comparuerint in locum deputatum, videlicet in castrum de Mannenberg, vir discretus dnus Johannes curatus ecclesie de Duabus Similis, Lausan. dyoc., et nobilis vir Wernherus domicellus, filius quondam nobilis viri dni Uldrici de Raronia militis, ac iuxta mandatum quod receperam a prefato reuerendo in Christo patre ac dno Bon. episcopo Sedun., dno terre Vallensis et rerum petitarum, iurauerunt corporali prestito sacramento ad sancta Dei euuangelia de ueritate dicenda, necnon a me inquisitione diligenti requisiti dixerunt et deposuerunt per juramenta sua ad sancta Dei euuangelia corporaliter prestita, vt dictum est, quod quondam nobilis vir dnus Petrus de Barognia miles, filius dni Amydei de Rarognia militis quondam, tempore circiter XXti annos vel quasi, in castro suo de Mannenberg in predicta parrochia de Duabus Similis constructo, lecto decumbens quasi ad mortem, post receptionem sacramentorum ecclesie, recognouit corde contrito, ut ostendit, coram hiis duobus, videlicet curato suo prescripto et Wernhero de Rarognia predicto et pluribus aliis fidedignis astantibus, et voce publica emisit et confessus fuit se Uldricum filium quondam Petri de Combis fratrem Rodulphi de Cumbis grauiter offendisse et dampnificasse in eo quod terras et possessiones suas seu bona sua ac redditus suos, tam apud Cumbas prope Rarogniam, quam alibi in dyocesi Sedun., occupauit modo quocumque et tenuit minus juste, eorumque fructus in sue anime periculum percipiens et colligens multis annis. Qua recognitione facta ipsum Uldricum de Cumbis fratrem Ro. de Cumbis inuestiuit et restituit, coram ipsis duobus et aliis quam plurimis fidedignis, in jus et possessionem liberam,

absolutam, pacificam et quietam omnium terrarum, possessionum, bonorum et reddituum suorum, quocumque modo ea teneret aut tenere videretur seu occupare, se ipsum deuestiens et ipsum Uldricum inuestiens pleno jure, nulla actione seu jure in hiis sibi et suis heredibus saluis uel retentis. Super addentes et affirmantes in depositione premissa quod predictus dnus Petrus de Rarognia miles post restitutionen rerum premissarum petiuit humiliter a sepedicto Uldrico de Cumbis veniam de commissis in ipsum. Testes huic depositioni presentes: Petrus et Rodulphus fratres filii quondam Aymonis de Rarognia, Petrus Ab Mund gener prescripti Wernheri de Rarognia domicelli, Johannes dictus Ecca de parrochia ecclesie de Duabus Similis, et ego Petrus de Luceria memoratus, qui hanc cartam leuaui, vice capituli Sedun., vice cuius, etc. Actum in castro de Mannenberg, in stupa eiusdem castri que est sepedicti Wernheri de Rarognia, VII ydus nouembris, anno Dni M°CCC°IIII°.

1218

Amédée d'Ayent se place sous la tutelle de son frère Nantelme pour l'espace de dix ans.

Sion, 1304, 10 novembre.

Copia litterarum de Ayent, f. iiij verso.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod ego Amedeus filius quondam Johannis dAyent domicelli, pono me et omnia bona mea sub tutela, regimine et auoeria Nantermi fratris mei per decem annos completos ex nunc continue sequuturos, ita quod interim michi, secundum quod persone mee decens fuerit, victum et vestitum et necessaria administret, et

omnes fructus et recollecture dictorum bonorum meorum dicti decenii sint dicti Nantermi pro dicta tutela et administratione corporis mei et pro soluendis debitis hospicii mei, ita quod finitis dictis decem annis dictus Nantermus debet michi reddere dicta bona mea libera penitus et exonerata ab omni onere debitorum et etiam munita semine. Testes : dnus Vldricus de Sirro miles, dnus Johannes Boneti, dnus Vulliermus prior de Lenz, etc., et magister Martinus canonicus et cancellarius capituli Sedun., qui hanc cartam leuauit, etc. Actum Seduni, IIII° idus nouembris, anno Dni M°CCC° quarto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1219

Pierre, vidomne de Sion et de Rarogne, vend un pré à Pierre Esperlin, major de Rarogne.

Rarogne, 1304, 13 novembre.

Archives de Valère, Registrum cancel. Sedun.

* Notum, etc., quod ego Petrus filius quondam dni senescalci Sedun. et vicednus Sedun. et de Raronia, laudatione Katherine vxoris mee, puer meus impuber erat, vendidi pro octoginta et tribus lb. Maur. Petro dicto Esperlin de Poncierro, maiori de Raronia, pratum meum dv Bieschа apud Raroniam, iuxta aquam dv Biescha, sub strata publica qua itur versus Castellionem, cum aquis, viis, sepibus, arboribus, etc., addens hoc jus quod debet ad defensionem ipsius prati contra aquam Biescha et alias et ad sepes accipere ligna in silva mea dicta silua vicedni im Riede. Hoc pratum in verum et liberum allodium ego et heredes mei tenemur garentire. Testes : nobilis vir Petrus de Turre dnus Castel-

lionis in Vallesio, Sofredus de Chamsun, Hugo de Raronia, Marcus de Vespia, Johannes de Vespia, Nicolaus de Vespia domicelli et Bertholdus de Rarognia clericus, qui, etc. Actum Rarognie, idibus nouembris, anno Dni M°CCC°IIII°.

1220

Hommage prêté à l'évêque de Sion par Péterlin d'Aoste, chevalier.

1304.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Peterlinus filius Petri de Augusta miles, ex causa incestus quem commisit cum nepte sua Agnete, filia Nantermi de Saxo domicelli, fecit homagium ligium Bonifacio episcopo et accepit in feudum homagii ligii turrim seu domum suam de Narres, juxta turrim dni Johannis comitis, et sex modios siliginis de feudo apud Glisa. Et si comperiretur quod idem plus carnaliter cognoverit suam neptem, quod omnia bona sua cedant in commissum episcopo ad misericordiam dni. 1304.

1221

Vente d'un cens à la commune de Grimence.

Vissoye, 1305, 25 avril.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 206.

* Ego Christinus de Seyres de Grimeynchi vendidi pro XIIII sol Maur. communitati de Grimeynchi, ad opus done quam dicta communitas facit annuatim in honore Sancti Theodoli confessoris, quondam episcopi Sedun., vnum fischilinum sili-

ginis receptibilem in festo beati Petri in cathedra. Datum apud Vissoy, anno Dni M.CCC.V, VII kl. maii.

1222

Guillaume d'Anniviers vend un pré et la moitié d'une maison à Henri de Torrenté.

Vissoye, 1305, 18 mai.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 194.

* Ego Willermus filius quondam dni Jacobi de Aniuesio militis, laudatione Alasie vxoris mee et de consensu dne Guigone relicte dicti dni Jacobi et Johannis filii sui eiecti ab omni auoeria et tutela, vendidi pro IIII lb. Maur. Heinrico filio quondam Alberti de Torrente de Ayer tres sectoratas prati sitas en Chenauz en Tracuyz et medietatem domus infra site. Quam venditionem ego et heredes mei tenemur sibi et heredibus suis alodium in alodio, feodum quondam Albe dou Crus facturis mihi VI den. seruicii annuatim et XII d. plac., feodum vero Petro de Turre facturis vsagia erga dictum Johannem filium dicti dni Jacobi de Aniuesio ratione dotis sue. Testis dnus Willelmus curatus de Aniuesio. Apud Vyssoy, XV kl. junii, anno Dni M°CCC°V°.

1223

Jacques de Villeneuve, chanoine de Sion, accorde une rente viagère à Jaquette de La Tour.

Ollon, 1305, 7 juin.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 377, ex arch. Agaun.

* Jacobus de Villanova canonicus Sedun. dat nobili mulieri

Jaquete de Turre, filie quondam Symonis de Turre domicelli, X lb. annui redditus dum vixerit super rebus quas dictus Jacobus acquisierat olim a dicta Jaqueta. Testis Nicolaus curatus de Ollono. Datum apud Ollonum, anno Dni M.CCC.V, VII idus junii.

1224

Jacques de Vissoye vend des terres à Guillaume d'Anniviers, qui les cède ensuite à Henri de Torrenté.

Vissoye, 1305, 16 juin.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancell. Sedun., p. 198.

* Ego Jacobus filius quondam Seguini de Uissoy vendidi pro IX lb. et XIII sol. Maur. Willermo filio quondam dni Jacobi de Aniuisio militis vnum sectorium prati et I peciam terre retro cristam castri de Vissoy. Que omnia ego dictus Willermus, laudatione Alix uxoris mee, de consensu dne Guigone relicte dni Jacobi de Aniuesio militis et Johannis filii eius eiecti ab omni auoeria, dimisi pro predicto precio Heinrico filio quondam Alberti de Torrente de Ayer. Testes: dnus Willermus curatus de Aniuesio, etc. Apud Vissoy, XV kl. julii, anno Dni M°CCC°V°.

1225

Jean Bonjaliers vend une pièce de terre aux frères Jean et Berthold Decimator.

Lens, 1305, 27 juin.

Archives de la ville de Sion, Copia litter. de Lens, f. xlv.

* Notum quod ego Johannes Bonjalers de Chermignon inferiori vendidi pro octo sol. Maur. michi solutis et pro obolo seruicii et I den. placiti Johanni et Bertholdo filiis quondam



Petri Decimatoris de Chermignon inferiori et eorum heredibus vnum frustum terre situm apud Chastellum Vuarner, subtus vicum strictum siue rua estreyta, juxta pratum Martini de Cogny. Actum apud Lenz, V kl. julii, anno Dni M°CCC° quinto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1226

Guillaume de la Cléva et sa femme approuvent une vente.

Venthône, 1305, 10 octobre.

Archives de Valère.

* Notum sit quod nos Willermus de la Cleua domicellus et Johanneta vxor eius laudamus talem venditionem qualem fecerunt quondam Johannodus Hugoneti et Anthonia soror eius, filii quondam Johannis de la Crotz, Aymoni de Laques de quadam pecia terre sita a la Crotz de Vila; pro qua pecia dictus Aymo tenetur nobis in sex sol. et sex den. Maur. seruicii et II sol. et vno den. placiti; pro quibus vsagiis nos dicti coniuges quittamus dicto Aymoni talem talliam qualem facere consueuimus supra dicta terra. Dnus Vldricus vicarius de Laques hanc cartam leuauit, etc. Actum apud Venthonna, VI idus octobris, anno Dni M°CCC° quinto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1227

Echange fait entre Pierre de La Tour et Guillaume Tavernier.

Châtillon, 1305, 11 octobre.

Arch. de Valère, Registr. cancell. Sedun.

* Notum, etc., quod ego Petrus de Turri dnus Castellionis in

Vallesio, laudatione Johannis filii mei, dedi nomine permutationis Willermo Tabernario pratum meum situm apud Campiz, cui dicitur Hofmatta, cuius prati fructus idem Willermus debebat habere pro tempore vite sue, et duo sectoria prati que vocantur Lismatta. E conuerso ego Willermus Tabernarius, laudatione Agnetis vxoris mee, Nicolai et Johannis filiorum meorum, dedi prefato Petro totum illum montem siue alpem cui dicitur Hechen et XI sol. Maur. seruicii, qui michi debebantur ab der Mutzzun; de quibus debet idem Petrus IIII sol. Maur. seruicii annualis illis de Liec. Actum apud Castellionem, V idus octobris, anno Dni M°CCC°V°.

1228

Statuts synodaux du diocèse de Sion.

1305, 19 octobre.

Archives de la paroisse d'Ernen, copie de M. Ferd. Schmid.

Die veneris post festum beati Luce evangeliste, anno Dni M°CCC°V°, dnus episcopus ad instanciam priorum, curatorum et aliorum ibidem in sancta synodo existencium, omnes sentencias excommunicacionis, suspensionis et interdicti in statutis synodalibus contentas reuocauit ac relaxauit, ac precepit in ipsis statutis alias penas imponi et apponi secundum dispensionem et ordinacionem discretorum virorum dni officialis Sedun. et dni Johannis Boneti curati de Neynda, ne propter impericiam aliquorum uel negligenciam simplicium contingat aliquos dictis sentenciis innodari et irregularitatem forsan incurrere et pericula animarum.

Quia intelleximus, quod quidam experimento erroris heretice ducti, qui secundum quod iura censent sunt clericis et



ecclesiis semper infesti, parentibus suis, fratribus, consanguineis, amicis, vicinis et aliis in egritudinibus constitutis et pro remedio animarum suarum volentibus ecclesiis ecclesiarumque ministris suas elemosinas perpetuas uel temporales legare, donare uel eciam elargiri, prohibent, impediunt uel perturbant ne hoc faciant, ipsos inducendo contra voluntates eorum et quodam modo verbis, terroribus, ne talia ordinent, peruertendo contra ecclesiasticam libertatem, nos volentes eorum maliciis obviare et indempnitati ecclesiarum succurrere, vt debemus, tenore presencium statuimus, vt omnes de cetero et singuli talia attemptantes ipso facto sint vinculo excommunicacionis nodati, a qua non possint absolui, donec ecclesiis uel ministris per eos sic dampnificatis satisfecerint competenter. Hoc autem statutum precipimus in XV diebus semel in singulis ecclesiis publicari.

1229

Pierre de La Tour donne en fief l'alpe de Hokken à Pierre Esperlin.

Châtillon, 1305, 22 décembre.

Archives de Valère, Registrum cancell. Sedun.

* Notum, etc., quod ego Petrus de Turri dnus Castellionis in Vallesio, laudatione Johannis filii mei, locaui et concessi in feodum perpetuum pro IIII[or] sol. Maur. seruicii et pro V sol. placiti Petro dicto Esperlin de Poncierro montem siue alpem cui dicitur Hokken, sitam in valle Loechen, cum pratis et paschuis suis quibus dicitur dv Meder. Testes: Johannes de Vespia, Marcus de Vespia, domicelli, etc., et Bertholdus de Raronia clericus, qui, etc. Actum apud Castellionem, XI kl. januarii, anno Dni M°CCC°V°.



1230

Perrette, veuve d'Aymon Montellier, vend un cens de 5 sols et 6 deniers à Jean et à Guillaume fils de Nicolas, vidomne d'Orsières.

Sion, 1306, 28 février.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancell. Sedun., p. 213.

* Ego Perreta relicta Aymonis Montellier vendidi pro LX sol. Maur. Johanni et Willelmo filiis Nycholai vicedni de Orseires, Beatrici et Elike uxoribus suis, quinque sol. et sex den. Maur. redditus, quos V sol. debent heredes Benergier de Montana de feudo quod tenent a me, quod olim tenebant a quondam Willelmo de Turre, et dictos sex den. debent heredes a la Mersa de Lenz de feudo quondam Willelmi de Turre. Item dimisi sibi ad uitam meam pro XVIII sol. Maur. annuatim prata mea sita in Campo Sicco et pratum meum situm in Insula Rotunda. Testes : Nycholaus filius dni Reynaldi de Martigniaco, militis, etc. Seduni, II kl. marcii, anno Dni M°CCC° sexto.

1231

Vente faite par Jean de Torrenté à son neveu Jaquemet.

Vissoye, 1306, 27 mars.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancell. Sedun., p. 209.

* Ego Johannes de Torrente dAyer vendidi pro IIII lb. et XI sol. Maur. Jaquemeto nepoti meo, filio quondam Ludouici fratris mei, remuamentum animalium alpis de Sorebluýz, videlicet armentorum, ouium, caprarum, porcorum, secundum



bonam consuetudinem Vallis Anniuesii, et illud remuamentum dictus Jaquetus in tercio anno percipere debet et pro ipso remuamento tenetur michi in anno illo facere IIII^{or} den. servicii et VIII d. plac. Ita quidem quod predictus Jaquetus tenetur adducere et tenere apud Chynaux in territorio dou Uerner predictum remuamentum. Item quintam partem horrei. Apud Vissoy, VI kl. aprilis, anno Dni M°CCC°VI°.

1232

Henri dit Kung de Rarogne vend la moitié d'un chésal à Pierre de Rarogne.

Rarogne, 1306, 22 juin.

Archives de Valère, Registr. cancell. Sedun.

* Henricus dictus Kvng de Raronia, laudatione Nicolai, Margarethe et Agnetis liberorum suorum, Hugonis de Raronia domicelli fratris sui et Amydei filii quondam dni Uldrici de Raronia militis, vendit pro L sol. Petro filio naturali predicti dni Uldrici medietatem casalis quod fuerat quondam Willermi Judei de Raronia, siti infra terram eiusdem Petri. Datum Raronie, anno Dni M.CCC.VI, X kl. julii.

1233

Droits du portier du château de la Soye.

Sion, 1306, 7 juillet.

Archives de la ville de Sion.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod nos Bonifacius diuina permissione Sedun. episcopus, pro nobis et successo-

ribus nostris catholicis, dedimus et concessimus dilecto et fideli nostro, tanquam benemerito, Anthonio filio quondam Cuqueti de Uespia, janitoris castri de Seta, et filiis suis masculis de suo corpore legitime descendentibus, in aucmentatione feodi porterie dicti castri quod a predecessoribus nostris predecessores ipsius Anthonii tenebant, ea que sequuntur. Primo duo jugera terre fere contigua, que fuerunt quondam Willermi Dronyer de Drona, que nobis ob delictum ipsius Willermi ceciderunt in commissum; que duo jugera jacent in loco cui dicitur en Locons. Item casale cum eius edificiis situm in castro de Seta, inter duas portas, iuxta fabricam. Item vnum ortum situm extra primam portam dicti castri de Seta, inter duas tallias seu scissuras, super campum Ansermete. Jura autem dicte porterie, que habere debet dictus Anthonius et liberi sui predicti existentes janitores dicti castri, sunt hec: videlicet prebendam suam cottidianam seu victum cottidianum, tanquam clientis, cum castellano ipsius castri qui pro tempore fuerit; item robam suam integram clientalem, semel anno quolibet, bonam et decentem de griso Valesii et ter in anno caligas et sotulares. Item confessus fuit dictus Anthonius esse de dicto feodo dicte porterie homagii ligii operatorium suum situm ibidem inter duas portas castri de Seta. Ex hoc autem feodo predicto debet nobis et successoribus nostris dictus Anthonius et eius liberi predicti homagium ligium et vnam lb. cere servicii in Assumptione beate Marie Virginis annuatim et duas lb. cere placiti tantum. Et si forte contingeret dictum Anthonium uel eius liberos predictos relinquere dictum officium porterie, aut ipsum Anthonium decedere nullo herede masculo relicto, tunc in ipso casu habeant nichilominus dictus Anthonius et eius liberi, quicunque sint, augmentum predicti feodi cum domo sua sita iuxta magnam portam de Seta et iuxta furnum et operatorio supradictis pro homagio, seruicio et placito memoratis, dicta domo remanente



de feudo plano nostro aut de dicto feodo homagii, si reperiretur de ipso feodo, et debentes usagia predicta et debita de eadem, vtentes tamen aqua, pascuis et nemoribus, sicut alii homines nostri castellanie supradicte. Inde rogauimus cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: dnus Johannes Boneti curatus de Nenda, Johannes de Cruce, Willermus saltherus de Seta, Benedictus de Malacuria et Amedeus de Reyna clericus, qui, etc. Cui si quis, etc. Actum Seduni infra capellam sancte Trinitatis, in cristino octabarum apostolorum Petri et Pauli, anno Dni M°CCC° sexto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante. Que omnia predicta postmodum laudauit, ratificauit, confirmauit et approbauit capitulum Sedun., cuius laudem recepit dnus Vldricus de Daylleto canonicus Sedun., in Valeria, kl. decembris, anno quo supra.

1234

Guillaume de Morestel, donzel, vend un pré à Clémence, veuve de Jean de Morestel.

Sion, 1306, 24 août.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Willermus de Morestello domicellus vendidi et finaui perpetue, pro octo lb. Maur. michi solutis et pro sex den. seruicii et duodecim den. placiti, Climencie relicte Johannis de Morestello pratum meum quod fuit quondam dicti Johannis de Morestello, situm iuxta campum dni episcopi Sedun., qui fuit saltheri Sedun. Inde rogaui, etc. Actum Seduni, IX kl. septembris, anno Dni M°CCC° sexto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1235

Jean et Pierre de Rarogne vendent la moitié d'un chesal à Pierre de Rarogne.

Rarogne, 1306, 26 septembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Johannes filius Wernheri de Raronia domicelli et Petrus filius quondam Aymonis fratris dicti Johannis vendunt pro LV sol. Petro filio naturali quondam dni Vldrici de Raronia militis medietatem casalis quod fuerat quondam Willermi Judei de Raronia situm infra terram eiusdem Petri. Datum Raronie, anno Dni M.CCC.VI, VI kl. octobris.

1236

Contrat de mariage entre Amédée de Rarogne et Salomée de Viège.

Rarogne, 1306, 28 septembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Notum, etc., quod nos Johannes de Vespia filius quondam Willermi de Vespia domicelli et Amydeus filius quondam dni Vldrici de Raronia militis, domicellus, in contractu matrimonii rite et legitime consumati inter me Amydeum, ex vna, et inter Salomeam filiam mei Johannis, ex parte altera, laudatione Anthonii filij mei Johannis, conuenimus in hunc modum: Ego Johannes predictus statuo dictam Salomeam filiam meam legitimam vxorem dicti Amydei et liberos quos per eundem Amydeum genuerit, veros et legitimos heredes meos, vnacum

Anthonio filio meo predicto, fratre ipsius Salomee, in omnibus bonis meis pariter. Si vero dicta Salomea filia mei Johannis decederet sine liberis per Amydeum maritum suum predictum genitis ipso Amydeo superstite et viuente, idem Amydeus gener mei Johannis duorum optionem habere debet ex pacto post meum decessum in omnibus bonis meis, videlicet quod aut accipiet annuatim XX lb. Maur. censuales super omnibus bonis meis ad vsum vite sue tantum, aut quartam partem eorumdem bonorum et possessionum mearum premissarum, etiam pro tempore vite sue duntaxat possidenda pleniter et tenenda. Testes: Johannes filius Wernheri de Raronia domicelli, Henricus filius Hugonis de Raronia domicelli, Petrus Esperlinus. Item testes laudationis Anthonii filii mei Johannis predicti presentes: Petrus filius Lodoyci in Platea de Vespia, etc., et dnus Petrus de Luceria, capellanus de Vespia, qui, etc. Actum Raronie, IIII kl. octobris, anno Dni M°CCC°VI°.

1237

Accord entre Amédée de Rarogne et Pierre, fils de feu Jean, major de Rarogne.

Rarogne, 1306, 14 octobre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Notum, etc., quod cum discordia verteretur inter Amedeum filium quondam dni Vldrici de Rarognia militis, ex vna parte, et Petrum filium quondam Johannis maioris de Rarognia, ex altera, ita declaratum est et diuisum quod idem Amedeus finauit, remisit et quictauit omnes querelas et petitiones quas ipse habuit super dicto Petro maiore, super illis possessionibus que fuerunt Willermi fratris dicti Petri et super dicto

Petro de hominio ligio, saluo manso dni episcopi Sedun., quod hominium idem Petrus debebat dicto Amydeo de domo sua et de toto pomerio sito in villa de Rarognia. Que omnia idem Petrus, laudatione Margarete vxoris sue, resignauit dicto Amedeo et heredibus suis, ob defectum hominii ligii, et vnam libram piperis et IIII^or^ modios siliginis servicii, que omnia idem Petrus debebat dicto Amedeo de possessionibus Willermi fratris sui predicti, scilicet de medietate domus quondam Johannis maioris patris sui, et de medietate pomerii, et medietate tocius casalis cum edificiis suis, et de parte dicti Willermi cuiusdam prati siti retro castrum de Rarognia, et de quodam agro sito super vinea Thome de Plathea vbi dicitur Zer Cherqun, et de parte sua vinee cui dicitur Leynia, et de quodam prato sito im Turtinge infra pratum Petri predicti et antiquam stratam et ab illa via inferius qua itur ad grangiam predicti Petri, et defectu hominii ligii, saluo manso quod idem Petrus debebat dicto Amedeo de alia medietate domus predicte. Tandem predictus Amedeus, laudatione Salomee vxoris sue, locauit et remisit in feudum perpetuum pro XX libris Maur. sibi solutis integre et numeratis et pro hominio ligio, saluo manso dni episcopi Sedun., et vna libra piperis et duobus cerotecis albis et tribus modiis siliginis seruicii redditus annui in festo sancti Martini, uel duplum in crastino, Petro supradicto et heredibus suis, etc., omnia et singula predicta a dicto Petro dicto Amedeo resignata. Testes: dnus Jacobus curatus de Raronia, Johannes de Vespia, Johannes de Rarognia, Marcus de Vespia, domicelli, Petrus Esperlin, Willermus Tabernarii et dnus Bertholdus capellanus de Rarognia, qui hanc cartam leuauit, apud Rarogniam, II idus octobris, anno Dni M^o^CCC^o^VI^o^.

1238

Jean de Briens donne en fief un verger à Albert du Mayency.

Sion, 1306, 1 décembre.

Liber instrument. de Seduno, Bramosio, etc., f. 100 verso.

* Notum, etc., quod ego Johannes de Briens de Nares domicellus, laudatione Johannis de Vineis auunculi mei et Johannis comitis de Nares, in plenum feudum concessi, pro viginti tribus lb. Maur. nomine intragii et pro viginti sol. censualibus et pro duodecim den. seruicii et quinque sol. placiti, Alberto dou Mayency sartori, ciui Sedun., viridarium meum subtus ciuitatem Sedun. juxta viridarium Johannis de Vineis auunculi mei et juxta vicum siue ergeres quod tendit versus Rodanum et super vicum publicum quo itur versus maladeriam Sedun. et affrontat vie forchua a parte superiori. Item vendidi sibi sub pretio predicto totale jus quod habeo in tota aqua de Seduna a torrente siue ergeres dni episcopi inferius in qualibet hebdomada, die sabbati, a vesperis in antea per totam illam noctem, et die dominica sequenti vsque ad vesperas. Testes : Johannes de Mulymbach domicellus, etc. Actum Seduni, kl. decembris, anno Dni millesimo CCC° sexto, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1239

Legs faits au chapitre par maître Martin, chanoine de Sion.

(1306, 12 décembre.)

Archives de Valère.

Hec sunt legata que fecit magister Martinus canonicus Sedun. capitulo Sedun. Primo totale debitum in quo sibi et

patri suo tenetur et tenebatur dnus episcopus Sedun. pro se et suis predecessoribus, preterquam XXX lb. Maur. quas sibi debet pro pensione non soluta et pro debito manifesto, sicut in litteris super hoc confectis plenius continetur, a creatione sui citra pro pensione predicta. Que XXX lb. Maur. cedant in dotem altaris sui pro censu siue possessionibus emendis ad opus dicti altaris. Collationem vero dicti altaris dedit et legauit dicto capitulo perpetue, qui ibi instituat, post decessum dni Johannis de Herdes presbiteri cui dedit fructus dicti altaris siue dotem post decessum dicti magistri Martini, sacerdotem aliquem non ydiotam sed ydoneum, cantantem et legentem, qui ibi celebret bis in ebdomada de sancto Genesio et Siluestro et pro defunctis, et in ecclesia inferiori horis canonicis intersit; quem eligant virum bone vite et conuersationis honeste. Item legauit dicto capitulo debitum in quo Franciscus filius quondam Jacobi Magistri remanebitur sibi debens. Item legauit dicto capitulo medietatem domus de Cita, scilicet partem inferiorem, et casamentum totale quale habetur in feudum a dno episcopo ratione successionis salterie. Item vineam meam de Lentina superiorem XIIII fossor. et vnum modium fabarum censualem, quod modium fabarum assignauerunt sibi sindicus et dnus episcopus predictus pro modio siliginis quem vendidit dno Francisco de Herdes, pro fideiussione quam fecerat capitulo et mense episcopali. Item lego dicto capitulo casale et domum quam feci et que domus fuit Ny. de Bagnes. Item duas archas longas in quibus reponantur carte uel scripta cancellarie completa. Item maiorem ollam quam habet. Item coronicas imperatorum et paparum. Item instrumenta ferrea pro hostiis faciendis. Item II oberjoz, III balistas.

Le maître Martin paraît dans les actes jusqu'au 17 novembre 1306. Dans le nécrologe de Sion du XIV[e] siècle (*Documents*, tom. II, pag. 576), il est inscrit comme étant mort le 12 décembre, sans doute de l'année ci-dessus.

1240

Rôle des droits et des revenus du sacristain de l'église de Sion.

(1302-1306.)

Archives de Valère, Z, 132.

Hic continentur redditus et census sacristie Sedun. et ecclesie quas confert sacrista eiusdem loci.

Confert ecclesiam de Chamoson, ecclesiam de Narres et ecclesiam de Bramosio.

Ecclesia de Chamoson debet XXIIII[or] sol. censuales et procurare debet sacristam per mensem, si eidem sacriste placuerit.

Item percipit sacrista terciam partem tocius decime de Chamoson, exceptis noualibus.

Item habet ibidem pratum octo sectoratarum uel amplius, sub via tendente apud Sanctum Petrum de Clages, propre pratum quod fuit Petri quondam maioris de Chamoson.

Item prioratus Sancti Petri de Clages debet VIII sol. censuales annuatim.

Item ecclesia de Narres debet XL sol. censuales annuatim et procurare per tres menses sacristam cum decenti societate, si eidem placuerit, scilicet cum tribus equitaturis. Potest etiam sacrista, quando primo venit ad ecclesiam de Narres, accipere melius animal quod ibidem penes rectorem inuenerit, siue fuerit equus siue aliud animal, et claues.

Item ecclesia de Bramosio debet duas lb. piperis annuatim et procurare sacristam.

Item habet terciam partem in ruido tocius diocesis Sedun. cum dno episcopo in parata ipsius dni episcopi, scilicet in quarto anno.

Item P. de Turre vicednus de Contez debet hominium et XXX sol. placiti et duas duodenas parapsidum seruicii. Feudum est decima quam tenet apud Ardum.

Vicednus Sedun. debet hominium et X lb. placiti. Feudum est vicedominatus de Bramosio et campi et prata que tenet apud Platta, et que ibidem ab aliis tenentur ab ipso vicedno et alie possessiones.

Jacobus filius quondam dni Jacobi de Bluuignoc militis debet X sol. placiti et seruicium amoris. Feudum est decima quam tenebant apud Bramosium Martinus Vison et Perrinus de Olono, quam vendidit Pe. de Olons ciui Sedun. et alie res.

Item Pe. de Olons debet V sol. placiti et XII d. seruicii de domo quam emit a predicto Martino Vison apud Bramosium, que jacet in introitu ville iuxta viam.

Willelmus filius Willelmi Clauel de Bramosio debet XII d. ser. et V sol. pl. Feudum est omnes domus et casalia que sunt ab ecclesia de Bramosio inferius usque ad torrentem qui vadit ex transuerso uersus grangias ex parte dicte ecclesie, et medietatem meneidarum.

Willelmus filius quondam Alberti de Bramosio, dictus de Ressy, nepos Mauricii de Bramosio, debet II sol. ser. et V sol. pl. Feudum est domus sua de Bramosio et casamentum et domus a Lengagie eiusdem loci et domus Marconeti nepotis eius et cortina a la Moraschi.

Johannes mistralis de Nas XVI d. ser. et X sol. pl. Feudum est vna grangia sita iuxta domum quondam Giraldi Cheurotin, ex vna parte, iuxta domum Heysabelle filie quondam Jo. de Aniuisio et iuxta carreriam publicam.

Johannes de Aruilar debet II fis. silig. annuatim, uel III fis. ordei de quadam olchia que jacet iuxta viam qua itur apud Nendam, et iuxta terram Johannis dAruilar qui est homo decani Valerie.

Dnus Nycolaus Binfa debet VI d. ser. in natiuitate Dni et



II sol. VI d. pl. de domo sua de Palacio et de uirgulto sito retro ipsam domum, et vnam lb. piperis ad paruum pondus seruicii annuatim et IIII^or sol. pl. de quodam frusto uirgulti quod jacet ultra bastimentum iuxta aggerem.

Anthonius de Saxo ciuis Sedun. debet I lb. piperis ser. ad paruum pondus altero annorum et III sol. VI d. pl. Feudum est tria jugera campi que jacent in Contaminis iuxta pratum de Turre.

Magister Martinus curatus Sedun. VI d. ser. et XII d. pl. de domo que jacet in Palacio que fuit Petri Billionis, et de orto qui ibidem jacet.

Relicta Petri Perrusson ciuis Sedun. XVIII d. ser. annuatim. Feudum est apud Glauiney, scilicet grangia sua, viridarium et domus.

Johannes de Grimisolio ciuis Sedun. debet IX sol. et II d. ser. annuatim et XX sol. placiti. Feudum jacet apud Glauiney, scilicet grangia ipsius Johannis et grangia quam tenent ipse Johannes et Jacobus frater eius ibidem, domus noua Laurencii de Vex cum appendiciis suis, domus Pontaneriorum cum eius appendiciis, domus eys Magnyns cum eius appendiciis, grangia Petri Rigotel et Willelmi Lerrant, que fuit Petri Malatyria, domus quam tenet vxor Willelmi de Bluuignoc, que fuit Mauricii de Nas ciuis Sedun.

Roletus filius quondam Johannis de Nouilla de Sancto Mauricio debet III sol. placiti. Feudum jacet apud Platta, scilicet clausus quem tenet dnus Franciscus, qui fuit Willelmi de Vespia ciuis Sedun., et tercia pars decime de Sancto Mauricio Agaun. et de Verauça, et vinea quam tenet Theodolus filius quondam Jacobi mistralis apud Platta, iuxta viam dAyent, et omnia seruicia et placita que debentur eidem pro possessionibus sitis apud Platta.

Domengius de Sancto Mauricio sutor VI d. ser. et V sol. pl. Feudum est domus quam emit idem Domengius a dno Jacobo

de Nouilla quondam canonico Sedun., que domus fuit quondam Petri Grossi primi matricularii de Valeria, et jacet apud Palacium in vico stricto, inter domum que fuit Michaelis de Prato et domum Petri de Prensieres quondam ciuis Sedun., de qua debetur capitulo Sedun. I modius silig. censualis.

Capitulum Sedun. debet XX d. ser. et XXX sol. pl., scilicet X sol. pl. pro tercia parte vinee de Sancta Cristina et XX sol. pro decimis de Chamoson, et dictos XX d. ser. pro istis casalibus, scilicet pro casali Petri quondam dicti Chaualeron et casali domus Egidii Bossone cum stabulo et caminata et casali domus Willelmi de Geneueix et casali adjacenti iuxta casale dicti Petri Chaualeron, quod fuit Tiece a la Quarteressa et ita fuit compositum inter dictum capitulum et sacristam.

Johannes de Ventona ciuis Sedun. debet VIII d. ser. et V s. pl. Feudum est pratum rotundum quod jacet supra pratum capituli de Baiart.

..... filia Petri Tacco ciuis Sedun., que maritata fuit apud Martigniacum, II fis. silig. in secundo anno de quodam prato quod fuit campus, et jacet in pede Contaminarum sub via. Quod pratum Johannes filius eius vendidit... Debet obedienciarius de Bramosio pro virgulto quod jacet sub saxo iuxta bastimentum, quod emit P. de Leucha sacrista Sedun. a predicto Johanne, et sic pratum est quictatum.

Agnes vxor Willelmi de Bluuignoc ciuis Sedun. IIII^or^ sol. ser. et V sol. pl. Feudum est domus que fuit Mauricii de Nas, que jacet iuxta domum quondam Laurencii de Vex ciuis Sedun., subtus macellum, quam emit a Willelmo de Heremencia.

Loseneta ciuis Sedun. VIII d. ser. et XVIII d. pl. Feudum domus sua que jacet uersus Palacium, iuxta domum Petri de Prensieres, que similiter est de feudo sacristie.

Murisiers filius Willelmi dicti de Montana de Nas ciuis Sedun. XII d. ser. et III sol. pl. Feudum domus sua de Seduno,



que jacet iuxta domum Mauricii quondam de Nas ciuis Sedun., que similiter est de feudo sacristie.

Aymo dictus Pobala IIII d. ser. altero annorum et XII d. pl. Feudum est vnum juger campi situm apud Platta, iuxta campum quondam Johannis de Mulignon ciuis Sedun. et iuxta vineam Theodoli filii quondam Jacobi mistralis.

Martinus gener Johannis de Miserie debet ex vna parte III sol. ser. et VI sol. pl. Feudum domus noua ultra magnum pontem, que nunc est communitatis Sedun., et dimidia domus iuxta jacens, scilicet Anthonii Malatyria, et debet V d. ser. de magna vinea quam tenet Willelmus de Augusta apud Nanz, nomine hospitalis Sancti Johannis Sedun.

Heredes Ansermi Gregorii II sol. seruicii et IIII sol. pl. de acquisitione quam fecit apud Bramosium a... filio Bruneti dol Pasquer de Sauesia. Feudum jacet apud Bramosium.

Johannes de Ventona debet ex altera parte IIII^or d. ser. et II sol. pl. de quadam parte prati siue virgulti quod habet apud lo Montellier, iuxta viam publicam et iuxta pratum quondam Willelmi de Turre.

Cristina filia quondam Petri de Prensieres XII d. ser. et V sol. pl. de domo sua que jacet ad Palatium, iuxta strictum vicum, inter domum Jacobi de Novilla quondam canonici Sedun. et ante domum dni Petri Amieti sacerdotis.

Domus ou Gotrox, item grangia que est inter dictam domum et domum a la Loseneta debet tantumdem.

Anthonius quondam li Prers VIII d. ser. et XVIII d. pl. de domo sua que jacet ante furnum, quando itur apud Palacium, que fuit postea Giroldi Valeix de Chamoson.

Magister Martinus X d. ser. in natiuitate Dni et XX. d. pl. de grangia noua et torculari eius nuper edificatis apud Malam Curiam, quorum casale acquisivit a Girodo de Olono dictus magister Martinus.

Anthonia relicta Açoneti ciuis Sedun. dimidias menaides ser. annis alternis et II d. pl.

..... filius Petri Leyro de Bramois XII d. ser. in nativitate Dni et XX d. pl.

Margareta de Salneria I d. ser. altero anno et II d. pl.

Willelmus de Heremencia V sol. pl. et menaides de duabus domibus.

Heredes Willelmi de Sancto Laurencio de Bramois X fis. messelli annuatim, quamdiu sacriste placuerit, de prato quod fuit campus, sito retro domum suam apud Bramois, uel medietatem fructuum, et sunt uel fuerunt IIII^or jugera campi.

P. dictus Wicherel Deix, gener quondam Willelmi de Borni, tantumdem et eodem modo sicut dicti heredes Willelmi de Sancto Laurencio, de IIII^or jugeribus campi que jacent iuxta predictum pratum heredum predicti Willelmi de Sancto Laurencio.

Anthonius dou Saex ciuis Sedun. I lb. piperis ser. in secundo anno et III sol. et VI d. pl. Feudum jacet in Contaminis, scilicet dimidius campus vel quedam pars campi quam tenet in Contaminis, iuxta campum de Turre qui est clausus; cuius campi aliam partem tenet Jo. de Novilla in feudum ut supra dictum est.

Altare Sancti Michaelis de Valeria uel eius rector VI d. ser. et V sol. pl. pro feudo quod dimisit Rad. quondam sacrista Sedun. dno Gregorio quondam canonico Sedun., videlicet decima bladi et vini, quam emerat Ay. de Leucha quondam decanus Valerie a Petro Guers, quam solebat recolligere Willelmus Albus de Chamoson.

Vinea quam tenet P. Jornal apud lo Montellier, que fuit Aymonis Pullian siue vxoris eius, sita iuxta vineam cantorie inter pratum quod est canonie Jacobi de Granges, ex vna parte, et Sedunam, ex altera. Debet XII d. ser. siue menaydarum et V sol. pl.



Ansermus de Mar ciuis Sedun. debet V d. ser. et V sol. pl. pro quodam frusto virgulti en Platta, iuxta pratum sacristie.

Perretus mistralis de Ridda debet duos fisch. silig. annuatim reddendos apud Sedunum in festo S. Martini et III sol. pl. Feudum est decima quam ipse tenet en Ysieri apud Ardum.

Johannes de Venthonna ciuis Sedun. debet VIII d. ser. et V sol. pl. Feudum est vna pecia virgulti siti apud Bayart, supra pratum capituli Sedun. et iuxta viam publicam qua itur versus Nantz, et iuxta pratum dicti Johannis quod ab hospitalario Sancti Johannis Bapt. tenet in feodum.

Item idem Jo. debet ex altera parte IIII d. ser. et II sol. pl. de quadam pecia prati siti ou Montellier, siue uirgulti, iuxta pratum nouum et iuxta viam publicam qua itur versus Sanctum Germanum.

Item idem Jo. debet II sol. ser. et IIII sol. pl. de aquisitione quam fecit apud Bramosium, scilicet de vno virgulto sito in dicto loco, iuxta terram quam emit a dno sacrista et iuxta terram dicti Johannis.

Item idem Jo. debet I lb. piperis ad minus pondus et VI sol. pl. de terra quam tenet a dicto dno sacrista apud Bramosium, sita iuxta virgultum dicti Johannis et iuxta albergamentum illorum de Sancto Laurencio et iuxta stratam publicam.

Item idem Jo. debet IIII[or] d. ser. et XII d. pl. de quadam vinea seu ressy sita en Clahvot, iuxta terram ipsius Johannis, ex vna parte, et iuxta vineam Theodoli de Sirro, ex altera.

Item debet idem Johannes V. d. ser. et V s. pl. pro vno frusto virgulti sito en Platta, iuxta pratum dni sacriste, ex vna parte, et pratum dicti Johannis, ex altera, et tangit uirgultum Jacobi matricularii Sedun.

Hic continentur seruicia que solebat tenere Jo. de Grimisna ciuis Sedun. de sacristia Sedun.

Primo Auola relicta Ro. de Vex II sol. ser. et III sol. pl. de domo Martini dou Trons sita iuxta domum Anthonie Ponta-

nery et iuxta viam publicam et iuxta grangiam Girardi Cheurotin.

Item Reymonda Lyeureta II sol. ser. et IIII^or sol. pl. super domum suam cum fabrica et cellario et thalamum superiorem, iuxta ortum Johannis Abandunaz et platheam anteriorem usque ad grangiam Laurencii de Vex ante et retro, sicut termini designant.

Item Anthonia Pontaneri XVIII d. servicii et III sol. pl. pro les cheys, que est eis Abandonaz et cellario quod est supra dictam domum siue cheys, et thalamis anterioribus et plathea anteriori. Que omnia iacent a fabrica Boni Hominis cuprifabri usque ad vicum per quem itur uersus Abandonaz ad grangias.

Item relicta Willelmi Merciour dicta Aymoneta XII d. ser. et III sol. pl. de grangia sua iuxta uirgultum dni Nicholai Binfa eis Abandonaz.

Item Johannes de Ledesot XII d. ser. et III sol. pl. de dicta grangia sita eis Abandonaz, iuxta dictum uirgultum.

Item Willelmus filius Mauricii de Nas XII d. ser. cum pl. de domo sita iuxta grangiam Alberti et Jo. dou Maeyng et iuxta viam publicam per quam itur uersus Glauiney.

Item Jo. et Jacobus de Grimisua fratres VIII d. ser. et XVI d. pl. de grangia sita iuxta domum dicti Willelmi filii Mauricii de Nas, quam tenent illi dou Maeyng, iuxta viam publicam per quam itur uersus Glauiney.

Ce rôle a été rédigé entre les années 1302 et 1306. La première date se déduit de la mention du chanoine Jacques de Noville, qui y est indiqué comme mort (domus Jacobi ed Novilla *quondam* canonici Sedun.). Le *Nécrologe de Sion* nous apprend que ce chanoine est mort le 21 janvier 1302. (M. D. R. XVIII, 257.) D'un autre côté le chanoine Martin paraît deux fois dans le rôle comme vivant; nous savons par le document précédent qu'il est mort le 12 décembre 1306. C'est donc entre ces deux dates qu'il faut placer la rédaction de ce rôle.

1241

Droits et revenus du sacristain de l'église de Sion.

Archives de Valère.

Sacristia Sedun. est dignitas prima post decanatum Sedun. et habet collacionem obtimam et meliorem aliis dignitatibus.

Primo confert ecclesiam de Narres, pro quo rector eiusdem debet pro personagio XL sol. Maur. et procurare sacristam per mensem[1] cum tribus equitaturis, et quando primo venit ad ipsam ecclesiam, percipit melius animal quod inuenit, siue sit equus siue aliud animal, et claues ecclesie et domus. Cuius fructus solebant admodiari CC flor. per annum et vltra.

Item confert ecclesiam de Arduno, pro quo rector eiusdem debet pro personagio XXIIII sol. Maur. et procurare ut supra. Cuius fructus admodiantur C flor.

Item confert ecclesiam de Bramosio, pro quo rector debet pro personagio duas lb. piperis et procurare ut supra.

Item habet nobilissima homagia.

Primo dnus de Turre debet homagium et debet XXX sol. placiti ad mutacionem dni, et debet quolibet anno vnam duodenam parasidum.

Item vicedognus de Seduno debet homagium et debet X lb. placiti ut supra.

Item Jacobus filius quondam dni Jacobi de Bluuignoc militis debet seruicium amoris et X sol. Maur. placiti ut supra.

Feuda omnium continentur in instrumentis.

Item habet de redditibus bladi XIIII modia.

Item vnum modium auene.

Sacristia Sedun. non habet vineas sed redditus vini.

[1] Une autre main a corrigé et mis « per III menses. »

Secuntur vinee in quibus sacrista percipit medium vinum.

Et primo in grossa summa percipit medium vinum in XVIII cum dimidia fossoratis vinee et lo resat et pecuniam census.

Secuntur census vini in grossa summa, exceptis decimis in pluribus locis de quibus non facio mencionem. Summa est XXX sestar. cum dimidio.

Secuntur census in pecunia et in grossa summa exceptis personagiis supradictis.

Summa grossa hec est LXVI sol. Maur.

Summa grossa placitorum, tam ad mutationem dni quam tenentis, omnibus inclusis est talis, scilicet primo anno receptionis XIX lb. XIIII den. Maur. Que omnia poterunt reperiri et adhuc magis in informationibus sacristie.

Item habet terciam partem in ruyndo in tota juridicione Sedun. cum dno episcopo, videlicet in quarto anno de tribus den. vnum.

Secuntur census specierum in grossa summa.

Summa specierum est VIIII lb. piperis, et adhuc magis inuenietur.

Sequitur de prebenda.

Prebende sunt omnes equales, videlicet quelibet habet:

In blado	VI modia.
Item habet	IIII fisch. ordei.
Item habet	II fisch. fabarum.
Item habet	vnam lb. piperis.
Item habet	XVIII fossor. vinee,

sitas apud Chadrou vel duo modia vini in celario.

Item percipit supra decimam de Chadrou VIII sestar.

Secuntur distribuciones ecclesie que sunt tales:

Primo quolibet die duos panes et duos quarteronos vini et sex den. Maur.

Et si sit festum duplex, IIII panes, IIII quarteronos vini et duodecim den.

Plura seruicia habet prebenda que nescio propter ignoranciam.

Alia non sunt.

Ce rôle a été rédigé vers la même époque que le précédent, comme le prouve la mention dans les deux de « Jacobus filius quondam dni Jacobi de Bluuignoc militis. » J'ignore quel est celui qui a été rédigé le premier. Dans tous les cas l'un complète l'autre.

1242

Don de Jacques de Boza, donzel, à son épouse Ysabelle.

Châtillon, 1307, 1 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Jacobus de Boza domicellus dat Ysabelle uxori sue nomine morgengaba terram dictam Balma et tres modios siliginis seruicii in monte de Oysel. Datum apud Castellionem, anno Dni M.CCC.VII, kl. februarii.

1243

Pierre de La Tour, seigneur de Châtillon, vend à Pierre Esperlin tout ce qu'il possède à Benken et à Stegen.

Châtillon, 1307, 5 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Petrus de Turri, dnus Castellionis in Vallesio, laudatione Johannis et Aymonis filiorum suorum, Albertus alter filius impuber erat, vendit pro LXX lb. Maur. Petro dicto Esperlino de Balchiedro quicquid possidebat ze dien Benken prope Cam-



puel. et zen Stegen (non procul a Lodenza) in hominibus, seruiciis, etc. Datum apud Castellionem, anno Dni M.CCC.VII, nonas februarii.

1244

Pierre, vidomne de Sion et de Rarogne, vend une maison à Henri de Rarogne.

Châtillon, 1307, 5 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Notum, etc., quod ego Petrus vicednus de Seduno et de Rarognia vendidi et finaui perpetue pro XIII lb. Bernens. redditus annui Heinrico filio quondam Hugonis de Rarognia et heredibus suis, ad vitam dni Vldrici de Swanden militis, quas XIII lb. Bern. ego dictus P. vicednus Heinrico predicto debebam ex parte dicti dni Vlrici militis de Swanden, ex parte dne Anfelise filie quondam Johannis vicedni de Rarognia aui mei, Heinrico filio quondam Hugonis de Rarognia domicelli, domum meam cum eius casalibus in villa de Rarognia, iuxta torrentem molendinorum am Stalden, quam domum quondam dnus Willermus senescallus Sedun., pater meus, emerat a Petro Longo de Vnderbeken. Testes: Petrus de Turre dnus Castellionis in Vallesio, etc. Actum Castellione, nonis februarii, anno Dni M.CCC.VII.

1245

Pierre, vidomne de Sion et de Rarogne, remet le tiers d'une forêt à Pierre Esperlin.

Châtillon, 1307, 6 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Petrus vicednus de Seduno et de Rarognia, considerans

Petrum Esperlinum de Poncierro sibi vtiliter deseruisse, finat eidem Petro terciam partem silue sue site ubi dicitur vf dem Riede, prope Vespiam, que nomen habet des Phogztwald, cum omni iure. Testes: Petrus de Turre dnus Castellionis, Gothefredus de Chamosun, Johannes de Vespia, domicelli. Datum apud Castellionem, anno Dni M.CCC.VII, VIII idus februarii.

1246

Pierre de la Tour, seigneur de Châtillon, vend un cens de onze muids de blé à la communauté de Sion.

Sion, 1307, 10 février.

Archives de la ville de Sion.

* Notum sit quod cum ego Petrus de Turre, dnus Castellionis in Valesio, vendiderim imperpetuum communitati Sedun. vndecim modios siliginis frumenti et ordei mixtim censuales, quos michi debebant annis singulis liberi quondam Willelmi de Drona, Johannes et Stephanus maiores de Drona et Petrus filius quondam Willinci de Drona super decima de Sauesia, quam ipsi a me tenent, ego dictus Petrus de Turre tenore huius carte precipio prenominatis debentibus dictos vndecim modios vt ipsos soluant, quilibet pro rata sua, predicte communitati, et ego promitto nichilominus dictam decimam manutenere contra omnes predictis consortibus debentibus dictum censum et eorum heredibus pro aliis vsagiis in quibus michi tenentur ratione decime supradicte. Inde rogavi cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: Nantermus dAyent domicellus, Aymo dErdes, Johannes de Cruce, Thomas de Chouson, W. de Bluuignot, Mannembertus, ciues Sedun., et ego Amedeus de Reyna clericus, etc. Actum Seduni in domo commu-

nitatis, IIII idus februarii, anno Dni M°CCC°VII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1247

Jaquet de La Tour renonce au fief qu'il tenait du doyen de Sion.

Sion, 1307, 13 février.

Archives de Valère.

* Jaquetus de Turre de Granges domicellus quittauit perpetuo dno Aymoni decano Sedun. feudum quod tenebat ab ipso decano. Seduni, anno Dni M.CCC.VII, idus februarii.

1248

Accord entre Amédée et Henri de Rarogne.

Rarogne, 1307, 26 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Notum, etc. quod discordia que vertebatur inter Aymodeum filium quondam dni Vlrici de Rarognia militis, ex vna parte, et Heynricum filium quondam Hugonis eiusdem loci, ex altera, ita sopita est quod dictus Amideus dedit dicto Heinrico quicquid juris ipse habuit in quodam prato cui dicitur Hoybuinda, quod fuit quondam Vlrici Stadlere, et in quodam hominio quod sibi debebatur de dicto prato. Et econtra dictus Heinricus dedit dicto Amedeo quicquid ad ipsum pertinebat apud Eccum superius Balchiedro in rebus que fuerunt quondam Rodolphi de Briens sine vxoris sue, et quicquid ad ipsum pertinebat in XV fisil. siliginis seruicii quos debebant heredes



quondam Vmberti ab Funnun. Item promisit dictus Heinricus dicto Amedeo dare terciam partem tocius hereditatis talliarum, seruiciorum, bladi et duorum hominum jurisdictionis et omnium rerum aliarum ad quondam Bertholdum de Rarognia domicellum pertinentium, que predictus Hugo habuit et dictus Heinricus filius eius post ipsum. Item remisit idem Heinricus dicto Amedeo omnes expensas quas idem Amedeus uel alter pro ipso fecerat in domo quondam dicti Hugonis a morte quondam dicti Vlrici. Testes : Johannes de Vespia domicellus, Marcus de Vespia domicellus, Petrus Hesperlin de Balchiedro et ego Bertholdus vicarius de Rarognia, qui, etc. Actum Rarognie, IIII kl. marcii, anno Dni M°CCC°VII°.

1249

Vente faite par Henri de Rarogne à Pierre Esperlin.

Rarogne, 1307, 8 mars.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Notum, etc., quod ego Heinricus filius quondam Hugonis de Rarognia domicelli, causa debitorum meorum, vendidi pro XXXIII lb. Maur. Petro dicto Hesperlino domum cum casalibus et vineam suprasitam, que fuerunt quondam Thome dicti Fluche, sita in villa de Rarognia ; item vnum stadel cum eius casalibus ; item quoddam pratum et agrum zer Stegbuindun, sub terra Petri vicedni ; item quoddam pratum quod fuit quondam Vlrici Stadlers, iuxta terram Petri Salteri, et quoddam pratum quod fuit Elle im Steinhus ; item quoddam pratum iuxta stratam publicam qua itur versus Castellionem. Que omnia ego et heredes mei tenemur sibi pro vno modio siliginis seruicii annualis perpetue garentire. Actum Rarognie, VIII idus marcii, anno Dni M°CCC°VII°.

1250

Jacques d'Ernen vend à Nantelme d'Ayent tout ce qu'il possède à Martenoit et dans le val d'Illiez.

Saillon, 1307, 26 avril.

Archives de l'abbaye de Saint-Maurice.

* Nos Petrus de Billens, judex in Chablasio et Valesio pro ill. dno Amedeo comite Sabaudie, notum facimus quod, sicut nobis constat per relationem dni Hugonis curati Sallionis, jurati curie dicti dni comitis, Jacobus dAragnon, filius quondam Johannis dAragnon domicelli, vendidit Nanthelmo dAyent cumdno dAyent, nepoti suo, domicello, quicquid juris, rationis, dreiture, partagii, hereditatis, dominii habet in hominibus, denariis, talliis, seruiciis, placitis, bladis, liguminibus, dominio, quam in aliis rebus percipiendis quoquomodo apud Martinuel et in tota valle de Yllyes pro sexdecim lb. Maur. Testes: Petrus et Nanthelmus de Columberio fratres, Johannes de Mar, Johenodus de Mar, domicelli, Johannes salterus de Letron. Sub sigillo curie dni comitis. Datum apud Sallionem, XXVI die mensis aprilis, anno Dni M°CCC° septimo.

Sceau pendant.

1251

Vente faite par Pierre Costen à Jean, prévôt du Mont-Joux.

Bex, 1307, 26 avril.

Archives du Grand-Saint-Bernard.

* Anno Dni M°CCC° septimo, indicione quinta, VI kl. maii, apud Bacium, Nicholetus Costen de Bacio faber, Johanneta

eius vxor, Boso et Petrus filii dictorum coniugum ac Jaqueta uxor predicti Bosonis vendiderunt religioso viro dno Petro de Dugnye canonico Montis Jouis et rectori ecclesie de Bellomonte, ementi nomine dni Johannis prepositi Montis Jouis, per merum alodium, primo quandam peciam terre arabilis sitam en Combes, iuxta Rodanum, que continet unam posam, item iuger terre in territorio de Bormia, item juger terre a Montasset, item posam terre ou Crescel, item tres fossoratas vinee en les Bercles, item sex fossoratas vinee loco dicto Sores Saix, item domum suam in villa de Bacio, precio quatuordecim lb. bon. Maur. Ego Petrus de Orba clericus, etc.

Ad maiorem firmitatem nos Petrus de Byllens, judex in Chablasio et Geben., sigillum curie dni comitis Sabaudie apponendum duximus huic instrumento.

1252

Sentence du tribunal de Pierre, vidomne de Rarogne, et d'Amédée de Rarogne.

Rarogne, 1307, 9 juillet.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Coram Berchtoldo cappellano de Raronia, levatore cartarum, Heinrico de Raronia domicello, Petro Esperlino, Petro clerico de Raronia et Willermo Wafenroch sedentibus pro tribunali vice Petri vicedni de Raronia et Amydei filii quondam Vldrici de Raronia militis, quatuor homines per suum juramentum deponunt quod terra cui dicitur Kumberro leen sive Kumbero erbe apud Oysel ze Bircke est de cesaria predicti Petri vicedni. Datum Raronie, anno Dni M.CCC.VII, VII idus julii.

1253

Inféodation faite par Pierre, vidomne de Sion.

Rarogne, 1307, 1 octobre.

Archives de Valère, Registrum cancel. Sedun.

* Petrus vicednus Sedun. in feodum concedit pro LX sol. Maur. nomine intragii et III sol. seruicii Petro ab Riede et Salomee eius vxori quemdam Imfang cui dicitur Ried apud Riede superius Mazzum, item VII fisselinos siliginis. Datum Raronie, anno Dni M.CCC.VII, kl. octobris.

1254

Pierre, major de Suen, prête hommage au chapitre de Sion pour la métralie d'Hérens.

Valère, 1307, 1 octobre.

Archives de Valère.

Notum sit quod Petrus dictus maior de Suen confessus fuit et recognouit se debere ven. capitulo Sedun. homagium ligium, et se tenere a dicto capitulo in feudum homagii ligii mistraliam de Heroens et vnum cop daysement in alpe dEyson et alia infra scripta. Videlicet ratione mistralie memorate potest et debet recipere clamas in valle de Heroens et imponere banna, sed non debet eas marciare, nec banna similiter sine consilio et consensu dnorum capituli prelibati uel nuncii eorumdem; debet siquidem dictus Petrus et heredes sui in clamis, bannis, talliis, eschetes, haueriis certam percipere portionem, videlicet in qualibet clama sex den. et non

ultra, in bannis vero de quolibet solido vnum den. et non ultra, et hoc post... firmiter a dictis dnis uel eorum nuncio marciata, in talliis aut eschetes et fraueriis prenotatis debent percipere, ut supra, in quolibet solido vnicum den. et non vltra. Si autem contingeret dictum Petrum uel heredes suos in posterum aliquem latronem capere et de eo facere iusticiam, debent habere predicti Petrus et heredes sui ferramenta que in domo latronis reperirentur. Promittens dictus Petrus pro se et heredibus suis, per juramentum suum ad sancta Dei euuangelia corporaliter prestitum, officium dicte mistralie facere fideliter et legaliter exercere, jura, rationes Sedun. capituli fideliter manutenere pro viribus et seruare et reddere bonum computum et legalem de prefatis clamis, bannis, eschetis, fraueriis et aliis juribus et rationibus dicti capituli quibuscunque bis in anno, in quolibet placito generali, discreto viro Anthonio Hubodi canonico Sedun. qui nunc est et illi qui pro tempore fuerit a dicto capitulo super suis negotiis deputatus. Promisit insuper, modo quo supra, dictus Petrus obedire dicto capitulo et eorum nuncio in licitis et honestis et omnia cum bona fide facere que in fidelitatis debito continentur. Ad hoc autem quod de premissis aliquid in futurum non possit in dubium reuocari, dnus Ebalus Hubodi canonicus Sedun., procuratorio nomine dicti capituli, precepit cartam fieri et testes adhiberi quorum nomina sunt hec: dni Thomas cantor, Bonifacius de Sarro archidiaconus Augustensis, Vldricus de Dallyeto, Jacobus curatus de Heroens et plures alii, et dnus Petrus de Magi, curatus de Nas, qui hanc cartam leuauit, vice capituli cancellariam tenentis. Actum in ecclesia Valerie, kl. octobris, anno Dni M°CCC°VII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante. Omnia autem suprascripta laudauerunt et ratificauerunt Arenbor vxor dicti Petri maioris, Albertus et Willelmus filii eorumdem et promiserunt, etc., apud Suen, in placito octobris, anno quo supra.

1255

Remise d'usages faite par Boniface de Challant, évêque de Sion, à Jean, Ansermod et Guillemet du Cuson de Vercorens.

Tourbillon, 1307, 9 octobre.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 250.

* Notum quod cum nos Bonifacius episcopus Sedun. emissemus a Cristina de Turre de Granges pro LXV sol. Maur. quoddam homagium ligium quod debebant eidem Cristine Johannes, Ansermodus et Willermetus fratres, filii quondam Vgoneti dol Cuson de Vercorens, et duos den. seruicii et IIII^or d. placiti et talliam ad misericordiam annis alternis de quibus dictus Johannes erat anterior et responsor, nos predicta vsagia remisimus predictis fratribus pro dicto homagio ligio quod fecit in manu nostra pro se et fratribus suis dictus Johannes, et pro XII d. ser. et pro duobus sol. plac., et tenent in feodum a nobis octauam partem alpis de Tracoil. Confitentes insuper quod dicti fratres soluerunt pro nobis dicte Cristine LXV sol. supradictos. Testes: dnus Ansermus curatus de Letron, capellanus noster, etc. Actum apud Turbillion, VII idus octobris, anno Dni M°CCC°VII°.

1256

Inféodation faite par Pierre, vidomne de Sion.

Combes, 1307, 10 octobre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Petrus vicednus Sedun. in feodum concedit pro LX sol.



intragii et VI fisselinis siliginis seruicii et pro hominio ligio Conrado filio Henrici ab der Obsun quicquid ad Nicolaum de Kumbis pertinebat olim supra Riede in Kumberro Erbe uel in Kumberro Martun. Datum apud Kumbas, anno Dni M.CCC.VII, VI idus octobris.

1257

Agnès de Châtillon vend une redevance à Jacques de Boza, donzel.

Châtillon, 1307, 30 octobre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Agnes filia quondam Cononis de Castellione domicelli vendit pro XX lb. Maur. Jacobo de Boza domicello XL sol. seruicii, quos sibi debebat Jacobus de Campiz zen Velen, cum omni jure, feodo et dominio. Testis Marketus de Castellione. Datum apud Castellionem, anno Dni M.CCC.VII, III kl. nouembris.

1258

Amphélise de Châtillon vend à Pierre Esperlin des terres et redevances, que celui-ci lui remet en fief.

Rarogne, 1307, 5 novembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Amphelisa filia quondam Cononis de Castellione domicelli, laudatione Petri mariti sui, vendit pro X lb. Maur. terram dictam Gorba, que fuit patris sui, pratum situm iuxta pratum Agnetis sororis sue, XII den. seruicii et duos sol. placiti debitos ab Eberardo de Raronia, Petro Esperlin de Balchiedro, qui hec omnia, exceptis XII den. et II sol., remisit eidem Am-

phelise in feodum pro XX sol. seruicii, IV sextariis malte et V sol. placiti. Datum Raronie, anno Dni M.CCC.VII, nonis nouembris.

1259

Girold Roux et sa femme vendent un cens à Nantelme d'Ayent, donzel.

Saint-Romain, 1307, 11 novembre.

Copia litterarum de Ayent, f. vj.

Notum, etc., quod nos Giroldus Ruffus et Alueta vxor mea, laudatione Alnaldi et Johannis filiorum nostrorum, vendidimus pro sexaginta octo sol. Maur. nobis solutis Nantelmo de Ayent domicello quatuor fischillinos siliginis censuales soluendos in festo beati Martini yemalis. Si deficeremus in solutione dicti census, assignauimus dictum censum percipiendum supra vineam dotis mee Aluete, sitam in valle de Boulis, inter vineas quondam dni Petri de Ayent militis, Vulliermi de Champey, viam Sedun. in territorio de Corselines, quam vineam ego Alueta habeo in feudum planum de Francisco de Sasson domicello. Testes : Aymó et Chabertus mistrales fratres, Jacobus Philipi, Burgerius Latomi et dnus Petrus curatus de Ayent, qui, etc. Actum apud Sanctum Romanum, III idus nouembris, anno Dni M°CCC°VII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1260

Remise de services faite par Boniface de Challant, évêque de Sion, à Pierre, Borcard et Béatrice Aymonetan de Vercorens.

Tourbillon, 1307, 13 novembre.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., pag. 243.

* Notum quod cum nos Bonifacius Sedun. episcopus emeri-

mus pro XL sol. Maur. a Cristina de Turre de Granges III sol. Maur. seruicii quos sibi debebat Petrus li don Aymonetan de Vercorens, et XII d. pl. quos sibi debebat dictus Petrus, et vnum fischelinum fabarum censualem quem debebat eidem Cristine Beatrix soror dicti Petri, relicta Martini de la Cresta de Vercorens, pro rebus sitis apud Vercorens, quas predicti Petrus et Beatrix recognouerunt se tenere in feodum ab ipsa Cristina, et easdem res confessa fuit eadem Cristina esse de feodo homagii ligii nostri, nos de gracia speciali et pro eo eciam quod predicti Petrus, Beatrix et Borcardus frater eorumdem soluerunt pro nobis dicte Cristine predictos XL sol. racione acquisiti, dedimus et quittauimus Petro, Borcardo et Beatrici predictis dictum seruicium trium sol. et dictum fischelinum fabarum pro quinque den. seruicii et XII d. plac. et pro decem sol. de intragio nobis persolutis. Testes: dnus Ansermus capellanus noster, P. vicednus Sedun., etc. Actum apud Turbillion, idus nouembris, anno Dni M°CCC°VII°.

1261

Agathe, fille de Venech de Saas, se sépare de son mari et se retire dans une recluserie.

Viège, 1307, 28 novembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun. — De Gingins, *Documents pour servir à l'histoire des comtes de Biandrate*, pag. 46.

* Notum, etc., quod discordia que vertebatur inter Johannem filium quondam Willermi im Schoenenbodme de Grenkvn, ex vna parte, et inter Agatham filiam Venech de Sausa vxorem eius, de consensu ipsius mariti a toro viri separatam ac in Dei seruicio reclusorio reclusam, ex parte altera, proborum virorum consilio taliter est decisa, videlicet quod dictus Johannes

juravit ad sancta Dei euangelia se dictam Agatham nunquam de cetero ad torum legitimum petiturum, etc. Testes : Jocelmus maior de Vespia, Petrus filius suus, Johannes de Vespia domicellus, Petrus filius quondam Stephani domicelli de Saxo, etc. Actum in foro Vespie, IV kl. decembris, anno Dni M°CCC°VII°.

1262

Sentence de l'évêque de Sion au sujet du transport des marchandises.

1307, novembre.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Coram R. D. Bonifacio episcopo, inter communitatem de Narres et de Briga, ex una, et communitatem de Simplono, ex altera, super vectura ballarum, ordinavit episcopus, de consensu partium, quod communitas de Narres et de Briga ducere debeat dictas ballas per octo primos dies post festum S. Catharine, et dicti de Simplono per alios octo dies et sic subsequenter. 1307, in novembri.

1263

Concession de fief faite par les donzels Jean, Pierre et Rodolphe de Rarogne, à Jean In der Gufrun.

Rarogne, 1307, 19 décembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Notum, etc., quod ego Beatrix dicta ab der Burg de Raronia dedi Johanni filio Wernheri de Raronia domicelli, Petro

et Rodolpho fratribus, filiis quondam Aymonis filii dicti Wernheri, vineam cui dicitur Tauestin apud Kumbas, ita quod ipsi faciant vsagia dni episcopi Sedun. Quam vineam et aliam cui dicitur Grvblin, et quoddam pratum situm super prato Henrici filii quondam Hugonis de Rarognia domicelli apud Kumbum, nos predicti Johannes, Petrus et Rodolphus de Raronia domicelli in feudum concessimus pro vno modio siliginis servicii Johanni filio quondam Petri in der Gufrun. Actum Raronie, XIIII kl. januarii, anno Dni M°CCC°VII°.


1264

Vente faite par Jean, Pierre et Rodolphe de Rarogne à Pierre Esperlin.

Rarogne, 1307, 21 décembre.

Arch. de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Notum, etc., quod nos Johannes filius Wernheri de Raronia domicelli, Petrus et Rodulphus fratres, filii quondam Aymonis de Raronia, fratris dicti Johannis, vendidimus pro XII lb. et X sol. Maur. Petro Esperlino de Balchiedro frustrum terre apud Sanctum Germanum, sub vinea Henrici de Raronia domicelli, cui dicitur Akerlin, quod frustrum vocatur Bvnda et fuit Wernheri patris dicti Johannis. Item quinque sol. Maur. seruicii annualis et quartam partem arietis placiti, quos nobis Petrus dictus Bvchin debebat de quodam prato im Turtinge, sub insula Petri maioris, et super terra Johannis de Castro. Item vnum modium siliginis seruicii quem nobis Johannes de Castro debebat. Que omnia pro II sext. malte seruicii garentire debemus. Actum Raronie, XII kl. januarii, anno Dni M°CCC°VII°.



1265

Accord entre le curé de Saint-Germain et Agnès la Turalessa au sujet des deniers du luminaire de l'église.

Sion, 1307.

Copie à la cure de Savièse.

* Notum quod cum discordia verteretur inter dnum Willermum de Sancto Mauricio curatum ecclesie Sancti Germani et Agnetem laz Turalessa de Sancto Germano et eius liberos super eo quod dictus curatus petebat ab ipsis sibi reddi denarios luminarii, quos ipsi colligebant in tota perrochia, quos dicebat dictus curatus ad se et dictam ecclesiam pertinere de jure communi pro illuminandis altaribus et reliquis ecclesie memorate, ex parte vero dicte Agnetis et liberorum suorum proponebatur quod ad hoc minime tenebantur, quod super ipsis colligendis legitima prescriptione tuebantur. Tandem ad talem venerunt compositionem, quod dicti denarii luminaris dicto curato sint et remaneant et per eum seu eius nuncium colligantur, et dicta Agnes et liberi sui tenentur soluere dicto curato oblationes debitas et luminare et allia jura perrochialia, prout alii perrochiani, vna cum XIIII den. seruicii et duos den. annuales de elemosina ad quos tenentur. Facta est dicta compositio de auctoritate dni Bonifacii episcopi Sedun. et dni Ay. decani Sedun., patroni dicte ecclesie. Testes: dnus Johannes Boneti officialis Sedun., Petrus vicednus Sedun., Willermus salterus de Seta, Thomas de Chouson et plures alii. Actum Seduni, anno Dni M°CCC°VII°, Alberto regnante, Bonefacio episcopante.



1266

Echange entre Boniface, évêque de Sion, et Nicolas Binfa.

Tourbillon, 1308, 6 janvier.

Archives de Valère, Z, 164.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod cum omnia bona mobilia et immobilia Petri de Mura ciuis Sedun. ad nos Bonifacium episcopum Sedun. et ad mensam episcopalem perpetue deuoluta fuerint et commissa, seu etiam confiscata ob ipsius multa banna et clamas que incurrit et plurima maleficia, videlicet periuria, latrocinia que commisit, pro quibus per sententiam et cognicionem curie nostre officialium et sapientum nostrorum fuit publice et legitime condempnatus et etiam fronte ferro calido signata exilio relegatus, de quibus bonis erant vetus domus quondam Jaquete de Palacio, sita iuxta capellam beati Theodoli et domum capellanie et ante domum dni Nicholai Bynfa presbiteri, et medietas cuiusdam viridarii siti retro dictam domum capellanie et iuxta ortos capituli Sedun., que domus cum medietate viridarii petebatur a nobis per dictum dnum Nicholaum dicentem ad se proprietatem dictarum rerum totaliter pertinere, et hoc per instrumenta fide digna et publica conprobando, nos autem, habito consilio peritorum ac inspecta vtilitate nostra et mense episcopalis et inspecto iure dicti dni Nicholai cui detrahere nolumus nec debemus, ipsam domum et medietatem dicti viridarii cum eorum pertinenciis vniuersis pro nobis et successoribus nostris catholicis dedimus, concessimus et quictauimus in perpetuum in permutacionem et concambium prefato dno Nicholao et suis heredibus, ita tamen quod dictus dnus Nicholaus teneatur soluere annuatim seruitoribus ecclesie Sedun. quindecim sol. Maur. pro

anniuersariis Johannis de Palacio clerici et Johannis fratris eius layci ac Jaquete sororis eorumdem, et duos sol. confratrie Sancti Spiritus et sex denarios seruicii et duos sol. placiti sacriste Sedun. Dictus vero dnus Nicholaus nobis et successoribus nostris dedit, cessit et quictauit imperpetuum in concambium viridarium suum cum suis pertinentiis vniuersis, situm retro bastimentum, iuxta plantatas nostras et iuxta viridarium Johannis Frewart, pro quo viridario nos et successores nostri tenemur soluere annuatim in natali Dni dno sacriste de seruicio vnam libram piperis ad paruum pondus et quinque solidos placiti. Promittentes, etc. Renunciantes, etc. Inde rogaverunt cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: dnus Ansermus curatus de Leytrono, Willermus Marescalcus, Gottefreidus de Vespia, Petrus de Aniuesio, Petrus de Vercorens sartor, Rodulphus sutor theutonicus Seduni commorans et Johannes de Basilea clericus, qui iuratus super hoc hanc cartam leuauit et scripsit, vice capituli Sedun. cancellariam tenentis. Cui si quis, etc. Actum apud Turbillionem, VIII idus januarii, anno Dni M°CCC° octauo, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1267

Conversion d'un fief lige en fief plain.

Conthey, 1308, 21 janvier.

Archives de la ville de Sion.

* Nos Petrus de Billens, judex in Valesio Chablasio et Gebenn. pro ill. viro dno Amedeo comite Sabaudie, notum facimus quod, sicut nobis constat per relationem dni Jacobi de Melduno capellani, notarii jurati curie dicti dni comitis, in sui presencia constitutis Willelmo de Ventuna domicello, ex vna parte, Johanne Ribor de Sinsina, Martino Borgoin eiusdem

loci, nomine Anthonie vxoris sue et suo, Johanne dicto de Aniuesio marito Anthonie filie quondam au Judet de Plathea et Seuerino filio quondam Vdrici de Toux de Dallyon, ex altera, super eo videlicet quod cum discordia mota fuisset inter ipsum Willelmum, ex vna parte, et predictos homines, ex altera, super vno homagio ligio quod petebat dictus Willelmus a supradictis hominibus, quod quidem homagium debebat Urdricus Oudraucz quondam pro rebus infrascriptis, videlicet pro vno jugere campi sito in territorio de Werins, iuxta vineam Johannis de Turri, dni Castellionis et vicedni Contegii, item pro duabus seytoratis prati sitis en Champs supra Sinsinam, item pro vna pecia prati sita in territorio de Creuitz, item pro dimidio jugere campi sito in territorio de Saliuanz, item pro vno casali sito apud Sinsinam, item pro duobus iugeribus campi sitis en la Comba de Mais ; et super hiis dictus Willelmus ipsos Johannem Ribor, Martinum Borgoin, Johannem de Aniuesio, nominibus quibus supra, et Seuerinum filium quondam Vdrici de Toux traxisset in causam, dicti uero Martinus Borgoins, Johannes Ribors et Seuerinus de Toux ad sui defensionem responderent quod Johannes de Aniuesio, heredesque Judeti de Platea super predicto homagio eis ferre debebat (sic) guerenciam, tandem virtute compromissi amici electi ipsum Willelmum et predictos homines concordauerunt in hunc modum, videlicet quod dictus Willelmus de Uentuna soluit dictis Johanni Ribor, Martino Borgoin, Seuerino de Toux et Johanni de Aniuesio homagium ligium supradictum et eisdem res supradictas concessit in planum feudum et heredibus eorum pro duobus sol. Maur. seruicii et quatuor sol. de placito in morte dni et vassalli, de quibus Johannes de Aniuesio predictus est deuanterius. Testis Henricus de Castellione domicellus. In cuius rei testimonium nos predictus judex sigillum dicte curie presentibus litteris duximus apponendum. Actum apud Contez, XII kl. februarii, anno Dni M°CCC° octauo.

1268

Le chapitre de Sion accorde à Nicolas d'Ernen le droit de lever les chartes depuis Louèche en bas.

Valère, 1308, 5 février.

Archives de Valère, D, 21.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod nos Aymo decanus, Ebalus sacrista ecclesie Sedun., totumque capitulum Sedun. in ecclesia Valerie conuocatum per pulsationem campane, prout moris est, volentes vtilitati dicti capituli prouidere, pluribusque tractatibus prehabitis in capitulo memorato super hiis que sequuntur, dedimus et concessimus vnanimiter et concorditer Nicholao de Aragnon clerico Seduni commoranti, tamquam benemerito, quandiu vixerit in humanis, omnes cartas et scripturam omnium cartarum leuatarum, leuandarum et faciendarum auctoritate cancellarie Sedun. a Leuca inferius et cum eisdem de Leuca in ipsa tota parrochia de Leuca, tam ab vna parte Rodani quam ab alia, cum omni jure et ratione ac eciam vtilitate earumdem, quod et quas habemus, percipimus sue habere et percipere debemus ratione et ex causa cartarum leuatarum, leuandarum et conficiendarum auctoritate predicta in locis predictis, quamdiu idem Nicholaus uixerit et fuerit in humanis. Qui quidem Nicholaus promisit viro venerabili dno Nicholao de Clareyns concanonico nostro Sedun. et procuratori nostro, stipulanti et recipienti vice et nomine et ad opus nostri, se daturum et soluturum anno quolibet nobis dicto capitulo uel mistrali nostro quinquaginta modios frumenti pulcri et receptibilis ad mensuram Sedun., uidelicet medietatem in festo Asumptionis beate Marie Virginis et aliam medietatem in festo dedicationis ecclesie Sedun.,

et hoc sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, quecumque sint et quocunque nomine censeantur. Promisit eciam dictus Nicholaus predictas cartas leuatas, leuandas et conficiendas registrare apud Sedunum, scribere et grossare et dictum officium bene et fideliter exercere ac jura ipsius cancellarie tenere et custodire pro posse, scriptoresque et pargamena cartis scribendis et rescribendis ac registris suo tempore confectis necessaria suis propriis sumptibus ministrare ac quaternos registrorum, quando erunt scripti et perfecti, tradere anno completo, ut cum aliis registris ponantur seu eciam allocentur. Item actum est inter nos dictas partes quod cartas ipsi Nicolao concessas in locis predictis uel in aliquo locorum predictorum idem Nicholaus a leuatione presentis carte in antea possit augmentare et minuere et cuicumque voluerit dimittere vel concedere et levatores constituere, prout vtilitati sue et dicte cancellarie videbitur expedire. Leuatores autem cartarum de Seduno, de Sancto Germano, de Vex et de Heremencia ad requisitionem ipsius Nicholai ponantur et remoueantur tales qui sint digni, boni et fideles et ydonei et qui jurent bene, fideliter et legaliter exercere opus cancellarie predicte. Quos leuatores idem Nicholaus debet presentare viris venerabilibus dno Johanni Herpo et dno Johanni Boneti concanonicis nostris Sedun., a nobis super hoc deputatis ad ipsos confirmandos. Item actum extitit inter nos et dictum Nicolaum quod Petrus de Dayletto de Leuca clericus ad uitam suam habeat et teneat cartas de Leuca, secundum quod per nos sibi alias fuit concessum, scilicet pro quatuor modiis frumenti pulcri et receptibilis et pro sex den. Maur. pro qualibet carta, prout moris est. Qui quatuor modii et scriptura predicta, scilicet sex den. pro qualibet carta, includuntur in firmam Nicholai predicti. Item actum extitit inter nos et dictum Nicholaum quod si ipse Nicholaus nimis hausterus et rigidus esset in exigendo jus cartarum pre-

dictarum, ad arbitrium dictorum dni Johannis Herpo et dni Johannis Boneti dicte carte taxarentur, prout rationabiliter esset faciendum. Item actum est et expresse conuentum inter nos et dictum Nicholaum quod ipse Nicholaus non debet habere uel accipere a uobis uel aliquo concanonicorum nostrorum de qualibet carta super aliquo acquisito facto cuiuscumque quantitatis pecunie, si aliquod acquisitum fecerimus in futurum, nisi duodecim den. pro qualibet carta. Item actum extitit inter nos et dictum Nicholaum quod si contingeret nos dictam cancellariam ex aliqua causa concedere dno episcopo Sedun., non obstantibus dictis pactionibus, hoc facere possumus, habita primo semper ratione de receptis et soluendis, prout secundum ratam temporis et secundum receptionem dictarum cartarum per dictum tempus videretur faciendum. Si autem nunc uel in futurum dicte carte siue scriptura ipsarum cartarum plus valerent aliquo anno siue aliquibus annis eas valere contingerit plus quam dictos quinquaginta modios, illud plus damus et concedimus donatione pura et irreuocabili facta inter uiuos eidem Nicholao tanquam benemerito et pro bonis seruiciis in ipsa cancellaria et alibi nobis per dictum Nicholaum exhibitis et impensis. Renunciantes, etc. Inde rogauimus cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: dnus Bartholomeus de Nas, dnus Johannes Pollo de Conches, sacerdotes, seruitores Valerie, Jacobus de Vespia clericus, mistralis noster, et Petrus de Lax clericus et Johannodus dictus de Auboreynges clericus morans Seduni, qui hanc cartam leuauit, uice capituli predicti. Cui si quis, etc. Actum in choro ecclesie Valerie, ipso capitulo conuocato, nonas februarii, anno Dni M°CCC°VIII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante. Quam cartam postmodum repertam in registro ego Willermus de Ayent clericus juratus dicte cancellarie eam scripsi, uice capituli Sedun., predicti ipsam cancellariam tenentis. Actum

in castro Valerie, duodecimo kl. julii, anno Dni M°CCC°XIX°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1269

Le chapitre de Sion accorde à Pierre de Lax le droit de lever les chartes depuis Louèche en haut.

Valère, 1308, 5 février.

Archives de Valère, D, 15.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod nos Aymo decanus, Ebalus sacrista ecclesie Sedun., totumque capitulum Sedun., in ecclesia Valerie conuocatum per pulsationem campane, ut moris est, volentes vtilitati nostre et dicti capituli prouidere, pluribusque tractatibus prehabitis in capitulo memorato super hiis que sequuntur, damus et concedimus vnanimiter et concorditer Petro de Lax clerico, tanquam benemerito, quamdiu vixerit in humanis, omnes cartas et scripturam omnium cartarum leuatarum, leuandarum et conficiendarum a Leuca superius, sed non cartas parrochie de Leuca, tam ab vna parte Rodani quam ab alia, cum omni jure et ratione ac eciam vtilitate quod et quas habemus seu habere debemus ratione et ex causa dictarum cartarum in locis predictis, quamdiu idem Petrus vixerit et fuerit in humanis. Qui quidem Petrus promisit viro ven. et discreto dno Nicholao de Clarens concanonico et procuratori nostro, stipulanti et recipienti vice et nomine nostro, se daturum et soluturum anno quolibet nobis vel mandato nostro triginta modios frumenti pulcri et receptibilis ad mensuram Sedun., medietatem scilicet in festo Assumptionis beate Marie Virginis et aliam medietatem in



festo dedicationis ecclesie Sedun., et hoc sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, quecumque sint et quocumque nomine censeantur. Promisit, inquam, dictus Petrus fideiubere in manu mistralis nostri qui nunc est et qui pro tempore fuerit, infra dictos terminos per ydoneos fideiussores de soluendo dictos triginta modios terminis supradictis. Et si, quod absit, contingeret ipsum Petrum deficere in solutione predicta vel in aliquo predictorum terminorum in toto vel in parte, promisit, vt supra, dampna et expensas que et quas sustineremus occasione dicte solutionis non facte tempore debito, ut superius est expressum, nobis integraliter resarcire. Promisit eciam idem Petrus predictas cartas registrare, scribere et ingrossare in ciuitate Sedun. vel in castro nostro Valerie per vnum scriptorem juratum dicte cancellarie suis propriis sumptibus et expensis ac dictum officium bene et fideliter exercere, ac jura ipsius cancellarie pro posse suo tenere et fideliter custodire ac quaternos registrorum, quando erunt perfecti, reddere et tradere in ecclesia Valerie, vt cum aliis registris ponantur seu eciam allocentur. Item actum extitit inter nos et dictum Petrum quod si dictus Petrus nimis hausterus et rigidus esset in exigendo jus dictarum cartarum, ad arbitrium discretorum virorum dni Johannis Herpo et dni Johannis Boneti concanicorum nostrorum dicte carte taxarentur, prout fuerit rationis. Item actum extitit inter nos et dictum Petrum quod si contingeret nos cartas predictas ex aliqua causa concedere dno episcopo Sedun., non obstantibus dictis pactionibus, hoc facere possimus, salua tamen semper parte sua, scilicet medietate dictarum cartarum sibi per nos alias concessa cum quondam dno Johanne de Dayletto concanonico nostro Sedun., prout continetur in quadam alia carta sibi super hoc confecta in cancellaria nostra. Que medietas debet sibi ad vitam suam totaliter remanere, non obstante casu predicto. Quam medietatem sibi nunc prout ex tunc,

dum vixerit, confirmamus. Si autem contingeret dictas cartas plus valere quam dictos triginta modios, illud plus damus et concedimus donatione pura facta irreuocabiliter inter viuos dicto Petro tanquam benemerito et pro bonis seruiciis in ipsa cancellaria et alibi nobis per ipsum Petrum exibitis et impensis. Renunciantes, etc. Inde rogauimus cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: dnus Bartholomeus de Nas, dnus Johannes Pollo de Conches, sacerdotes, seruitores Valerie, Jacobus de Vespia clericus mistralis noster, Nicolaus de Aragnon clericus et ego Johanerodus dictus de Auboreynges de Viuiaco clericus morans Seduni, qui juratus super hoc hanc cartam leuaui et scripsi, vice capituli memorati. Cui si quis, etc. Actum in choro ecclesie de Valeria, capitulo conuocato, nonas februarii, anno Dni M°CCC° octauo, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1270

Boniface, évêque de Sion, confirme l'acte par lequel il avait antérieurement ordonné de rendre à Rodolphe de Combes les biens d'Ulric, frère de ce dernier [1].

Tourbillon, 1308, 12 février.

Archives de Valère, Registrum cancel. Sedun.

Notum, etc., quod in presencia nostri Bonefacii diuina permissione Sedun. episcopi propter infrascripta specialiter constitutus Rodulphus filius quondam Petri de Combis de parrochia de Raronia, idem Rodulphus proposuit coram nobis quod Vldricus quondam frater suus accepit mutuo triginta libras Maur. a Warnero de Raronia domicello, nuncio quon-

[1] Voy. les dépositions de témoins relatives à cette affaire, du 28 mai 1299 (tom. II, pag. 545), du 7 novembre 1304 (tom. III, pag. 100), et du 28 janvier 1308 (tom. II, pag. 547).

dam dni Othonis de la Warda, pro qua pecunia certis terminis persoluenda dictus Petrus de Combis de mandato dicti Vldrici dedit fideiussores, redditores et obsides pro ipso Vldrico in manu dicti Warneri. Cui Petro dictus Vldricus obligauit omnia bona sua, vbicunque essent et quoconque nomine censerentur, presencia et futura, ad conseruandum ipsum Petrum et heredes suos indempnes ratione dictorum fideiussorum quos posuerat in manu dicti Warneri. Quo quidem Vldrico non soluente dictam summam pecunie eidem Warnero, Margareta relicta dicti Petri soluit et emendauit dicto Warnero dictam summam pecunie, et inde dampna sustinuit, grauamina et expensas usque ad centum libras Maur. et de hiis nobis constat tam per assertionem dicti Rodulphi quam per cartam inde confectam et leuatam per dnum Petrum de Luceria capellanum de Vespia, leuatorem cartarum cancellarie Sedun. Item proposuit dictus Rodulphus cum dicta Margareta mater sua intellixet quod dnus Petrus quondam de Raronia miles dicebatur emisse a dicto Vldrico fratre dicti Rodulphi quondam peciam terre vineatam et non vineatam et partiuam et omnes alias possessiones dicti Vldrici sitas in territorio de Combis et retro, dictus dnus Petrus miles dimississet dicto Vldrico predictas res et possessiones tenendas et possidendas pro annuo reddita, videlicet pro septem modiis siliginis ad mensuram de Rarognia, ipsa Margareta incontinenti quod sciuit et intellexit emptionem predictam factam per dictum militem a dicto Vldrico, contradixit et reclamauit expresse contra ipsam emptionem. Super qua contradictione et reclamatione dictus dnus Petrus fuit tractus in judicium per dictum Rodulphum nomine suo et dicte Margarete matris sue ad curiam bone memorie dni Petri predecessoris nostri episcopi Sedun. Qui Rodulphus propter contumaciam dicti militis nomine predicto fuit inuestitutus per cognitionem curie dicti dni episcopi Petri de omnibus rebus quas dictus dnus Petrus de Raronia tenebat et

habebat de hereditate dicti Vldrici, dans dictus episcopus Petrus suis litteris in mandatis quondam dno Vldrico de Raronia tunc domicello, tenenti locum dicti dni episcopi apud Raroniam, ut dictum Rodulphum in possessionem dictarum rerum induceret, ut de eis nobis constat per litteram sigillo dicti dni episcopi Petri sigillatam. Item proposuit dictus Rodulphus quod dictus dnus Petrus quondam de Raronia miles graviter infirmatus, saluti sue prospiciens, de qua infirmitate decessit, compos mentis sue et ex certa sciencia sua et corde contrito coram curato suo dno Johanne de Duabus Seminis, Lausan. diocesis, et coram pluribus aliis personis fidedignis publica voce confessus fuit se Vldricum filium quondam Petri de Combis, fratrem Rodulphi de Combis, graviter offendisse et dampnificasse in eo quod terras et possessiones suas seu bona sua ac redditus suos, tam apud Combas prope Raroniam quam alibi in diocesi Sedun., occupauit modo quocumque et tenuit minus juste, eorum fructus in sue anime periculum percipiens et recolligens multis annis. Qua recognitione facta ipsum Vldricum de Combis fratrem dicti Rodulphi inuestiuit coram dictis personis ibi presentibus in jus et possessionem liberam, absolutam, pacificam et quietam omnium terrarum et possessionum, bonorum ac redditaum suorum, quocumque modo ea teneret aut tenere videretur seu occupare, se ipsum deuestiens et ipsum Vldricum inuestiens de predictis omnibus pleno jure, nulla actione seu jure in hiis sibi aut suis heredibus saluis vel retentis. Post quam restitutionem rerum premissarum predictus dnus Petrus petiit humiliter a prefato Vldrico de Combis veniam de commissis contra ipsum Vldricum. Et hanc etiam restitutionem dictarum rerum et postulationem venie fecit pluries dictus dnus Petrus in diuersis infirmitatibus constitutus a predicto Vldrico, vt nobis constat per quasdam cartas et litteras confectas per predictum dnum Petrum de Luceria, leuatorem cartarum cancellarie Sedun. Pre-

terea proposuit dictus Rodulphus quod, propter delictum et offensas quondam dicti Vldrici factas contra predictum dnum episcopum Petrum predecessorem nostrum, omnia bona eiusdem Vldrici eidem dno episcopo ceciderunt in commissum. Deinde, propter delictum et offensas Thome filii quondam dicti dni Petri de Raronia, omnia bona que tenuerunt et possederunt olim dictus dnus Petrus et Thomas filius eius, que erant et fuerant de hereditate et albergamento dicti Vldrici de Combis, nobis et ecclesie Sedun. ceciderunt in commissum. Quare nos ex premissis causis omnibus attendentes predicta omnia bona predicti Vldrici quondam deuenisse legitime ad dictum Rodulphum fratrem suum siue ad nos ratione offensarum predictarum, et predictos dnum Petrum et Thomam filium eius ac etiam Peterlinum filium dicti Thome nullum jus in rebus predictis habuisse, et si quod habuerunt totaliter amisisse, res omnes et bona predicta et quicquid juris, rationis et actionis in eis habuimus et habemus, consideratis seruiciis, fide et meritis dicti Rodulphi quam ad nos semper habuit et ecclesiam Sedun., eidem Rodulpho et suis heredibus olim concessimus et de ipsis bonis et rebus ipsum inuestiuimus; cui concessioni et inuestiture interuenit laudatio, approbatio et ratificatio capituli Sedun., vt nobis constat per litteram sigillo dicti capituli sigillatam. Quam concessionem dictarum rerum et bonorum et inuestituram iterum facimus dicto Rodulpho et suis heredibus pro sex libris cere seruicii soluendis ex nunc annis singulis capelle nostre de Turbillion, quam ibi de nouo construimus, seu rectori eiusdem in Natiuitate Dni, et sex libris cere placiti. Promittentes eidem Rodulpho et eius heredibus, pro nobis et successoribus nostris ac nomine ecclesie Sedun., ferre guerenciam de rebus et bonis predictis legitime contra omnes, saluo jure nostro et ecclesie Sedun. ac etiam alieno, maxime cum in concordia que inter nos, ex vna parte, et Peterlinum filium quondam dicti Thome de Raronia,

ex altera, facta fuit super offensis quas contra nos et ecclesiam Sedun. fecerat per guerram quondam Petri de Turre retinuerimus nobis et ecclesie Sedun. expresse et specialiter, aut cui dare, concedere vel alienare vellemus, bona, possessiones et terras quondam dicti Vldrici de Combis, que et quas possederant et tenuerant olim dnus Petrus et Thomas filius eius predicti, vt superius continetur. In quorum omnium testimonium et roboris firmitatem ad preces et requisitionem dicti Rudulphi sigillum nostrum presentibus duximus apponendum, et nichillominus jussimus ex predictis, substancia tamen eorum in omnibus observata, fieri cartam cancellarie Sedun. ex nunc leuatam per Amedeum de Reyna clericum nostrum, leuatorem cartarum cancellarie supradicte, quociens a dicto Rodulpho vel eius heredibus fuerit requisita, presentibus testibus ad hoc vocatis et rogatis : fratre Johanne Wichardi de Sancto Mauricio, ordinis Predicatorum, dno Ansermo capellano nostro, curato de Leytron, dno Willermo curato de Veraya, mistrale nostro, dno Girardo de Salino rectore altaris beati Bartholomei in ecclesia Sedun. et dicto Amedeo de Reyna clerico qui, etc. Actum apud Turbillion, II° idus februarii, anno Dni M°CCC°VIII°, Alberto regnante.

1271

Vente faite par Jacques de La Tour, donzel, à Aymon de Morestel, donzel.

Granges, 1308, 9 avril.

Archives de M. Léon de Riedmatten.

* Notum, etc., quod ego Jacobus de Turre domicellus vendidi et finaui pro decem et septem lb. et decem sol. Maur. Aymoni de Morestello domicello, primo vnum modium sili-

ginis ad mensuram de Granges altero annorum, quod michi debebat dictus Aymo super quoddam frustum terre situm en Oulun; item quatuor fisch. siliginis quos debet Lambertus de Heroens super virgulto sito ou Glonnyer; item quatuor fisch. siliginis quos debent heredes Johannis de Salanchia super pratum situm en Choueyx; item vnum modium siliginis quem debent heredes Frewardi de Loy altero annorum; item tres fisch. siliginis quos debent heredes Johannis de Lapleyour et duos sol. seruicii cum placito quos debent predicti heredes; item pratum meum deys Plan.... situm juxta prata Willermi de Morestel. Testes : Petrus Lyonet, Willermus de Morestel domicellus, etc. Actum apud Granges, V idus aprilis, anno Dni M°CCC°VIII°, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1272

Pierre Esperlin rend à Thomas de Tourtemagne des cens que celui-ci lui avait vendus.

Rarogne, 1308, 14 mai.

Archives de Valère, Registrum cancel. Sedun.

Notum, etc., quod ego Petrus dictus Esperlini de Ponziro, laudatione Anthonie vxoris mee, Johannis, Gotefredi, Petri, France, liberorum meorum, remisi pariter et finaui Thome de Turtemagny sex modios et VI fichilinos siliginis seruicii, item III modios malte seruicii in vindemiis, quos vendiderat michi idem Thomas, laudatione Salomee vxoris sue, apud Krepzbrunnum, precio videlicet dictum bladum pro XXIII lb. et dictum vinum pro XXX lb. Actum Rarognie, II idus maii, anno Dni M°CCC°VIII°.

1273

Testament de Guillaume d'Aoste, recteur de l'hôpital de Saint-Jean, à Sion.

Tourbillon, 1308, 21 mai.

Archives de Valère, F, 115.

* Anno Dni M°CCC° octauo, indicione sexta, XII kl. junii, apud Turbillion, in camera dni Sedun. episcopi, in presencia dnì Bonefacii episcopi Sedun., ego Willelmus de Augusta clericus, rector hospitalis beati Johannis euangeliste Sedun., testamentum meum facio in hunc modum. Heredem meum instituo Willelmum filium quondam Petri Charlet ciuis Augustensis, clericum, nepotem meum dictum de Hospitali, dans ei specialiter domum meam nouam quam edificaui juxta edificia hospitalis predicti, ac domum meam juxta magnum pontem Sedun. et furnum infra ciuitatem Sedun. Post uero cuius Willelmi obitum dicto hospitali dono omnia bona mea. Item do capelle dicti hospitalis breuiarium meum magnum et nouum missale et ornamenta. Item lego capelle de nouo in castro Turbillionis constructe duos modios siliginis censuales, quos emi a Goffredo vicedno de Chamoson. Item lego domui Montisjouis vineam et campum quam et quem habeo in diocesi Augustensi, in loco qui dicitur Buignaschi apud Cignay. Item volo quod quam cito fuerit generale passagium transfretandi, quod tam dictus Willelmus, si vixerit, quam rector hospitalis predicti teneatur mittere clientem vnum in subsidium Terre Sancte, ad quod faciendum precipio dari dicto clienti decem lb. Maur. Executores meos facio dnum Willelmum de Sancto Mauricio curatum de Sancto Germano et dnum Petrum de Cogny rectorem altaris b. Johannis Bapt. in ecclesia Sancti Theoduli Sedun. Testes : dnus Anselmus curatus de Letron,

dnus Willelmus curatus de Veraya, etc. Et ego Amedeus de Reyna clericus, etc.

Nos autem Aymo Sedun. episcopus, cum dictum testamentum per dnum Bonefacium predecessorem nostrum viderimus confirmatum, eodem modo ipsum testamentum confirmamus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presenti instrumento duximus apponendum. Datum Seduni, III nonas decembris, anno Dni M°CCC° vndecimo.

Sceau pendant.

1274

L'évêque Boniface donne en fief la majorie d'Ernen à Gui Ructher.

(1290-1308.)

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Bonifacius episcopus, de laude v. capituli Sedun., inuestivit Guidonem Ructher (?) de maioria de Aragnon in feudum homagii ligii pro gratis obsequiis contra inimicos capitales magnis sumptibus pro defensione ecclesie prestitis.

1275

Accord entre l'évêque Boniface et Théodule, major de Sierre.

(1290-1308.)

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Controversia inter episcopum Bonifacium et Theodulum majorem de Sirro de clamis, freweriis et bannis castellanie de Sirro et maxime de planis bannis que episcopus voluit posse



leuari per suum castellanum et marciandi banna, inquirendi. Major autem intendit probare idem jus et quod $^{1}/_{3}$ pars inde sibi competit.

Testes dicunt quod excepti sunt illi de Chippis, Mozat, du Borzot et illi de castro Sirri et Ansec Allamand.

Rainaldus de Martigniaco primus castellanus Sirri.

1276

Mort de l'évêque Boniface de Challant.

1308, 18 juin.

Nécrologe de Sion du XIVe siècle, ap. Documents, II, 578.

XIIII kl. julii. Obiit episcopus Bonefacius, pro quo episcopus de Castellione dedit XL sol. distribuendos.

1277

Sentence de Pierre de Billens, juge dans l'Entremont, au sujet de la route de Craches, dont les hommes de Liddes ont changé la direction, et d'une chevauchée que ces derniers ont refusé de faire.

Sembrancher, 1308, 3 juillet.

Archives de Liddes.

Nos P. de Billens, judex in Chablasio, Gebenn. et Intermontibus pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, notum facimus presentes litteras inspecturis quod cum questio seu controuersia verteretur coram nobis inter Julyanum de Sancto Mauricio, procuratorem dicti dni comitis, et Humbertum de Gresye, castellanum de Intermontibus nomine dicti dni comitis,

ex vna parte, et Jaquemetum Alberti de Lydes, procuratorem seu sindicum hominum communitatis de Lydes, ex altera, super eo quod predicti procurator et castellanus dicebant et proponebant quod homines de Lydes impedierant et occupauerant viam publicam de Craches sine auctoritate superioris, in preiudicium hutilitatis publice, quare petebant dictam viam in statum pristinum reformari et predictos homines de excessu predicto condempnari et puniri secundum quod foret consonum racioni. Item dicebant et proponebant dicti procurator et castellanus contra predictum sindicum quod predicti homines de Lydes non iuerant, prout debuerant, in caualcatam nuper inditam in auxilium illustris viri dni Lodovici de Sabaudia, dni Vaudi, quare petebant dictos homines in bangnis commissis super hoc per eosdem condempnari. Ad que respondebat dictus sindicus quod predicti homines non offenderant in aliquo occupando dictam viam de Craches, quia dnus comes predictus eis concesserat pasqua dicti loci et aliorum locorum in parrochia de Lydes vsque ad quantitatem occies viginti falcatorum, et in dicto loco de Craches dicebant et asserebant bonam viam dimisisse, ita quod per ea que ibidem fecerant hutilitas publica in aliquo lesa minime videbatur. Super bangnis vero dicte caualcate dicebat dictus syndicus predictos homines uelle stare misericordie dni, considerata paupertate eorum et fatigacione et honere caualcatarum predicti dni comitis, quas ipsos frequenter oportet et oportuit sustinere. Tandem nos dictus judex vna cum viro nobili et discreto dno Rodulpho de Monthemaiori, milite, balliuo in dictis partibus pro eodem dno comite, paupertatem dictorum hominum attendentes, in quam mauxime inciderunt propter frequenciam caualcatarum dni comitis supradicti, predictis procuratore et castellano volentibus et consencientibus cum dicto syndico, nomine quo supra stipulanti et recipienti, de offensa dicti itineris et de bangnis dicte caualcate concorda-

uimus et finem, pactum et quittacionem nomine prefati dni comitis fecimus cum eisdem pro centum sol. Maur. dandis et soluendis, nomine quo supra, pro dictis offensis et bangnis, pactum expressum aliquid de ulterius non petendo. Dantes et concedentes prefatis hominibus de Lydes auctoritatem diuertendi dictam viam publicam de loco solito ad vnam partem ad quam voluerint, dum modo bonam et congruam dimittant et sine incommodo viatorum, et placet quod dicta via remaneat in loco ubi ipsam deuerterunt, dum modo bona sit et congrua, ut superius est expressum. In cuius rei testimonium sigillum curie predicti dni comitis duximus presentibus apponendum. Datum apud Sanctum Brancherium, die mercurii post festum apostolorum Petri et Pauli, anno Dni M°CCC° octauo.

Sceau tombé.

1278

Le juge du Chablais annulle une mise en possession qu'il avait accordée à Jean, sautier de Leytron, contre Anselme, curé du même lieu, et cela sur la demande du sautier lui-même.

Saillon, 1308, 30 août.

A.-J. de Rivaz, Opera hist. XII, 585, ex arch. Leytron.

Nos Petrus de Billens, judex in Chablasio et Gebennesio pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, notum facimus quod cum pluries citari fecissemus dnum Ansermum curatum de Leytrone coram nobis apud Sallionem ad assisias petitionibus Johannis saltheri de Leytron, filii Rodulphi de Arduno, responsurum, ipsumque Johannem posuissemus in possessionem cuiusdam domus dicti curati, que jacet apud Sallyon pro primo decreto ob contumaciam dicti curati non comparentis; quam domum petebat dictus Johannes seu alius nomine suo

et usagia inde sibi debita persolvi, presenti die partibus predictis personaliter coram Juliano de Sancto Mauricio, procuratore dicti dni comitis, tenente ibidem assisias loco nostri apud Sallyon, predictus Johannes voluit quod predicta missio in possessionem per nos revocaretur. Quare de voluntate eiusdem predictam missionem in possessionem ex causa predicta revocamus, cassamus et volumus esse nullam et litteras inde factas carere omnis roboris firmitate, reducentes hiis nostris litteris ipsum curatum in pristinam possessionem dicte domus. Datum apud Saillyon, in assisiis, cum appositione sigilli curie nostre, die veneris in crastino decollationis B. Johannis Baptiste, anno Dni M.CCC.VIII. Presentes fuerunt dnus Nantelmus de Fullye, dnus Willermus de Novilla, Willermus de Coursilly, cappellani, Perrodus de Ponte, Peterlinus clericus de Fullye et plures alii.

1279

Codicille de Boniface de Sarre, archidiacre d'Aoste et chanoine de Sion.

Sarre, 1308, 7 septembre.

Archives de Valère, F, 167.

* Anno Dni M°CCC° octauo, indictione prima, VII idus septembris, in castro de Sarro, dnus Bonefacius de Sarro, archidiaconus Augustensis et canonicus Sedun., per modum codicillorum confirmando testamentum suum ordinauit quod omnia bona sua mobilia, prouentus et debita que habet in ciuitate et dyocesy Sedun. perueniant ad suos executores, scilicet dnum Rodulfum de Foschia, officialem August., dnum Johannem de Plantata, canonicum August., et Johannem de Sarro, nepotem suum. Super quibus bonis legat capitulo Sedun. triginta lb.



semel Maur. in emendam eorum que iniuste habuit de bonis capituli memorati. Item legauit ecclesie August. super bonis mobilibus suis viginti lb. monete August. semel ordinandas in fabricam ecclesie August. Item cum ipse ordinauerit ecclesie August. centum solidos annuales pro vno refectorio ad totum chorum faciendo in Ramispalmarum, ipse per modum codicilli vltra dictos C solidos legauit viginti sol. annui redditus pro suo anniuersario super frareschia sua. Testes : dnus Nichodus monachus Sancte Elene, dnus Andreas curatus ecclesie de Sinzo, etc. et ego Johannes de Augusta dictus Walquarteys, publicus notarius, etc.

Vidimus du 2 des kl. de février 1319.

1280

Hommage prêté à l'évêque de Sion pour la majorie de Louèche.

Sion, 1308, 16 octobre.

Archives de Valère, Liber instrumentorum de Leuca, f. 1 et 4 verso.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod Wilermus maior de Leuca accepit in feodum homagii ligii a reuerendo in Christo patre dno Aymone, diuina permissione Sedun. episcopo, et mensa Sedun. episcopali maioriam de Leucha cum jurisdictione, omni jure et omnibus rebus et pertinentiis ipsius majorie et cetera bona omnia que habet seu habere debet idem maior a Morgia de Contez superius, exceptis rebus suis de Mojot, et exceptis rebus existentibus de feudo allieno, et exceptis etiam rebus olim affeodatis vel aliter datis seu allienatis de rebus quondam ipsius maioris per bone memorie Bonifacium, quondam episcopum Sedun., et pro huiusmodi feodo tenetur et promisit dictus maior pro se et suis heredibus sol-

uere dicto dno episcopo et mense episcopali Sedun. vsagia que alias solui consueuerunt temporibus retroactis pro maioria memorata. In feodi cuius receptione dictus maior fecit fidelitatem homagii ligii ipsi dno episcopo Aymoni ore et manibus, vt est moris, ratione feodi supradicti. Promittens idem maior pro se et suis heredibus per juramentum suum ad sancta Dei euangelia corporaliter prestitum esse fidelis de cetero in omnibus et per omnia dicto dno episcopo et eius successoribus catholicis et mense episcopali, et honorem et vtilitatem et commodum ipsius dni episcopi et eius successorum et mense episcopalis pro viribus perpetuo procurare, et alia facere que sub fidelitatis onere et vinculo continentur. Inde jusserunt fieri bonam cartam dictus dnus episcopus et maior predictus ad dictamen sapientis, substantia predictorum non mutata, et testes apponi qui sic vocantur : dnus Nycolaus de Clarens, dnus Johannes Boueri, Jacobus de Augusta, canonici Sedun., Jacobus dnus de Quarto, dnus Vldricus de Sirro miles, Petrus dnus Castellionis, Augusten. diocesis, Joannes de Turre, Bonifacius de Nuns, Vulermus de Anniuisio, domicelli, et plures alii, et Amedeus de Reyna clericus qui, etc. Actum Seduni, in domo episcopali, XVII kl. nouembris, anno Dni millesimo CCC°VIII°, imperio vacante, Aymone predicto episcopante.

1281

Vente des biens d'un mineur par l'évêque de Sion.

Sion, 1308, 23 octobre.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 253.

* Notum sit omnibus, etc., quod cum nos Aymo Dei gracia Sedun. episcopus primo, secundo et tercio in ecclesia de Vercorens per tres dies dominicos presente populo fecerimus



publice nunciari quod ad terciam diem proximior seu proximiores filii quondam Girodi dicti Videndo de Vercorens coram nobis comparerent, ut possemus de tutela et regimine dicti pupilli filii dicti Girodi et de soluendis eius debitis vtiliter ordinare, nec aliquis comparuerit coram nobis ad assumendum tutelam pupilli predicti, propter onus non modicum debitorum ipsius pupilli et hospicii eiusdem, nec bona mobilia eiusdem pupilli sufficere possint ad solutionem dictorum debitorum, absque distractione bonorum immobilium pueri supradicti, nos igitur indempnitati creditorum quondam dicti Girodi et eius filii volentes salubriter prouidere, habita super hoc deliberacione cum peritis per cognicionem curie nostre, vendidimus et vendi precipimus, pro VII lb. et quinque sol. Maur. in solutionem debitorum dicti pueri et in eius alimentis et regimine positis totaliter et conuersis, Perrodo dicto Videndo nepoti quondam dicti Girodi, saluo jure nostro et vsagiis nostris saluis, totam hereditatem dicti pueri, exceptis tamen terris assis. Testes: P. vicednus Sedun., W. de Aniuesio, Bonifacio de Nuns, domicelli, etc. et dnus P. curatus de Vercorens, qui, etc. Actum Seduni, in curia episcopali, X kl. nouembris, anno Dni M°CCC°VIII°, imperio vacante, A. episcopante.

1282

Henri et Mathilde, enfants de feu Guillaume Zumbermans, vendent des terres à Pierre Clyment.

Ernen, 1308, 4 novembre.

Archives de la paroisse d'Ernen, copie de M. Ferd. Schmid.

* Notum sit quod nos Henricus et Mathelda, pueri quondam Willelmi Zumbermans de Wilere, vendidimus ob instanciam creditorum nostrorum, pro viginti quatuor sol. Maur. nobis

solutis, Petro dicto Clyment de Wilere tria frustra terre sita vnum videlicet in dem Lengenmader, aliud in der Meykerron, tercium zen Vinengarten sub Clymentz Gademe, cum viis, aquis et omni jure eorumdem, ita quod curie deseruiant. Testes: Valko de Wilere, Henricus Stucka et dnus Willelmus Grano capellanus de Aragnon qui, etc. Actum apud Aragnon, IIII° nonas nouembris, anno Dni M°CCC° octauo, imperio vacante, Aymone episcopante.

1283

Pierre de Viége vend à Pierre Esperlin ce qu'il possède à Rarogne.

Viége, 1308, 11 novembre.

Archives de Valère, Registrum cancel. Sedun.

* Petrus filius quondam Nicholai de Vespia domicelli, laudatione Anthonie vxoris sue, Ysabelle sororis sue et Johannis de Vespia domicelli, tutoris sui, vendit pro XXX lb. Petro dicto Esperlin de Balchiedro quicquid possidebat in parochia de Rarognia, exceptis hominio heredum quondam Waltheri de Insula et illorum de Vnderbeken, cum vsagiis. Testes: Johannes de Vespia, Amedeus de Rarognia, domicelli. Datum apud Vespiam, III idus nouembris, anno Dni M°CCC° octauo.

1284

Hommages mutuels que se prêtent le comte de Savoie et l'évêque de Sion.

Près de la Morge, 1308, 16 décembre.

Archives du canton du Vallais, volume intitulé : Traités entre le Vallais et la Savoie, etc., f. 43 verso.

Anno millesimo tercentesimo octauo, indictione septima,

decimo septimo calendas januarii, pontificatus dni Clementis pape quinti anno quarto, per hoc presens publicum instrumentum cunctis appareat euidenter quod in presentia mei notarii et testium infrascriptorum illustris vir et potens dnus Amedeus, comes Sabaudie, et reuerendus in Christo pater dnus Aymo, Dei gratia episcopus Sedun., nomine suo et ecclesie Sedun., etc., ipsi dnus episcopus et comes sibi ad inuicem manibus interpositis et osculo pacis interueniente mutua homagia et mutuas fidelitates fecerunt et promiserunt pro feudis que vterque ipsorum tenet ab altero, Recognoscentes prefatus episcopus nomine suo et ecclesie Sedun. se tenere, velle tenere et se tenere debere in feudum rectum a dicto dno comite regaliam, stratam publicam a cruce de Ottans superius vsque ad finem dioecesis ecclesie Sedun., comitatum Morgie et officium chertrarum seu cancellarie Sedun., et se debere confitetur predicto dno comiti nonaginta lb. Maur. de placito in morte episcopi Sedun. Versauice antedictus dnus comes recognouit se tenere et tenere velle et tenere debere a dicto dno episcopo et ecclesia Sedun. feudum Chillionis et quicquid est de feudo. Promittentes predicti dnus comes et episcopus quod si ad ipsorum vel eorum alterius noticiam deuenerit quod alter eorum ab altero plus teneat in feudum quam superius sit recognitum et expressum, illud bona fide et omni dolo remotis et fraude manifestabunt et veraciter recognoscent. Actum apud aquam que dicitur Morgia, inter Contegium et Sedunum, vbi testes interfuerunt vocati et rogati dnus Eduardus de Sabaudia filius dicti dni comitis, dnus Johannes prepositus Montis Jouis, dnus Bonifacius de Saxo (Sarro) archidiaconus Augustensis, Eballus de Greiseyaco sacrista Sedun., dnus Nicolaus de Clarens officialis curie Sedun., dnus Johannes Boneti, dnus Eballus Vliodi (Vbodi) et Anthonius eius frater, omnes predicti canonici Sedun., dnus Rudolphus Chastonay prior de Allio, dnus Camertius, dnus Eballus de Challant dnus Montisioueti,

dnus Rudolphus de Montemaiori, dnus Humbertus de Baccino, dnus Guilliermus de Geleria et dnus Remandus de Breseto, omnes milites, et dnus Johannes de Turre, dnus Castellionis in Vallesia, domicellus et Johannes Boumardi (Boniuardi) maior burgensis Chamberiaci. Et ego Guilliermus Donigiis de Montemeliano, auctoritate imperiali et dni comitis Sabaudie publicus notarius, presens instrumentum leuaui de prothocollis Andree, notarii publici quondam, de mandato dni Petri Rauasii judicis Sabaudie, nihil addito neque remoto, ad opus dicti dni comitis et signis meis consuetis signaui. Ita est per copiam facta collatione per Petrum Rostaigium et Petrum Curtetti notarios.

1285

Pierre Lyoneti de Granges vend diverses possessions à Guillaume de Morestel, donzel.

Granges (1308-1318), 16 septembre.

Archives de la ville de Sion.

* Notum sit quod ego Petrus Lyoneti de Granges, laudatione Ysabelle vxoris mee, vendidi pro decem lb. Maur. Willelmo de Morestel domicello et suis heredibus quindecim fichilinos siliginis redditus ad mensuram de Granges, quos michi debebat Jaquetus de Porta super tercia parte decime de Grona. Item vnum pratum, quod vocatur pratum eys Grenons, super quod pratum dictus Willelmus habebat vnum carterium castronis, quem carterium michi quictauit. Item tres fichilinos siliginis redditus, quos michi debebant heredes Bruni Crosat annuatim. Item III den. seruicii, quos michi debebant predicti heredes super vnum campum situm in condeminis de Chirmi-

gnyon inferiori. Item ortum meum situm extra portam de la Barra. Testes: Jacobus de Turre, Willelmus de Bastia, Petrus de Grangia et Jacobus Leynins clericus, qui iuratus super hoc, etc. Actum apud Granges, XVI kl. octobris, anno Dni M°CCC°... Henrico regnante, Aymone episcopante.

La date se trouve écrite à la fin d'une ligne et est en partie effacée ; l'indication du roi des Romains Henri (*regnante* et non pas *imperante*) montre qu'il faut placer cet acte entre 1308 et 1313.

1286

Widolinus est maintenu dans la possession de la majorie d'Ernen.

1309, 12 janvier.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II. Ex libro Conches.

Super discordia vertente inter Petrum de Muralto, Cumane dioecesis, et Mabiliam suam matrem, Beatricis uxoris eius et Rodulphi fratris sui, ex una, et Widolinum majorem de Aragno et nepotis sui filii Perini et Margarete sororis sue super eo quod ille petiit coram episcopo Aymone poni in possessionem dicte majorie et omnium feudorum et bonorum Richardi et Rodulphi avunculorum dicti Petri, uti proximiores in gradu, Widolinus negavit jus et petebat e converso ut Petrus solveret 60 lb. quas exsolvit pater Widolinus, Widolinus etiam dictus, pro Lothario patre dicti Petri de Muralto actoris, dum captus detinebatur Mediolani. Tandem in episcopum Aymonem compromiserunt et pronuntiatum ut daret Widolinus redditum 100 sol. redimibilem. 2 idus januarii, 1309.

1287

Pierre, vidomne de Sion, vend une maison à Perrette Grillieta.

Sion, 1309, 18 janvier.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Petrus vicednus Sedun., laudatione Anselmi Lanzodi ciuis Sedun., vendidi et finaui perpetue, pro sexaginta uno sol. Maur. michi et dicto Anselmo persolutis et pro vna libra piperis seruicii ad maius pondus soluenda michi et duobus sol. placiti et eciam pro duabus confratriis soluendis confratrie Sancti Spiritus Sedun. annuatim, et rectores ipsius confratrie tenentur pro qualibet dictarum confratriarum in ipsa confratria Sancti Spiritus tribus diebus Penthecostes fratrem et confratrem anno quolibet hospitari, Perrete dicte Grillieta de Olono, ciui nunc Sedun., vnam domum que fuit quondam Vldrici la Cherrueta, sitam Seduni versus Sanctum Paulum. De quo quidem precio dictus Anselmus habuit quinquaginta sol. Actum Seduni, XV kl. februarii, anno Dni M°CCC° nono, Johanne regnante, Aymone episcopante.

1288

Henri de Rarogne, donzel, vend une vigne à Pierre de Rarogne.

Rarogne, 1309, 14 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Henricus de Raronia domicellus, laudatione Beatricis vxoris sue, vendit pro XIV lb. Petro filio quondam dni Vldrici



de Rarognia militis, clerico, vineam vocatam Ecca. Testes: Amedeus et Johannes de Rarognia domicelli. Datum Rarognie, XVI kl. martii, anno Dni M°CCC° nono.

1289

Hommage prêté par Pierre du Pré à Guigone d'Anniviers et à Jean son fils.

Anniviers, 1309, 22 février.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 282.

* Ego Petrus filius quondam Jacobi de Prato de Vercorens confiteor me esse hominem ligium nobilis dne Guigone dne de Aniuisio et Johannis filii eius et homagium ligium teneor facere, pro quo homagio recepi a dna et Johanne predictis de hereditate mea siue de acquisitis meis possessiones infrascriptas, videlicet eys Ensers vnam peciam campi et rascardum infra situm, item en Bryes vnam peciam campi, item eys Esterpiz vnam peciam campi, item en Cresta Tyot unam peciam prati. Item nos predicta dna, de consensu predicti Johannis filii nostri, dedimus predicto Petro in aumentationem feodi sui talem partem qualem habebamus in quartero decimatorum ou Crous, item in quartero de Grimisua unam peciam terre asse, sitam en Lescherchy. Item ego supradictus Petrus teneor dne et Johanni sepedictis facere duos sol. seruicii et quatuor sol. placiti in mutatione dni vel vassalli. Testes: Willelmus de Aniuesio domicellus, etc., et dnus Willelmus curatus de Aniuesio, qui hanc cartam leuauit apud Aniuesium, in castro, VIII° kl. marcii, anno Dni M°CCC° nono.

1290

Hommage prêté par Pierre Jalaz à Guigone d'Anniviers et à Jean son fils.

Anniviers, 1309, 22 février.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 282.

* Ego Petrus dictus Jalaz de Vercorens confiteor me esse hominem ligium nobilis dne Guigone dne de Aniuesio et Johannis filii eius et tenemur ego et heredes mei tres sol. seruicii et sex sol. placiti in mutacione dni uel vassalli. Nos uero predicta dna de voluntate predicti Johannis filii nostri dedimus in feodum predicto Petro vnum modium siliginis censualem, ad mensuram de Vercorens, recuperandum in ipsa villa. Dedimus eciam predicto Petro in aumentum feodi sui quidquid habebamus eys Combes de Vercorens, que jacent retro predictam villam, ita quidem quod si aliquis invicto dicto Petro aliquid in dicto loco deys Combes offenderet, illa offensio per nos debet judicari et puniri, et super hoc dominium retenuimus in loco predicto. Ego supradictus Petrus posui in homagio predicto et feodum recepi de acquisitis meis a supradicta dna duas pecias prati sitas eys Ensers de Vercorens et campum meum de Briez. Testes : Willelmus de Aniuesio domicellus, etc., et dnus Willelmus curatus de Aniuesio, qui hanc cartam leuauit apud Aniuesium, in castro, VIII kl. marcii, anno Dni M°CCC° nono.

1291

Jocelin, major de Viége, fait remise de tailles à Jean, marguillier de Stalden.

Viége, 1309, 5 mars.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Jocelmus maior de Vespia remittit pro III sol. seruicii et



totidem placiti Johanni matriculario de Staldun tallias siue stvras et seruicia que dictus Johannes olim debebat de bonis sitis in dem Abenberge apud Staldun, que erant de bonis dominorum de Sellun, salua tamen ipsius juriditione. Datum Vespie, III nonas martii, anno Dni M°CCC° nono.

1292

Jean de La Tour, seigneur de Châtillon en Vallais, vend des terres aux fils de Lippo Bonaguisa de Florence.

Châtillon, 1309, 14 mars.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Johannes de Turre, dnus Castellionis in Vallesio, domicellus, vendit pro CXL lb. Francisco et Jacobo fratribus filiis dicti Lippo Bonaguisa de Florentia vnam vineam an der Gorba et sex pecias terre dictas Santoya, Natersbleicha, Egerda, etc. Testes : Franciscus de Olono, domicellus, Petrus Esperlini de Rarognia. Datum apud Castellionem, II idus martii, anno Dni M°CCC° nono.

1293

Droit de rachat accordé au donzel Guillaume d'Anniviers par le chanoine Jean Herpo.

Sion, 1309, 18 avril.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 284.

* Cum ego Johannes Herpo canonicus Sedun. emerim a Willelmo de Aniuesio domicello X lb. Maur. censuales pro precio C lb. super omnibus possessionibus, redditibus, hominibus,

talliis, etc., que habet in tota castellania de Sirro et super quibusdam aliis possessionibus, eidem facio graciam specialem quod ipse aut Alysia uxor sua, vel dna Guygona dna de Aniuesio, seu Johannes filius dicte dne et frater dicti Willelmi possint dictas X lb. censuales et possessiones reemere hinc ad unum annum pro precio supradicto. Testes : dnus Johannes Boneti canonicus Sedun., Franciscus de Augusta mistralis dni episcopi Sedun., Petrus mistralis dicti dni episcopi, etc. Seduni, idus aprilis, anno Dni M°CCC° nono.

1294

Affranchissement de serfs par François de Montjovet.

Sion, 1309, 18 avril.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 286.

* Notum, etc., quod cum Johannes de Pensey de Aniuesio esset homo ligius mei Francisci filii quondam Aymonis de Moiouet de Granges, ratione Don Annon de Sancto Johanne de Aniuesio, et idem deberet michi chesery, chiminaio et talliam ad misericordiam et alia vsagia, ego dictus Franciscus, laudatione Nantelmi de Ayent, domicelli, tutoris mei, finaui, affranchiaui et manumisi perpetue pro XIX lb. et X sol. heredes dicti Johannis et Aymonem dou Soleyr, Anthonium de Logier de Sancto Johanne, Anthonium Bertholdi de Sancto Johanne, heredes Petri Borgeys de Sancto Johanne, Martinum et Willermodum dictos Daual de Sancto Johanne, Perretum dou Salido de Grimenchy, generum dicti Aymonis, et heredes omnium predictorum ab omni jugo seruitutis in quo michi tenebantur ex causa homagii et feodi predicti, nec non omnes alias personas quecumque tenent aliquid de dicto feodo, ni-

chil michi juris, dominii uel reclamationis super predictos homines retinendo. Que omnia nos Aymo episcopus Sedun. laudamus et confirmamus et dictum homagium siue feodum in planum feodum concedimus omnibus supradictis pro duobus sol. seruicii et IIII sol. placiti nobis et mense episcopali faciendis. Et nichilominus volumus quod alia bona dicti Francisci remaneant in feodum homagii ligii mense episcopali. Testes: Jacobus de Augusta canonicus Sedun., Willelmus de Aniuesio domicellus, Petrus Fontana de Ayent domicellus et Nicholaus de Aragnon cancellarius Sedun., qui hanc cartam leuauit Seduni in curia episcopali, XIIII kl. maii, anno Dni M°CCC° nono. Postmodum uero venerabile capitulum Sedun. laudauit et confirmauit omnia supradicta, presentibus dno Johanne de Nas presbitero, Jacobo de Vespia mistrali capituli, Nantelmo de Ayent predicto, in Valeria, kl. maii, anno quo supra.

1295

Accord entre Guillaume de la Cléva, donzel, et Jean Brun, au sujet d'un fief.

Lacques, 1309, 20 juin.

Archives de Valère.

* Notum sit quod cum discordia uerteretur inter Willermum de Cliuo domicellum, ex vna parte, et Johannem Brun de Moloeng, ex altera, super feodo quod dictus Johannes tenebat a dicto Willermo, quod feodum dictus Willermus petebat sibi cecidisse; que omnia dictus Johannes penitus negabat; tandem dicta discordia sedata est in hunc modum, quod predictus Johannes dedit Willermo domicello viginti sol. semel nomine pacis et quatuor den. seruicii soluendos annuatim et octo den. placiti et tres sol. annis alternis, pro quibus dictus

Willermus promisit dictum feodum contra omnes perpetue garentire. Dnus Vldricus vicarius de Lacques hanc cartam leuauit, etc. Actum apud Lacques, XII kl. julii, anno Dni M°CCC° nono, Henrico regnante, Aymone episcopante.

1296

Inféodation faite par Nantelme d'Ayent, donzel.

Saint-Romain, 1809, 22 juin.

Copia litterarum de Ayent, f. xxviij.

* Notum, etc., quod ego Nantelmus de Ayent domicellus dedi in planum feudum pro sex den. seruicii Agnesole filie quondam Petri Salteri de Lus quatuor sol. Maur., quos dicta Agnesola michi debebat annuatim ratione tallie Aymonete amite mee, vxoris Rodulphi de Grisiaco domicelli. Et ego dicta Agnesola dedi dicto Nantelmo pratum meum situm retro ortos de Plathea, tali conditione quod dictus Nantelmus teneatur facere vsagia erga Petrum mistralem de Platea, a quo dictum pratum habetur in feudum. Actum apud Sanctum Romanum, X kl. julii, anno Dni M°CCC° nono.

1297

Bref expectatif du pape Clément V en faveur de Gui de Montagny, chanoine de Sion.

Avignon, 1809, 26 juin.

Archives de Valère.

* Clemens papa V, ad supplicationem Othonis de Grandissono militis, Guidoni de Montagnyaco canonico Sedun., dictique

Guidonis clerico, reservat dignitatem, personatum seu officium vacantem seu vacaturum in ecclesia Sedun. et executionem dicte gratie confert episcopo Lausan., Aymoni de Blonay canonico Lausan. et Rodulpho de Giez canonico Geben.

Otho Lausan. episcopus dictam bullam intimat episcopo et capitulo Sedun. carta data apud turrim de Oschyez, die martis post dominicam qua cantatur Reminiscere, anno a nativitate Dni M°CCC°X°, presentibus Girardo curato de Jolens, Vullermo de Vilarsez et Johanne de Sustena, domicellis.

1298

Testament de Perrette, fille de Nicolas de Martigny.

Sion, 1309, 20 octobre.

Archives de Valère, à Sion, F, 179.

Ego Perreta vxor Johannis de Crueyz, filiaque Nycholai dni Reynaldi militis, facio meum testamentum in hunc modum. Eligo meam sepulturam in cimiterio ecclesie beate Marie Sedun., cui ecclesie lego pro anniuersario meo vnum sextarium vini censualem. Item lego confratrie beate Marie Sedun. vnum sextarium vini censualem. Quos duos sextarios assigno percipiendos super vinea salterie Sedun. michi data per quondam Johannem dou Noyerey maritum meum. Item lego Fratribus Minoribus de Lausanna meliorem garlandam meam de argento. Item Fratribus Predicatoribus de Lausanna sequentem garlandam argenteam. Item Fratribus de Chertrossa robam meam de violetta. Item monasterio de Montanons meas tresczes. Heredem meum instituo dictum Johannem de Cruce, maritum meum. Actum Seduni, XIII kl. nouembris, anno Dni M°CCC°IX°, Henrico regnante, Aymone episcopante.

1299

Vente faite par Jean et Pierre de Viège.

Viége, 1309, 20 octobre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Johannes filius quondam Willermi de Vespia domicelli et Petrus filius quondam Anthonii de Vespia domicelli vendunt pro IV lb. Johanni filio quondam Henrici in der Bundun jus chesarie quod habebant super prato sito apud Grenekun, vocato de Vrovwenmata. Datum Vespie, XIII kl. novembris, anno Dni M°CCC° nono.

1300

Aymon de Greysier, major de Sion, fonde un anniversaire dans l'église de cette ville.

Sion, 1309, 21 octobre.

Archives de Valère.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°CCC° nono, inditione octaua, XII kl. nouembris, in ciuitate Sedun., in domo maioris eiusdem loci, in mei notarii et testium subscriptorum presencia propter hoc constitutus vir nobilis Aymo de Gresie, maior Sedun., idem maior testamentum nuncupatiuum seu ordinationem ultime voluntatis sue condidit; in quo testamento ipsius maioris loquentis in prima persona continentur hec legata seu clausule que sequuntur. Item pro anniuersario meo annis singulis faciendo, in remedium anime mee, vxoris

mee et predecessorum meorum, do et lego decem. sol. Maur. redditus annui, diuidendos omnibus sacerdotibus et clericis annuatim qui interenrunt die anniuersarii mei in missis in ecclesia beate Marie Sedun. inferiori, quos decem sol. assigno percipiendos anno quolibet et recuperandos super omnibus bonis meis que habeo apud Castellionem, donec heres meus ipsos alibi assignauerit super certis rebus bene et decenter. Item ecclesie beate Marie Sedun. do et lego vnum sextarium vini censualem, annis singulis percipiendum super decima vini quam percipio apud la Mura. Testes fuerunt ad hoc vocati et rogati dnus Johannes Martini sacerdos, etc. Et ego Amedeus de Reyna clericus, etc.

1301

Vente faite par les fils de Louis de Platéa à Conrad fils du chevalier Arnol, major de Silinen.

Viège, 1309, 25 octobre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Notum, etc., quod nos Willelmus, Petrus, Nycholaus, Johannes, Franciscus et Wifrydus, fratres, filii quondam Ludouici in Platea de Vespia, laudatione Aldyse matris nostre et Aldise sororis nostre, (Suramunda soror nostra nobiscum partita est hereditatem paternam et maternam Sedun. dyocesis) vendidimus et finauimus perpetue pro X lb. Maur. Conraldo filio dni Arnoldi maioris de Sillenum militis et Aymonete vxori sue sorori nostre medietatem omnium possessionum nostrarum apud Vespiam, ubi dicitur ze dien Wieweydon, cum aquis, etc. Hec autem omnia dictus Conraldus et Aymoneta eius vxor remiserunt nobis in feodum perpetuum pro XX sol. Maur. soluendis in festo beati Martini. Testes: dnus

Petrus de la Volta curatus ecclesie Sedun., Johannes de Vespia domicellus, Nicolaus salterus de Vespia et dnus Petrus de Luceria capellanus de Vespia, qui hanc cartam leuauit. Actum Vespie, VIII kl. nouembris, anno Dni M°CCC°IX°.

1302

Guillaume de Morestel, donzel, vend un cens de 15 fichelins de seigle au chapitre de Sion.

Sion, 1309, 26 octobre.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Willelmus de Morestello de Granges domicellus vendidi pro octo lb. Maur. venerabili capitulo Sedun. quindecim fischilinos siliginis censuales ad mensuram de Granges, quos michi vendiderat seu in solutum dederat Petrus Lyoneti de Granges pro certo debito in quo michi tenebatur. Quos XV fisch. debet annuatim Jacobus de Porta de Granges super tercia parte tocius decime de Grona. Actum Seduni, in claustro ecclesie beate Marie Sedun., in presentia ven. virorum dni Johannis Boneti et Dominici Francisci de Herdes, canonicorum Sedun., tanquam procuratorum dicti capituli, VII kl. nouembris, anno Dni M°CCC° nono, Alberto regnante, Bonifacio episcopante.

1303

Pierre d'Herdes, chanoine de Sion, donne un champ en fief à Pierre, fils de Jean, major de Rarogne.

Rarogne, 1309, 13 novembre.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Franciscus de Herdes, canonicus Sedun., in feudum con-



cedit pro L sol. intragii et duobus modiis siliginis seruicii Petro filio quondam Johannis maioris de Rarognia agrum situm citra castrum de Rarognia, infra viam qua itur versus ecclesiam Sancti Germani. Testes : Jacobus curatus de Rarognia, Marquetus de Vespia domicellus. Actum apud Rarogniam, idus nouembris, anno Dni M°CCC° nono.

1304

Vente faite par Pierre Fontana, donzel.

Saint-Romain, 1309, 14 décembre.

Copia litter. de Ayent, f. xxiii verso.

* Petrus Fontana domicellus, laudatione Alise vxoris sue, vendit pro septem lb. Nantelmo de Ayent domicello tres quartanos de asseman cum alpeagiis vniuersis, preter fimum ipsorum cartanorum, quos habebat in alpe de Sereyn a parte alpium de Dues. Petrus curatus de Ayent cartam leuauit. Datum apud Sanctum Romanum, XIX kl. januarii, anno Dni M°CCC° nono.

1305

Testament de Nicolas de Clarens, chanoine de Sion et curé de Bex.

Valère, 1309, 16 décembre.

Archives de Valère, F, 84.

* Anno Dni M°CCC° nono, indicione VII, XVII° kl. januarii, in castro Valerie, in domo dni Nicholai de Clarens, canonici Sedun. et curati de Bacio. Ego dictus Nicholaus eger corpore

testamentum meum facio vt infra sequitur. Eligo sepulturam meam in ecclesia beate Marie Sedun. et lego pro anniuersario meo faciendo in dicta ecclesia quinquaginta sol. Maur. annuatim. Item lego decem lb. semel dno Aymoni episcopo Sedun., deducendas de illis quantitatibus pecunie in quibus michi tenetur. Item lego ecclesie de Bacio decem lb. semel pro fabrica ecclesie. Item leprosis maladerie de Burye tres sol. Laus. semel. Item dno Reymundo curato de Granges XX sol. Item Nicholao et Willelmo nepotibus meis, filiis Berthodi fratris mei, decem lb. cuilibet et omnes libros meos. Item Anthonio nepoti meo X lb. Item Jordano nepoti meo, filio quondam Mariete sororis mee, X lb. Item cuilibet duarum neptum mearum, filiarum Clemencie sororis mee, X lb. Item dno Othoni vicario de Bacio XI sol. Item alii vicario de Bacio X sol. Item Petro fratri meo IX sol. Item recognosco me habuisse a Berthodo, Willelmo et Rodulpho fratribus meis partem meam hereditariam pro vinea de Allio, quam vineam dedi postmodum pro XXV lb. Anthonio predicto nepoti meo et sororibus suis de Villanoua. Reliqua bona mea erogentur pauperibus. Ad hec complenda dnum Girardum de Orons decanum Valerie, dnum Johannem Boneti, Jacobum de Augusta, canonicos Sedun., et Girardum Tornery de Viuiaco clericum exequutores meos ordino. Testes : Reymundus curatus de Granges, Henriodus de Bacio clericus, Nicholaus et Willelmus fratres de Clarens, clerici, et ego Johannodus dictus de Auboreynges de Viuiaco, clericus, etc.

Die autem crastina, in domo predicta, dnus Aymo episcopus Sedun. predictam vltimam voluntatem dni N. testatoris confirmauit. Testes : dnus Anselmus curatus de Letrono, dnus Reymundus curatus de Granges, etc., et ego dictus notarius, etc.

Nicolas de Clarens est mort le 18 décembre.



1306

Aymon, évêque de Sion, enjoint, sous peine d'excommunication, aux seigneurs de Bex, de restituer les biens de l'église de ce lieu dont ils se sont emparés.

Sion, 1309, 20 décembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist., XII, 559, ex archivio Valeriano.

Aymo Dei gratia episcopus Sedun. dilectis suis dnis de Bacio vel eorum locum tenentibus, ad quos presentes pervenerint, salutem et sinceram in Dno dilectionem. Cum intellexerimus quod seysiri fecistis seu occupastis vel occupari fecistis bona reperta in ecclesia de Bacio et pertinentiis ejus, que ecclesia vacat ad presens per mortem venerabilis viri dni Nicholai de Clarens, quondam canonici Sedun., vos requirimus per presentes quatenus dictam seysinam revocetis et, si aliquid de bonis repertis occupastis aut detulistis, ea incontinenti restituatis in manibus discreti viri dni Ebali Hubodi canonici Sedun., deputati per capitulum Sedun. ad custodiendum dictam ecclesiam de Bacio cum bonis ejus, donec vacabit ecclesia predicta. Scientes quod capitulum Sedun. in manibus nostris cavit ydonee de faciendo vobis super bonis predictis coram nobis justitie complementum, si aliquod jus habere intenditis in bonis predictis. Significantes vobis per presentes quod si dictam seysinam revocare distuleritis, contra vos publicari faciemus excommunicationis sententiam latam in jure contra occupantes et deportantes bona ecclesiarum vacantium, donec bona ablata plenarie fuerint restituta; tantum super predictis facientes quod contra vos occasionem habeamus procedendi, quia vestro juri nollemus in aliquo derogare. Datum Seduni, die sabbathi in vigilia beati Thome apostoli, anno Dni M.CCC. nono. Reddite litteras portitori.

Dicto autem dno Ebalo super predictis exequendis committimus vices nostras. Datum ut supra, cum appositione sigilli nostri.

1307

Jacques de La Tour, donzel, confirme une vente faite par les frères Villencus et Nicolas de Chandolin.

Granges, 1309.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 292.

*Notum quod cum Jaquemetus Felisar et Petrus nepos eius tenerentur nobis Willencho et Nycholao fratribus, filiis quondam donni Bruni dEschanduly, in tribus fischilinis silig. censualibus, qui fischilini erant de feodo Jacobi de Turre domicelli, et nos dicti fratres sine consensu dicti Jacobi predictos tres fischilinos vendidissemus Jacobo et Petro predictis, ego dictus Jacobus de Turre domicellus predictam venditionem laudo pro quindecim sol. michi solutis. Testes Franciscus de Saxon domicellus, etc., et dnus Willelmus curatus de Aniuisio, qui hanc cartam leuauit. Actum apud Granges, anno Dni M°CCC°IX.

1308

Inféodation de la moitié d'une maison par Godefroid de Greysier, chanoine de Genève et curé de Naters.

Naters, 1309.

Archives de la paroisse de Naters, copie de M. Ferd. Schmid.

*Notum sit quod Godofredus de Gresiaco, canonicus Gebenn., curatus de Narres, consensu et voluntate fratris sui

Ebali, sacriste et canonici Sedun., concessit in feodum pro II sol. annui redditus Petro filio Walteri Hubere de Aragnon, ad vitam eius duntaxat, dimidium domus quondam Johannis Sagers, que sita est Glise. Actum apud Narres, anno Dni M°CCC° nono.

1309

Droits que l'abbaye d'Abondance prétend avoir à Saint-Gingolphe.

(1309)

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 543.

Coram vobis dno Petro de Villens, judice in Gebennensi et Chablasio pro illustrissimó viro et dno Amedeo comite Sabaudie, proponit frater Ansermus de Chullino (*vel* de Lullino), canonicus et syndicus religiosorum virorum dni abbatis et conventus Habundantie, syndicatorio nomine, tendente ad conservationem juris eorumdem et etiam ad defensionem Petri mestralis de Sancto Gingulpho, atque contra inquisitionem factam ex assignatione curie vestre et ad eiusdem inquisitionem eludendam, ea que inferius continentur, ut sequitur.

Primo quod dicti religiosi habent merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdictionem in villa et territorio de Sancto Gingulpho, a pineta d'Eydiex usque ad Loucon, et quod ipsi sunt in quieta possessione juris exercendi infra dictos terminos per se vel per alium omne imperium et omnimodam jurisdictionem et maxime capiendi et arrestandi et puniendi delinquentes, etiam iisdem ultimum supplicium infligendo; et predicti religiosi, tanquam dni in solidum dicti loci, sunt in dicta possessione per se vel per alium seu alicuius nomine eorum faciendi et exercendi predicta continue et

immediate spatio X. XX. XXX. XXXX. annorum, et etiam spatio tanti temporis cuius (de contrario) memoria non existit.

Item quod cum gentes seu officiarii dicti dni comitis olim ceperunt aliquos delinquentes infra dictos terminos, ipsi ad requisitionem dictorum religiosorum reddiderunt dictos delinquentes et remiserunt iisdem religiosis, et hoc quotiescumque talis casus accidit, et hoc non semel sed etiam pluries, puniendos per officiarios dictorum religiosorum, et quorum multi taliter redditi per dictos officiarios predicti comitis eisdem religiosis fuerunt puniti per officiarios dictorum religiosorum corporaliter et plures eorum ultimo supplicio.

Item inclyte recordationis dnus Thomas comes Maurienne et marchio in Italia, facta diligenti informatione, confessus fuit publice ad requisitionem abbatis tunc temporis Habundantie quod dictus comes nichil habebat nec habere debebat penitus in eadem villa, nichil excipiendo preter unius diei et noctis tractum ante natalem Dni, et quod cum tribus tantum hominibus qui ad levandum tractum venirent, cibus necessarius debetur, et quod idem dnus comes precepit ne quis subditorum suorum aliquam vexationem, exactionem vel injuriam deinceps ibidem facerent vel fieri paterentur. Et quod etiam postea inclyte recordationis dnus Amedeus comes Sabaudie ex sua certa scientia universa prescripta eisdem religiosis laudauit, confirmavit et etiam concessit et promisit inviolabiliter observare.

Item quod predictus dnus Amedeus nunc comes Sabaudie ad instantiam dni Reymundi quondam abbatis Habundantie confessus fuit et dixit publice quod omne imperium et omnimoda jurisdictio totius ville Sancti Gingulphi generaliter spectabat et spectare debebat ad dictos religiosos in solidum, et quod idem comes nichil penitus imperii vel jurisdictionis habebat vel habere debebat in dicta villa seu pro aliquibus que ibi committentur.



Notes du chanoine de Rivaz :

Ce titre est sans date. Ce n'est probablement qu'une copie informe ; mais elle est ancienne et rien ne la rend suspecte. J'ai fait la mienne sur une copie de la propre main de mon père.

Besson (*Mémoires*, pag. 102) a connu cet abbé Reimond par un titre de 1280, et cette requête est postérieure à sa mort. Mais comme il a vécu du temps d'Amédée V, qui n'a commencé à régner qu'en 1285, la requête ne peut pas être des premières années du règne de ce prince. Le juge de Chablais, Pierre de Billens, nous est connu par plusieurs autres titres des archives de l'abbaye de Saint-Maurice, comme, par exemple, de 1308 et de 1310. Mais comme Humbert de Sala l'était encore en 1304 et Pierre Silvestri l'est en 1312, il résulte que cette requête n'est ni antérieure à 1304 ni postérieure à 1312.

(*En marge de ce qui précède le chan. de Rivaz a ajouté :* Amédée V, comte de Savoie, fit droit à cette requête par une déclaration du 10 mai 1309 et confirma en même temps une déclaration du comte Thomas des ides de mars 1203. Archives de mon cousin Charles, d'après celles de la communauté de Saint-Gingoulph, ou des messieurs de Riedmatten, seigneurs du dit lieu.)

Au moment de la conquête du gouvernement de Monthey par les Hauts-Vallaisans sur la maison de Savoie en 1536, l'abbaye d'Abondance possédait encore cette seigneurie, avec des droits plus étendus que ceux énoncés en ce titre, puisqu'ils comprenaient la taillabilité personnelle, mais qui fut affranchie en 1436. Depuis la conquête elle fut également possédée par cette abbaye jusqu'en 1563, que l'abbé Claude de Blonay la concéda à noble Jacques Dunand de Grilly, qui en fut investi par l'Etat de Vallais, par patentes de 1564 ou 1565. Par le traité même de Thonon du 14 mars 1569, par lequel le Vallais restitua la portion la plus considérable de la conquête au duc Emmanuel Philibert, soit le territoire compris entre la Dranse et la Morge, qui traverse le village de Saint-Gingoulph, il fut stipulé que les aliénations faites par l'abbé de Blonay devaient subsister. Cependant, postérieurement, le cha-

pitre de cette abbaye réclama contre la concession de cette seigneurie faite sans les formalités requises pour l'aliénation des biens ecclésiastiques. Cette réclamation fut admise par les Etats du duc de Savoie et l'abbaye rentra en possession de la partie de cette seigneurie qui est sur la rive gauche de la Morge, rière la Savoie. Elle eut un sort différent en Vallais et cette république maintint messieurs de Grilly dans la possession de la partie d'icelle sur la rive droite, rière le Vallais.

Messieurs de Grilly l'hypothéquèrent, en tout ou en partie, à noble Claude Tornery. Cette dernière famille, originaire de Vevey, dont ils étaient bourgeois, passa à Saint-Gingoulph au commencement du XVe siècle. Les deux fils Jean-Jacques et Charles-Antoine firent reconnaître ce fief en leur faveur en 1623.

La famille de Riedmatten, de Sion, acquit de messieurs Dunand de Grilly cette seigneurie en 1648. Les Tornery en étaient coseigneurs à titre d'engagistes soit hypothécaires depuis 1619. Ce fut Jacques de Riedmatten, frère d'Adrien III, évêque de Sion, qui avait été capitaine en France et avait épousé une Lambien, qui l'acheta pour le prix de 4000 écus bonne monnoie. Jacques la laissa à son fils Jacques-Maurice, banneret du dixain de Sion, qui avait épousé Judith de Monthey, lequel mourut en 1715. Celui-ci la laissa à son fils Pierre-Joseph; Pierre-Joseph à Emmanuel, mort bourgmestre de Sion en mai 1791. Et celui-ci à Pierre-Joseph de Riedmatten, officier au régiment des gardes suisses, breveté lieutenant-colonel au service de S. M. T. C., actuellement président du tribunal du canton de Vallais, à qui la révolution franco-helvétique de 1798 a fait perdre cette seigneurie.

Les moines y tenaient un métral; les seigneurs laïcs un châtelain. Lors de la sécularisation de l'abbaye d'Abondance, vers 1760, la partie savoyarde fut réunie au domaine de la Sacrée Religion, soit l'ordre militaire et religieux des SS. Maurice et Lazare.

1310

Vente faite à Pierre Esperlin par Jean de La Tour, seigneur de Châtillon.

Rarogne, 1310, 9 janvier.

Arch. de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Notum sit quod ego Johannes de Turre, domicellus, dnus Castellionis in Valesio, vendidi pro XI lb. Maur. Petro dicto Esperlin de Balchiedro pratum dictum Burgerrin apud Campil, frustum prati in der Burgerrin, casale et ortum juxta domum molendinariorum. Testes : Franciscus de Thoeri domicellus, etc., et Bartholomeus capellanus de Rarognia, qui, etc. Datum apud Rarogniam, V idus januarii, anno Dni M.CCC.X.

1311

Règlement pour les voituriers de Louèche.

Louèche, 1310, 13 janvier.

Archives de la bourgeoisie de Louèche, copie de M. Ferd. Schmid.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod communitas hominum de Leuca, ex vna parte, et vecturarii seu charrotons tocius parochie de Leuca, ex altera, perpetue et irreuocabiliter inter se ad inuicem conuenerunt sub hac forma, videlicet quod homines de Leuca debent ponere annuatim vnum ydoneum partitorem, qui partitor debet iurare super sancta Dei evangelia ad requisicionem dictorum vecturariorum partire totam rotham debentem transire per vecturam, et tenetur eciam dictus partitor administrare nuncios cum expensis ho-

minum dicte ville ad notificandum dictis vecturariis vecturam ipsorum, et ideoque vnusquisque vecturarius tenetur dare et soluere qualibet uice qua sibi vectura veniat vnum den. Maur. pro qualibet balla et qualibet alia respondente vnam ballam ad opus hominum dicte ville, et balla debet ponderare quindecim rublos et a XV rublos superius et debet taliter duci, videlizet quod vnusquisque vecturarius debet cum suis propriis bestiis et curru et vtensilibus suis et non fractis ducere vecturam sibi adiudicatam per partitorem vsque ad giestro seu sostam propriam. Et est sciendum quod quilibet vecturarius debet ducere tantummodo tres ballas cum duabus bestiis et duas ballas cum vna bestia et non plus, licet plures bestias haberet, aut potest ducere tot pecias que vsque ad quantitatem ipsarum ballarum ponderarent, prout superius de pondere est expressum, et nullus vecturarius debet locare alii vecturam suam, nisi concambium tantummodo sibi precio adveniret, et qui dictam vecturam suam locabit et qui ipsam recipiet debent illi perdere salarium suum penitus de illa via, nisi in tantum quod sibi in itinere per infortunium seu casu fortuito de bestiis suis aut curru aut vtensilibus aliquid malum aut impedimentum euidens eueniret. Et sciendum est quod quilibet vecturarius qui non uenerit ad horam prime ad recipiendum vecturam suam, si sibi debet euenire, illam vecturam ipse vecturarius perdere debet et salarium suum illius vecture. Et est sciendum quod uecturarius qui onerabit ballam seu vecturam suam sine mandato partitoris, debet perdere salarium suum de illa via et tenetur et dare et soluere hominibus dicte ville septem sol. Maur. de perfors, quocienscumque illud accideret. Item sciendum est quod quilibet vecturarius qui recipiet uel locabit vecturam superioribus uel inferioribus vecturariis tenetur reddere illam vecturam ad giestro siue sostam propriam vsque in crastinum subsequentem ad horam prime. Et qui illud totaliter non fecerit, debet perdere suum primum



thor. Inde rogauerunt cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : dnus Vldricus de Suro miles, Petrus filius quondam Johannis de Dallyeto, Stephanus de Ayentz, Johannes de Vnuaco (Viuiaco?), Aymo de Crista, Petrus Regis, Johannes Nigri, Aymo Frederici, Johannes filius quondam Johannis de Suro domicelli et Petrus de Dallyeto clericus, qui juratus super hoc hanc cartam leuauit, vice capituli Sedun. cancellariam tenentis, vice cuius ego Johannerodus de Auboreynges clericus iuratus super hoc eam scripsi. Cui si quis, etc. Actum Leuce, idus januarii, anno Dni M.CCC. decimo, Henrico regnante, Aymone episcopante.

1312

Nicolas, sautier de Viège, donne pour 30 sols la jouissance viagère d'une recluserie à Itta de Rarogne.

Viège, 1310, 17 janvier.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Notum, etc., quod ego Nycholaus salterus de Vespia, filius quondam Petri maioris de Chouson, dedi pro XXX[a] sol. Maur. michi nomine intragii persolutis Itte filie quondam dni Vldrici de Rarognia militis, relicte Walteri Aspers, ad uitam suam duntaxat et non vltra, ediculam siue reclusorium situm apud cimiterium Beati Martini de Vespia, in quo degebat quondam Belina reclusa, cum eius casali, coquina que est ante idem reclusorium et introitum per hostium principale et quicquid dicta quondam Belina reclusa tenebat infra hostium dicti reclusorii, preter stupam que est sub camera dilectorum Dei Fratrum Sancti Augustini, ita quod in premissis a nullo hominum debet impediri tempore vite sue, nisi de voluntate sua, Fratribus Sancti Augustini predictis exceptis, qui in quolibet

eorum aduentu possunt et debent ex pacto facere in dicta quoquina sibi ignem et tenere suum comodum ad necessitatem suam, quocienscunque eis placuerit et expedierit ad Dei honorem ipsorumque comodum et ad salutem animarum. Vespie, ante dictum reclusorium, XVI kl. februarii, anno Dni M°CCC°X°.

1313

Vente faite par Pierre, vidomne de Sion, à Pierre Esperlin.

Rarogne, 1310, 22 janvier.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* P. vicednus Sedun. vendit pro C lb. Maur. Petro Esperlin de Balchiedro quicquid ad ipsum pertinebat apud Cambas Fander Lowinum vf et vineam dictam Gruoba. Testes : P. de Rarognia, clericus, etc. Datum apud Rarogniam, XI kl. februarii, anno Dni M°CCC°X°.

1314

Vente faite par Jean d'Anniviers à Villencus Panisso.

1310, 28 janvier.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 317.

* Ego Johannes de Aniuesio, filius quondam nobilis viri dni Jacobi vicedni de Aniuesio militis, laudatione dne Guigone matris mee, vendo pro LXX sol. Maur. michi solutis et pro II sol. seruicii et IIII sol. placiti Villenco Panisso de Chaler la vestuyry unius pastoris in alpe doul Chan. Datum V kl. februarii, anno Dni M°CCC°X°.

1315

Donation de Manegold de Saxo à son épouse Emma de Viège.

Châtillon, 1310, 6 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Manegoldus filius quondam Petri de Saxo, domicellus, dat nomine morguentgaba Hemme vxori sue, filie quondam Francisci de Vespia domicelli, feudum suum in monte qui vocatur Domne in parochia de Morgia superiori. Testes : Marcus de Vespia domicellus, etc. Datum apud Castellionem, VIII idus februarii, anno Dni M°CCC°X°.

1316

Donation d'Emma de Viège à son mari Manegold de Saxo.

Châtillon, 1310, 6 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Hemma, filia quondam Francisci de Vespia domicelli, dat Manegoldo, filio quondam Petri de Saxo domicelli, filii quondam dni Manegoldi de Saxo militis, marito suo tertiam partem tocius hereditatis sue in diocesi Sedun. et omnia mobilia sua et quicquid eidem dare potest secundum consuetudinem terre Valesii. Testes : Marquetus de Vespia domicellus, etc. Datum apud Castellionem, VIII idus februarii, anno Dni M°CCC°X°.

1317

Vente faite par Jean et Aymon de La Tour à Pierre Esperlin.

Sion, 1310, 11 février.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Notum, etc., quod nos Johannes et Aymo fratres, filii nobilis viri Petri de Turre dni Castellionis in Valesio, Albertu frater noster impuber erat, pro clamoribus nostris persoluendis, vendimus pro C et L lb. Maur. Petro dicto Esperlin de Balchiedro, maiori de Rarognia, sex lb. Maur. annuales, siue stuyre uel seruicii, cum eorum placitis, cum hominibus dictas sex lb. debentibus et eorum feodis, item pratum Saltan matta, item vineam juxta dictum pratum, cum muris et casalibus in dicto prato, item frustum prati apud Saltanum, juxta dictum pratum et vicum quo itur versus Bancos, cum omni juriditione, jure, dominio mero et mixto. Testes : Franciscus de Herdes canonicus Sedun., etc. Apud Sedunum, III° idus februarii, anno Dni M°CCC°X°.

Que omnia et singula supradicta dnus Ay. episcopus Sedun. laudauit, saluo iure suo et mense episcopalis et saluis usagiis suis, presentibus dno Anselmo curato de Leytrono, capellano dicti dni episcopi, Willermo de Aniuesio domicello. Seduni, in curia episcopali, III idus septembris, anno quo supra.

1318

Jacques de La Tour, de Granges, donzel, vend à Jean, seigneur d'Anniviers, un chesal situé à Granges.

Granges, 1310, 22 février.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 309.

* Ego Jacobus de Turre de Granges, domicellus, vendidi pro



centum sol. Maur. michi solutis et pro duobus den. annuatim et IIII d. plac. nobili viro Johanni dno in Aniuesio totum casale meum situm in villa de Granges. Testes Franciscus Albi, Willermus de Aniuesio, domicelli, Petrus Lyoneti et dnus Willermus curatus de Aniuesio qui, etc. Apud Granges, VIII kl. marcii, anno Dni M°CCC°X°.

1319

Guillaume d'Anniviers, donzel, vend un chasement à Antoine du Châtelard.

Vissoye, 1310, 4 mars.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 310.

* Ego Willermus de Aniuesio domicellus, laudatione Alesie vxoris mee, pueri mei erant impuberes, vendidi pro X lb. et X sol. Maur. michi solutis et pro II sol. seruicii et IIII^{or} sol. placiti Anthonio filio Martini doul Chastelar totum casamentum meum excepto orreo et lauantez. Datum apud Vissoy, IV nonas marcii, anno Dni M°CCC°X°.

1320

Pierre Lyoneti, de Granges, vend le quart de l'alpe du Chan à Jean, seigneur d'Anniviers.

Vissoye, 1310, 5 mars.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 309.

* Ego Petrus Lyoneti de Granges vendidi pro XII lb. Maur. michi solutis nobili viro Johanni dno in Aniuesio quartam par-

tem totius alpis doul Chan et omnia mobilia et omne jus in dicta alpe, in allodium. Item confiteor me debere predicto Johanni XIII d. seruicii et placiti pro condemina de Valançon et medietate unius sectori prati siti ein Laya, que habeo in feodum a predicto Johanne. Item ego dictus Johannes, laudatione dne Guigone matris mee, pueri mei erant impuberes, quittaui predicto Petro auxilium quod ab eo petebam pro feodo supradicto. Apud Vissoy, III° nonas marcii, anno Dni M°CCC°X°.

1321

Jean, vidomne d'Anniviers, donne un cens en compensation d'un pré que son père avait donné à la chapelle de Saint-Jacques d'Anniviers.

Vissoye, 1310, 29 mars.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 319.

Notum, etc., quod cum dnus Jacobus de Aniuesio miles, pater mei Johannis nunc vicedni in Aniuesio, dedisset capelle Sancti Jacobi de Aniuesio pratum de la Meyta, ego dictus Johannes, eiectus ab omni awoerya et tutela, laudatione nobilis dne Guigone matris mee, pueri mei erant impuberes, et laudatione dni Willelmi curati de Aniuesio, nunc rectoris dicte capelle, dedi et in feodum concessi, pro XXXIII lb. Maur. michi solutis et pro II sol. seruicii et IIII sol. placiti, Petro Thome doul Liglisier dictum pratum de la Meyta et grangiam infra sitam. Item ego Johannes, laudatione matris mee predicte, dedi dicte capelle in compunctionem dicti prati XXX sol. Maur. censuales, recuperandos super L sol. Maur. quos debet Martinus doul Chastelar. Testes Willelmus de Aniuesio domicellus, etc., et dnus P. curatus de Vercorens, qui hanc cartam leuauit apud Vyssoy, IIII kl. aprilis, anno Dni M°CCC°X°.

1322

Le chapitre de Sion approuve une donation qui avait été faite au chanoine Antoine Huboldi par l'évêque Boniface.

Valère, 1310, 1er avril.

Archives de Valère.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod, cum bone memorie Bonifacius Dei gratia Sedun. episcopus dederit et concesserit venerabili viro Anthonio Huboldi canonico Sedun. tanquam bene merito et heredibus suis domum cum grangia retro sita, cum appendiciis vniuersis eiusdem domus, que fuit quondam Johannis Fontana domicelli, que domus sita est apud Sedunum iuxta Sedunam[1], nos capitulum Sedun., attendentes dictum Anthonium se multis periculis sepe personaliter exposuisse et multos labores frequenter et expensas non modicas pertulisse pro dicto dno episcopo et ecclesia Sedun., considerantes etiam ipsum fuisse et fore imposterum vtilem et necessarium in consiliis et auxiliis dicte ecclesie Sedun., donationi et concessioni predictis nostrum adhibuimus consensum, ratam et gratam habentes donationem suprascriptam et vnanimiter approbantes. Inde rogauimus cartam fieri et testes apponi qui sic uocantur : dnus Johannes de Conches presbiter, Nycholaus de Herdes dyachonus, Jacobus de Uesbia mistralis dicti capituli, clericus, magister Franciscus medicus Seduni commorans et Nycholaus de Aragnon cancellarius Sedun., etc. Actum in choro Valerie, kl. aprilis, anno Dni M°CCC° decimo, Henrico regnante, Aymone episcopante.

[1] Ici était inséré l'acte de cette donation. (Voy. tom. II, pag. 466.)

1323

Reconnaissance de fief en faveur du doyen de Valère et du curé de Viège.

Viège, 1310, 23 avril.

Archives de Valère, Extractus instrum. decanatus Valerie, Z, 6.

Anno Dni M°CCC°X°, IX kl. maii, Ancelmus in Salembodeme, homo ligius dni decani Valerie, et Johannes filius quondam Giroldi Decimatoris de Termenone, homo curati de Vespia, deposuerunt coram notario per juramenta eorum quod ipsi et eorum comparticipes tenent decimam de Superiori Termenone in feudum a duobus, videlicet a dno decano et a dno curato predictis, et vtrique debent homagium, et quod debent dicto dno decano Valerie specialiter X modios siliginis ad mensuram de Vespia, soluendos in villa de Termenone, et II lb. piperis maioris ponderis et V sol. placiti, et dixerunt quod si esset cariscia siliginis quod possent supplere defectum sui seruicii per grana ordei. Actum in Vespia.

1324

Statuts synodaux du diocèse de Sion.

1310, 17 juin.

Archives de la paroisse d'Ernen, copie de M. Ferd. Schmid.

In nomine Dni Jhesu Christi, Amen. Nos Aymo permissione diuina Sedun. episcopus hac die, scilizet XV kl. julii, anno Dni M°CCC° decimo, in presencia priorum et curatorum tam ciuitatis nostre Sedun. quam eiusdem dyocesis sanctam synodum celebrantes.

Quia dignum est, vt ea que pro statu vniuersalis ecclesie de nouo statuuntur ad subditorum noticiam referantur, idcirco aliqua que in nouis decretalibus sexti libri[1] sunt statuta, nostris statutis synodalibus addidimus, vt, habita plena a singulis noticia eorumdem, euitentur que sunt prohibita et sepe publicentur in singulis ecclesiis que sunt euitanda et obseruentur que fuerint approbata.

Festum igitur duodecim apostolorum, IIIIor ewangelistarum et quatuor doctorum, scilizet Gregorii, Augustini, Ambrosii et Jeronimi honorabiliter et solempniter in tota nostra dyocesi sub honorabili et duplici officio precipimus annis singulis perpetuo solempniter celebrari et a subditis venerari.

Item statuimus vt annis singulis statuta que sunt signata per *a.* dominica prima Aduentus Dni in singulis parochiis publicentur in volgari coram clero et populo, omni timore et negligencia preponitis et remotis.

Item statuta signata per *b.* similiter legantur, vt supra, dominica qua annis singulis cantatur *Invocauit me*, scilizet dominica carnispriuii veteris; signata per *d.* legantur dominica post festum beati Michahelis; signata per *c.* legantur, vt supra, dominica Trinitatis; signata per *e.* dominica post octavam Epifanie Dni. Alioquin curatus uel vicarius qui super hoc negligens fuerit, penam XX solidorum incurrat, que si exigatur per nos, credatur iuramento cuiuslibet curati uel vicarii iurare volentis quod in predictis non fuerit negligens uel remissus.

Item eos qui temporale dominium obtinent, quum statutum faciunt uel de facto prohibent, [ne] prelatis vel clericis siue personis ecclesiasticis sui subditi quicquam vendant aut emant, neque ipsis bladum molant, coquant panem aut alia obsequia presumant exhibere in derogacionem ecclesiastice libertatis,

[1] Le *Liber sextus decretalium*, publié par le pape Boniface VIII, le 31 mars 1298.



eo ipso autoritate constitucionis nouelle denuncietis excommunicacionis sentencia subiacere.

Item statutum in nouis constitucionibus sexti libri decretalium esse referimus, vt sepius in ecclesiis singulis recitentur quod hic qui filium uel filiam alicuius in babtismo suscipit, habere non potest de cetero in vxorem legitimam illam quam de sacro fonte leuauit, nec is nec illa quem uel quam leuauit de sacro fonte potest matrimonialiter conjungi cum aliquo ex filiis uel filiabus illius patris spiritualis, qui communiter dicitur parrenz, nec cum vxore ipsius parrenz, quam ante susceptionem babtismatis carnaliter ex eodem matrimonio cognouerat. Item inter suscipientem puerum in babtismo et parentem suscepti spiritualis cognacio que volgariter dicitur commaragio, contrahitur, ita quod si inde casibus predictis matrimonium contrahatur, illud debet separari et penitus dirimi, quia cognacio spiritualis est quoddam impedimentum quod impediat matrimonium contrahendum et dirimit iam contractum secundum canonicas sanctiones. Idem de compatribus et commatribus, filiis et filiabus, vxoribus eorumdem qui in confirmacione seu in frontis crismacionibus cognacionem spiritualem contrahunt, esse censemus.

Item licet ad suscipiendum puerum de sacro fonte non plures quam vnus vir uel mulier accedere debeant secundum canonica instituta, attamen si plures accesserint, omnes sunt compatres et commatres qui in babtismo puerum susceperunt et cum omnibus contrahitur impedimentum predictum, per quod matrimonium impedit contrahendum et dirimit iam contractum.

Item statutum esse referimus, quod ex sponsalibus puris et certis, licet nulla sint propter impedimentum consanguinitatis, affinitatis uel frigiditatis, et dummodo contrahentes consensissent et ipsam (?) consenciendi haberent, oritur quoddam impedimentum quod dicitur publica honestas, quod

est tale quod vnus dictorum sponsorum de cetero matrimonium contrahere non potest cum aliquo uel aliqua de progenie alterius vsque ad quartum gradum inclusive, et si contrahat, dirimitur matrimonium postea contractum cum tali.

Volumus autem vt publicetis sepe sepius, quod in quarto gradu ab vtroque latere matrimonium contrahi non potest, et hii qui hactenus contraxerunt non sunt veri coniuges, nec excusati apud Deum, si sciunt, licet tempore quo fuerunt publicati in ecclesia, nullus opposuerit impedimentum consanguinitatis uel affinitatis, sed sunt in casu dampnacionis, nisi petant separari, et illi qui sciunt impedimentum et non dicunt, mortali peccant. Hoc autem vltimum publicari iubemus propter quedam scandala que desuper hoc nobis sunt relata de nouo, cum referantur publica matrimonia hactenus in quarto gradu consanguinitatis uel affinitatis fore contracta de facto contra canonicas sanctiones.

1325

Nicolas, sautier de Viège, donne une maison aux Augustins de Fribourg qui viennent demander l'aumône en Vallais.

Visperterminen, 1310, 28 juillet.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

Notum, etc., quod ego Nicholaus salterus de Vespia, filius Petri maioris de Chouson, tradidi Fratribus Heremitarum de conuentu Vriburgensi, ordinis Sancti Augustini, visitantibus hanc terram nostram Vallensem elemosinam petituris, casale meum situm sub ecclesia Beati Martini, ante reclusorium quondam Beline recluse, et stupam et cameram desuper constructam, cum viis et omni jure et omnibus appendiciis suis, et

jus habendi omne comodum suum in quolibet aduentu ipsorum Fratrum in coquina sine foco quod est ante dictam stupam ad vsum dictorum Fratrum perpetuum. Tamen ex pacto non debent dictum casale neque stupam neque cameram nec quicquam quod ibi constructum est ad presens uel adhuc constructum fiet, vendere uel alienare. Nec debent ibidem quicquam construere quod ad presens nec in futurum in detrimentum ecclesie Sedun. uel in dampnum ecclesie de Vespia verti posset; alioquin dicta donatio penitus nulla esset. Testes: dnus P. de Lauota curatus Sedun., etc. Apud Termennen, V kl. augusti, anno Dni M°CCC°X°.

1326

Confirmation d'une donation par le chantre Thomas, comte de Blandrate et major de Viège.

Saas, 1310, 30 juillet.

Archives de Valère, Registr. cancel. Sedun.

* Thomas, cantor ecclesie Sedun. et comes de Blandrato, necnon maior de Vespia, laudat Petro dicto Aspere de Staldun donationem quam quondam Petrus eius frater fecerat eidem Petro, videlicet vineam ipsorum fratrum sitam in dem Mure, dictam Altwergarto. Testes : dnus Petrus de Lauota curatus de Seduno, dnus Willermus vicarius de Sausa, Jo. filius quondam Willermi de Vespia domicelli, Jo. de Leydesoz, Jo. filius quondam Anthonii de Vespia domicelli. Datum apud Sausa, III kl. augusti, anno Dni M°CCC°X°.

1327

Donation faite par Rodolphe d'Ayent à Jean de Saxon.

Vissoye, 1310, 18 août.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 388.

* Ego Rodulphus filius quondam dni Cononis de Ayent, sanus mente licet debilis corpore, dedi Johanni consanguineo meo, filio Francisci de Saxons domicelli, omnia acquisita mea et terciam partem tocius hereditatis mee jacentis apud Leucam vel in aliis locis. Testes : Jo. dnus de Aniuesio, Franciscus Albi de Granges domicellus, Franciscus phisicus de Seduno et dnus Willelmus curatus de Aniuesio, qui hanc cartam leuauit apud Vissoy, II non. octobris, anno Dni M°CCC°X°. Que omnia predicta postmodum confirmauit dnus Aymo episcopus Sedun., presentibus dno Ansermo curato de Leytrono, capellano dicti dni episcopi, Willermo de Aniuesio domicello. Actum in castro de Seya, XV kl. septembris, anno Dni M°CCC° tercio decimo.

1328

Hommage prêté à Nantelme d'Ayent, donzel, par Jean Vualandi.

Saint-Romain, 1310, 6 septembre.

Copia litterarum de Ayent, f. xxxv.

Notum, etc., quod ego Johannes filius Petri Vualandi de Grimisua recognosco me esse hominem ligium Nantelmi de Ayent domicelli pre omnibus aliis dnis, qui Nantelmus dedit michi in feodum homagii ligii IIII^{or} lb. Maur., vnam insulam

sitam versus aquam de Rey. Item accepi a dicto Nantelmo in feodum homagii ligii dimidium casamentum Petri Vualandi patris mei, quemdam ortum apud Grimisua juxta ortum Vldrici fratris mei, vnam sectoratam prati in plano Verney, vnum campum eys Crestes de Grimisua. Pro quibus ego predictus Johannes confiteor me debere predictum homagium et tres sol. Maur. seruicii annuatim et sex sol. placiti quando acciderit, sine aliis vsagiis. Item quando dictus Nantelmus, aut eius heredes, en chauougia ire voluerit, tunc debeo ipsum sequi meis propriis expensis infra terram, et extra terram suis propriis sumptibus. Testes: Aymo de Curia maiori, Jacobus Philipi, Vldricus Archierres, etc., et Vulliermus de Ayent clericus, etc. Actum apud Sanctum Romanum, VIII idus septembris, anno Dni M°CCC°X°.

1329

Jean d'Anniviers donne un cens en compensation d'un champ et d'une grange que son aïeul avait donnés à la chapelle de Saint-Jacques d'Anniviers.

Vissoye, 1310, 17 novembre.

Arch. du canton du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 298.

' Notum, etc., quod cum dnus Willelmus miles de Aniuesio, auus mei Johannis filii quondam nobilis viri Jacobi filii dicti dni Willelmi, dedisset capelle Sancti Jacobi de Aniuesio quendam campum siue olchiam sitam en la Comba, item grangiam sitam in summitate dicti campi, ego dictus Jo. eiectus ab omni auoeria, laudatione dne Guigone matris mee, puer meus impuber erat, et laudatione dni Willelmi curati de Aniuesio, nunc rectoris dicte capelle, considerans vtilitatem eiusdem capelle, dedi in feudum, pro X lb. michi solutis et pro XII den. seruicii michi soluendis et II sol. placiti et pro vno fisch.

siliginis annuatim ecclesie Sancte Euphemie persoluendo, Ludouico Cordelo predictum campum et grangiam. Item ego dictus Jo., laudatione dicte matris mee, dedi dicte capelle in compunctionem campi et grangie predictorum octo sol. Maur. census percipiendos super L sol. quos debet Martinus doul Chastelart annuatim. Testes : Willelmus de Aniuesio domicellus, etc., et dnus P. curatus de Vercorens, q. h. c. l. apud Vissoy, XV kl. decembris, anno Dni M°CCC° decimo.

1330

Jean, seigneur d'Anniviers, autorise Pierre Jalaz à disposer des biens que ce dernier possède, à l'exception d'un fief.

Anniviers, 1310, 23 novembre.

Arch. cant. du Valais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 298.

* Ego Jo. dnus in Aniuesio, filius quondam nobilis viri dni Jacobi vicedni eiusdem loci, laudatione dne Guigone matris mee, dedi Petro Jalaz de Vercorens, homini meo ligio et mistrali meo, liberam potestatem vt de omnibus rebus suis mobilibus et immobilibus, excepto feudo quod a me tenet, possit ordinare prout sibi melius placuerit. Testes : Willelmus de Aniuesio domicellus, etc., et dnus Willelmus curatus de Aniuesio, qui h. c. l. in castro de Aniuesio, IX kl. decembris, anno Dni M°CCC°X°.

1331

Le chapitre de Sion décide qu'un chanoine ne peut pas posséder en même temps une prébende sacerdotale et une dignité.

1311, 1 mars.

Archives de Valère, G, 13.

Nos capitulum ecclesie Sedun. notum facimus vniuersis

quod cum celebraremus capitulum prout moris est in kl. mensis marcii, considerantes et attendentes quod ex pluralitate seruitorum et specialiter sacerdotum cultus diuinus augeatur, quem augeri continue desideramus, et ex eo quod in ecclesia nostra Sedun. vna eademque persona optinet in ipsa ecclesia prebendam sacerdotalem et dignitatem seu personatum vna cum prebenda, cuius dignitatis seu personatus ratione quicunque habens in prefata ecclesia nostra dignitatem seu personatum ex antiqua et approbata consuetudine tenetur et debet in eadem ecclesia deseruire in officio sacerdotali in missa maiori uel facere deseruiri, nos euidenter intuentes ipsam ecclesiam nostram ex hoc habere pauciores sacerdotes in ipsa deseruientes et sic per consequens cultum diuinum deminui, statuimus et ordinamus quod de cetero nullus possit seu debeat habere seu tenere prebendam sacerdotalem et dignitatem seu personatum in eadem ecclesia nostra vna cum prebenda sacerdotali. Statuimus etiam quod de cetero nullus habens dignitatem seu personatum in prefata ecclesia nostra possit habere aliquam canoniam nec etiam prebendam cui canonia sit annessa, et quod aliquis habens prebendam cui canonia sit annessa, non possit habere dignitatem seu personatum in eadem ecclesia nostra, nisi prius ipsam prebendam et canoniam resignasset. Et nos Aymo Dei gracia Sedun. episcopus, videntes vtilitatem eiusdem ecclesie nostre Sedun. ex dictis statutis prouenire et cultum diuinum augmentari, dicta statuta approbamus, ratificamus et in predictis auctoritatem nostram impertimur. In quorum omnium premissorum robur et testimonium ac memoriam perpetuam nos episcopus et capitulum prefati sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda. Datum et actum in predictis kl., anno Dni M°CCC° vndecimo.

Sceau pendant du chapitre.



1332

Aymon, évêque de Sion, du consentement du chapitre, donne en fief le vidomnat d'Anniviers à Jean d'Anniviers.

Valère, 1311, 10 mars.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 325.

Notum, etc., quod nos Aymo Dei gracia Sedun. episcopus attendentes quod cum bone memorie dnus Bonefacius quondam Sedun. episcopus, de laude capituli Sedun., ex necessitate euidentissima, vrgente maximo debito, locauisset ad tempus nobili dne dne Guigoni vxori quondam dni Jacobi de Aniuesio militis, ad opus Johannis filii sui, fructus, obuentiones, redditus, census et jurisdicionem vicedominatus de Aniuesio, nos attendentes grata seruicia nobis et ecclesie Sedun. impensa a dicto Johanne et albergamento eiusdem, dicto Johanni, de laude capituli nostri Sedun., et eius heredibus per rectam lineam concedimus imperpetuum, in augmentum feodi homagii ligii in quo nobis et ecclesie Sedun. tenetur dictus Johannes ratione castri de Aniuesio et quarumdam aliarum rerum, et quod feodum tenet a nobis et ecclesia supradicta, fructus, obuentiones, redditus, census et jurisdicionem vicedominatus de Aniuesio pro centum sol. Maur. annui redditus, soluendis nobis et mense episcopali Sedun. post decessum dicti Johannis per heredes eiusdem Johannis, et pro septuaginta lb. Maur. nobis solutis. Retinentes nobis et ecclesie Sedun. omnes res, bona, jura et homines, feoda et altum dominium quod vvlgariter ressors dicitur, que habet ecclesia Sedun. in valle predicta de Aniuesio. Retinentes etiam quod idem Johannes et eius heredes nobis et ecclesie Sedun. auxilium, patrocinium terre nostre, quod nobis homines dicte vallis et dicti Johannis

tenentur semper prestare, cum expedit terre nostre et ecclesie nostre, cum videbitur fieri opertunum, prestare teneantur. Acto eciam quod si contingeret, quod absit, dictum Johannem decedere sine heredibus a suo corpore descendentibus, quod assignati dicti Johannis, prout disposuerit, teneant et possideant dictum vicedominatum cum eius fructibus, jurisdicione et pertinenciis per spacium viginti annorum a tempore mortis dicti Johannis computandorum; qui assignatus vel assignati, durante dicto termino, teneantur soluere censum supradictum ac pro dicto feodo deseruire, ut superius est expressum. Elapso autem dicto tempore, si contingeret dictum Johannem decedere sine liberis descendentibus a suo corpore, dictus vicedominatus libere et pacifice ad ecclesiam Sedun. reuertatur. Si autem contingeret aliquem heredem a suo corpore procreatum superstitem habere et decedere alio herede non relicto quandocumque, tunc dictum feodum ad dictam ecclesiam Sedun. sine contradicione qualibet deuoluatur. Quam donationem in augmentum feodi concessam dicto Johanni nos predictus episcopus promittimus ratam et firmam perpetuo habituram et contra omnes perpetuo garentire. Et e conuerso dictus Johannes pro se et heredibus suis promisit nobis et successoribus nostris bona fide pro dicto feodo deseruire bene et fideliter, prout decet et sicut tenetur bonus vassallus. Et quia nos dictus episcopus et capitulum predictum consensimus et concorditer disposuimus in pleno capitulo, in ecclesia Valerie, quod omnia predicta, specialiter concessio dicti vicedominatus, ordinarentur et dictarentur ad dictamen dni Bonefacii archidyaconi August. et canonici Sedun., dni Ebali Hubodi et dni Johannis Boneti, canonicorum dicte ecclesie Sedun., iidem tres canonici presentem cartam dictauerunt, prout superius continetur, et preceperunt Amedeo de Reyna clerico jurato cancellarie Sedun. vt leuaret et conficeret dictam cartam, quam statim leuauit modo quo supra, presentibus testibus,

scilicet viro religioso dno Anthonio priore de Chambawa, dno Willelmo curato de Aniuesio, dno Ansermo curato de Letron, dno Jacobo capellano de Contez, dno Johanne Pollo, sacerdotibus, Willelmo de Aniuesio domicello. In expeditione vero et laude dicti dni episcopi et aliorum dnorum de capitulo ordinantium quod predicta dictarentur per dictos tres superius deputatos, fuerunt testes, scilicet prenominati testes, vir nobilis Petrus dnus Castellionis August. diocesis, Franciscus de Sassons, Perronetus Daniso, domicelli, et Amedeus de Reyna predictus qui hanc cartam leuauit, vt dictum est, vice capituli cancellariam tenentis. Actum infra chorum ecclesie de Valeria quo ad factum et expeditionem dicti dni episcopi et ad laudem dicti capituli, VI idus marcii, et actum Seduni infra stupam domus dicti dni Johannis Boneti, quo ad dictamen dictorum trium ad hoc deputatorum, III idus marcii, anno Dni M°CCC° vndecimo, Henrico imperante.

1333

L'archevêque de Tarentaise et l'évêque de Sion déclarent excommuniés les chanoines de Sion qui violent les statuts capitulaires. — Protestation du chantre Thomas de Blandrate.

Sion, 1311, 26 mars. — Valère, 1311, 29 mars.

Archives de Valère. — De Gingins, *Documents pour servir à l'histoire des comtes de Biandrate*, pag. 47.

Anno Dni M°CCC° vndecimo, indictione IX, die lune ante Ramos palmarum, in ecclesia Valerie Sedunen., coram me notario et testibus infrascriptis, scilicet venerabili viro dno Johanne de Thora decano Sedun., Petro de Vespia canonico dicte ecclesie et pluribus aliis canonicis et clericis dicte ecclesie, cum curatus Sedun. legisset publice in dicta ecclesia Va-

lerie, dum missa debebat in magno altari ipsius ecclesie celebrari, quasdam litteras sigillatas sigillo venerabilium patrum dni Bertrandi archiepiscopi Tarentasien. et dni Ay. episcopi Sedun., quarum litterarum tenor talis esse dignoscitur: B. Dei miseratione archiepiscopus Tarentasien. ac Ay. Dei gratia Sedun. episcopus curato de Seduno salutem in Dno sempiternam. Quia dignum est vt rebelles et illicita presumentes pena debita castigentur, cum nil hobedentia prodesset humilibus si contemptus et rebellio de se presumentibus et transgressoribus non abesset, idcirco nos predictus archiepiscopus visitationis officium in ciuitate et diocesi Sedun. exercentes, et nos predictus episcopus in dicta visitatione existentes invenimus relatu plurimorum aliquos canonicos Sedun. statuta quedam olim in dicta ecclesia Sedun. et pro euidenti vtilitate eiusdem per nos prefatum archiepiscopum et bone memorie B. dnum quondam episcopum Sedun. et dictum capitulum edita presumptuose et male transgressos fuisse, propter quod non est dubium ipsos transgressores sententias suspensionis et excommunicationis tunc prolatas incurrisse. Nos ex debito nostri officii id conniuentibus oculis transsire non possumus nec debemus, ne facillitas venie aliis prebeat audaciam delinquendi et ne de negligentia possimus reprehendi, vobis in virtute sancte hobedience et sub pena excommunicacionis precipimus et mandamus quatenus in choro Valerie et in choro inferioris ecclesie Sedun., dum maior missa celebrabitur in eisdem, alta voce et intelligibili presentes litteras ibidem legatis, denunciantes auctoritate nostra transgressores predictos excommunicationis et suspensionis sententias incurrisse et excommunicatos et suspensos esse, nisi a nobis absolutionis beneficium obtinuerint ab eisdem; et quod illi qui de cetero contra dicta statuta venient aut facient, tanquam excommunicati et suspensi ab aliis euitentur, si obseruantes canonicam voluerint effugere vltionem, nam dicta statuta rata et firma



tenere volumus tanquam iusta et rationabilia, vtilia et honesta. Presentes autem litteras, ex quo ter lecte fuerint modo quo supra hinc ad Pascha, restituatis et reddatis nobis dicto episcopo sigillo vestro sigillatas in signum mandati nostri executi. Datum Seduni, cum appositione sigillorum nostrorum, VII kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XI°. Quibus litteris per dictum curatum Sedun. lectis modo quo ego notarius infrascriptus dixi ibidemque existens presens, venerabilis vir dnus Thomas cantor dicte ecclesie Sedun. protestatus fuit expresse et pluries quod non credebat quod essent statuta dicte ecclesie Sedun. nec quod pro statutis deberent haberi ratione quorum uel occasione presentes littere fuerant lecte, nec consentiebat quod statuta essent dicte ecclesie Sedun., et voluit ipse dnus cantor hanc protestationem esse repetitam quocienscunque has litteras presentes uel consimiles contingeret denunciari seu publicari siue per dictum curatum siue alium in ipsa ecclesia Valerie uel ecclesia inferiori modo quo supra. Et ego Denisetus de Thora notarius publicus auctoritate imperiali in hiis omnibus interfui et rogatus ad hec hanc cartam scripsi et signum meum apposui in testimonium veritatis.

1334

Guillaume, métral de la Place d'Ayent, vend un champ à Aymonette, épouse de Rodolphe de Greysier, donzel.

Saint-Romain, 1311, 29 mars.

Copia litter. de Ayent, f. xviii verso.

* Vulliermus mistralis de Platea de Ayent, laudatione Margarete vxoris sue, vendit pro quatuor lb. et decem sol. sibi solutis et pro tribus den. seruicii Aymonete vxori Rodulphi



de Gresiaco domicelli ad vitam suam, et post ipsius decessum Nantelmo de Ayent, campum situm versus lo Soleyr. Datum apud Sanctum Romanum, IV kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XI°.

1335

Consécration de la chapelle de Saint-Tryphon.

1311, 6 mai.

Archives de l'abbaye de Saint-Maurice, Livre de la Val d'Illiez, pag. 88.

Aymo episcopus Sedun. vnxit capellam Sancti Tryphonis sub inuocatione B. V. Marie. 6 maii 1311.

Il s'agit ici d'une nouvelle chapelle construite à côté de l'anciene chapelle de Saint-Tryphon par Guillaume de Pontverre, seigneur du château de Saint-Tryphon.

1336

Sentence arbitrale par laquelle certaines dîmes sont adjugées au prieuré de Granges.

1311, 5 août.

Archives de Valère, R. 58.

* Nos officialis curie Sedun. notum facimus quod, sicut nobis constat per relationem Jaqueti dicti Leynynz, habitatoris de Granges, clerici curie nostre jurati, in sua presencia constitutis religioso viro Ludouico priore seu rectore prioratus de Granges, ex vna parte, et Raymondo curato de Granges, ex altera, cum discordia verteretur inter dictas partes super decimis locorum infrascriptorum, videlicet in decima de Crista

dicta ens Adans, item in decimis dictis in Cristis dictis Dotz, item in decimis infra bagna castri de Granges, item in decimis terrarum existentium vltra Rodanum a parte de Grona et de Challer, scilicet a ryuola de Merdessonz prope Grona decurrentem (sic) vsque ad Cumbam nigram, et a saxis de Loy inferius vsque ad Rodanum. In quibus locis dictus curatus asserebat se habere jus percipiendi nomine ecclesie sue decimas in locis supradictis; dicto Ludouico in contrarium asserente. Tandem dicte partes compromiserunt in arbitratores, videlicet Willelmum et Aymonem de Morestello, Franciscum Albi, Franciscum de Montejoueto, domicellos, Petrum de Sala, Petrum Lyoneti, Willelmum de Bastia, Anthonium Abelz, Johannem Borgeys, Perrerinum de Merdesson et Petrum Vianantz. Qui quidem arbitri predictas decimas pronunciauerunt dicto priori de Granges et successoribus eius pertinere. Dicte partes dictam pronunciacionem ratificauerunt. Datum quinta die mensis augusti, anno Dni millesimo CCC vndecimo.

Sceau pendant de l'official.

1337

Vente d'un cens au comte de Savoie.

Leytron, 1311, 25 août.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Jaquetus Coleres de Viuiaco et Katherina eius vxor vendiderunt Antermo Amblardi de Turnone, castellano Sallionis et Contegii pro dno A. comite Sabaudie, ementi nomine dicti dni comitis, tres modios vini censuales ad mensuram Sedun. pro viginti nouem lb. Maur. Testes: dnus W. vicarius de Leytron, Jo. et Jo. de Mar. domicelli, etc. Datum apud Leytron, VIII kl. septembris, inditione IX, anno Dni M°CCC°XI°.

1338

Statut capitulaire au sujet de la résidence des chanoines dans le château de Valère.

Sion, 1311, 1er septembre.

Archives de Valère, G. 11.

Nos capitulum ecclesie Sedun. notum facimus vniuersis quod cum celebraremus capitulum, prout moris est, in kl. mensis septembris, considerantes et actendentes quod propter vtilitatem ecclesie Sedun. castrum nostrum Valerie custodiri adeo debet ab incursibus malignantium quod inimici super eo potestatem habere non possint, et propter hoc, prout per relationem antiquorum et fidedignorum recepimus, canonie annexe et non annexe consueuerunt conferri canonicis, ut habentes dignitates, personatus vel canonias cum prebendis hospicia in dicto castro tenerent, ita quod per multiplicitatem familie custodiatur melius et securius castrum predictum et ut ecclesie melius valeat deserviri, statuimus ut de cetero quicunque habet uel habebit in dicta ecclesia Valerie dignitatem vel prebendam cum canonia annexa vel non annexa, ex quo fructus sue canonie percipiet cum distributionibus panis et vini, si in ecclesia residens fuerit et ibidem moram contraxerit, teneatur hospicium proprium tenere sine fraude, dummodo domum propriam pro extimatione habere possit vel conducticiam infra dictum castrum. Quod si non fecerit, fructus sue canonie amictat ipso facto communi capituli applicandos, et dignitatem habens scilicet decanus quilibet XV lb. et sacrista vel cantor decem lb. Maur. illo anno quo cessabunt et deficient in predictis, capitulo soluere teneantur, similiter communi capituli applicandas et per procuratorem capituli exigendas. Item

statuimus quod canonicus qui nunc tenet vel tenebit in posterum hospicium in castro Valerie, aliquem habentem dignitatem vel canoniam cum prebenda annexam vel non et percipientem fructus dignitatis, personatus aut canonie cum distributionibus panis et vini secum vltra mensem tenere non possit, et ne fraux commicti possit, elapso mense non possit ille morari per alium mensem cum alio canonico, nec alter canonicus illum recipere sub debito juramenti, sed hospicium proprium tenere teneatur. Item quod quicunque recipietur in canonicum aut receptus est, jurare teneatur statutum predictum. Item quia moris estitit actenus approbati in circumadiacentibus ecclesiis quod illi canonici maiora stipendia quandoque percipiunt qui tenent hospicia, et qui suam substanciam quam ab ecclesia cathedrali percipiunt aut aliunde acquirunt aut ea que aliter sibi perueniunt, ad honorem ecclesie et vtilitatem expendunt, idcirco cum ad onus eligantur a mercede repelli non debent, statuimus, ut supra, ut de cetero is canonicus qui hospicium post annualem residentiam tenebit in vtraque ecclesia Sedun., dupplices distribuciones panis et vini percipiat in festis inferius nominatis, ut per hoc faciliores et dapsiliores sint ad inuitandum seruitores ecclesie et vt melius et decentius dictis festis ecclesie seruiatur et cultus diuini numinis augmentetur. Festa autem sunt hec: primo vigilia Natiuitatis Dni cum tribus diebus sequentibus, vigilia Circumcisionis Dni et ipsa Circumcisio, vigilia Epiphanie Dni et ipsa Epiphania, dies festi beati Karoli, vigilia Purificacionis beate Marie et ipsa Purifacio, dies Carnispreuii sacerdotum, vigilia Annunciacionis beate Marie Virg. et ipsa Annunciacio, dies Ramorum palmarum, vigilia Pasche cum tribus diebus sequentibus, vigilia Ascensionis Dni et ipsa Ascensio, cum die lune et die martis Rogationum, item vigilia Penthecostes cum tribus diebus sequentibus, item vigilia beati Johannis Baptiste et ipsa dies, item dies festi beatorum Petri et Pauli, item dies festi

beate Marie Magdalene, item festum sancti Laurentii, item vigilia Assumptionis beate Marie et ipsa dies, item dies festi beati Theodoli, item vigilia Natiuitatis beate Marie Virg. et ipsa Natiuitas, item dies festi beati Mauricii, item dies festi Michaelis, item vigilia et dies dedicacionis ecclesie Sedun., item vigilia festi Omnium Sanctorum et ipsa dies, item dies festi beati Martini, item vigilia beate Katerine et ipsa dies, item dies festi beati Nicholai, item dies Conceptionis beate Marie Virg., item dies festi sancti Andree. Et nos Aymo Dei gracia Sedun. episcopus, videntes vtilitatem eiusdem ecclesie nostre Sedun. ex dictis statutis prouenire et cultum diuinum augmentari, dicta statuta approbamus, ratifficamus et in predictis autoritatem nostram impertimus. In quorum omnium premissorum robur et testimonium ac memoriam perpetuam nos episcopus et capitulum prefati sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda. Datum et actum in predictis kl. septembris, videlicet Seduni, anno Dni M°CCC° vndecimo.

Sceau du chapitre endommagé.

1339

La béguine Agnès vend à une autre béguine sa part d'une maison et d'un jardin à Ernen.

Ernen, 1311, 2 septembre.

Archives de Valère.

Notum sit quod ego Agnes begina, soror Walteri dicti Meggen de Lax, dedi pro Deo et in remedium anime mee Salome begine de Lax, filie quondam Nycholai de Martisperg, partem meam vnius domus site apud Aragnon, ante ecclesiam Sancti Georgii, et partem meam vnius orti siti ante dictam domum.



Scire autem cupio quod predictas partes domus et orti emi pro viginti VIII° sol. Maur., quam pecuniam collegeram inter homines de elemosinis michi datis. Inde rogaui, etc. Actum apud Aregnon, IIII nonas septembris, anno Dni M°CCC°XI°, Henrico regnante, Aymone episcopante.

1340

Rachat de droits d'offrandes.

Viège, 1311, 22 octobre.

Archives de Valère, Cartul. ecclesie de Vespia, p. 7, N° XII.

* Johannes matricularius de Staldun, laudatione Margarete uxoris sue et Johannis filii sui, Agnes filia impuber erat, recognoscit pro XVII lb. et X sol. garentire communitatem totius montis de Torbio et apud Gechebon duas domos et communitatem de Sinellen et de Klebodeme contra oblationes annuales quas debent ecclesie de Vespia, videlicet de qualibet domo IIII den. et obolum Maur. nomine oblationum annualium. Datum Vespie, XI kl. nouembris, anno Dni M°CCC°XI°, Aymone episcopante.

1341

Accord entre l'évêque de Sion et le donzel Nantelme d'Ayent au sujet du patronage de la chapelle du château d'Ayent.

1312, 22 janvier.

Copia litterarum de Ayent, f. xxxix.

* Notum, etc., quod cum lis, questio seu discordia verteretur inter reuer. in Christo patrem dnum Aymonem Dei gratia

Sedun. episcopum, ex vna parte, nomine nostro et ecclesie Sedun., et Nantermum de Ayent domicellum, ex altera, super eo quod dictus Nantermus dicebat et asserebat quod jus patronatus capelle Sancti Michaelis castri de Ayent ad eum, tanquam ad heredem et verum successorem nobilis viri dni Petri de Ayent, militis, quondam patrui sui, pertinere debebat pro eo quod idem dnus Petrus dictam capellam dotauerat et sibi et successoribus suis jus patronatus dicte capelle retinuerat, dicens etiam quod ad presentationem dicti dni Petri dnus Petrus de Botteres capellanus et rector quondam dicte capelle per bone memorie dnum Henricum quondam episcopum Sedun. ad eam receptus fuerat ac etiam ordinatus, de quibus fidem fecit idem Nantermus per litteras sigillo dicti dni Henrici episcopi quondam Sedun. sigillatas, ac per litteras dicti dni Petri militis sigillo sigillatas, quare petebat idem Nantermus jus patronatus dicte capelle sibi debere restitui ac etiam adiudicari; dicto autem dno episcopo Aymone contrarium asserente et dicente predecessores suos jus patronatus in dicta capella habuisse et exercuisse et in possessione uel quasi fore juris patronatus predicti. Tandem post multas altercationes dicte partes, habitis inter se ad inuicem tractatibus in capitulo Sedun., communi consensu interueniente hinc et inde, etc., ad talem pacem deuenerunt, etc., quod idem Nantermus et eius heredes et successores post mortem uel resignationem Marqueti clerici, nunc rectoris dicte capelle, presentationem habeant rectoris futuri dicte capelle, quam facere teneatur dicto episcopo Aymoni et successoribus suis. Qui dnus episcopus e successores eius habeant et habere debeant confirmationem dicti rectoris in futurum, etc. Post hec autem dictus Nantelmus liberaliter et deuote dedit et concessit dicte capelle vigint sol. Maur. censuales, annuatim ex nunc soluendos rectori qu nunc est et qui pro tempore fuerit dicte capelle pro remedio anime sue et animarum predecessorum suorum, ut cultus di



uinus in ipsa capella etiam amplietur, etc. Testes: dnus Johannes Boneti canonicus et officialis Sedun., Vulliermus de Aniuesio, etc., et Nycolaus de Areignon cancellarius Sedun. qui, etc. Actum XI kl. februarii, anno Dni M°CCC°XII°.

1342

Concession de fief faite par le donzel Nantelme d'Ayent à Jean du Curtinal.

Saint-Romain, 1312, 30 janvier.

Copia litterarum de Ayent, f. xix.

* Notum, etc., quod ego Nantelmus de Ayent domicellus albergiaui in feudum homagii ligii Johannem filium Petri de Curtinali de Grimisua et Vulliermetam vxorem suam, filiam quondam Johannis Chaberti, pro duodecim den. seruicii et duobus sol. placiti, de omnibus acquisitis quondam Chaberti de Ayent et de omnibus aliis rebus hereditariis dicti Chaberti. Qui Johannes accepit a me in feudum homagii ligii vineam suam oul Poyet de Sinyesi, extimatam ad septem putatores, aliam vineam ibidem, vnam peciam prati oul Bruel de la Plazi de Ayent, quam acquisiuit idem Johannes de Anselmo mistrali de Plathea; item tenetur dictus Johannes ponere in acquisitis vndecim lb. Maur. et ea acquisita accipere a me in feudum homagii ligii. Si idem Johannes aliquas cartas inveniret in quibus contineretur quod Johannes filius quondam prefati Chaberti de mistralia esset adfeudatus, promisi quod dictus Johannes de Curtinali eamdem mistraliam habeat in feudum homagii ligii. Actum apud Sanctum Romanum, III kl. februarii, anno Dni M°CCC°XII°.

1343

Echange entre Pierre Fontana et Nantelme d'Ayent, donzels.

Ayent, 1312, 29 mars.

Copia litterarum de Ayent, f. xiiij.

Notum, etc., quod ego Petrus Fontana domicellus dedi Nantelmo de Ayent domicello tanquam benemerito dimidium unum casale quod habebam in castro de Ayent, vocatum Cosyna, situm iuxta locum cui dicitur Estain et iuxta la tallia et casamentum dicti Nantelmi. Viceuersa ego dictus Nantelmus dedi prefato Petro Fontana dimidiam teysam cortine mee site versus grangiam meam de Platea. Et si predictus Petrus vel heredes sui edificare vellent domum seu aliud edificium super terram per me datam, stillicidium seu descelar cadere potest et debet super terram mei Nantelmi. Testes : Gilbertus clericus, Martinus de Cliuis, Jaquetus de Yuerduno et Vulliermus de Ayent clericus, qui, etc. Actum in platea retro grangiam dicti Nantelmi, IIII kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XII°.

1344

Rachat d'un cens par le comte de Savoie.

Saillon, 1312, 23 avril.

Archives de Valère, Registr. Jaqueti de Aragnon.

* Perretus mistralis de Rida vendidit Antermo Amblardi castellano de Sallione, recipienti nomine dni comitis Sabaudie, sex. sol. et sex den. Maur. quos percipiebat dictus P. super



seruiciis dicti dni comitis per annum, precio LX sol. Datum apud Sallon, IX kl. maii, anno Dni M°CCC°XII°.

1345

Annette Biesdo vend un champ à Cécile, veuve de Rodolphe de La Tour, donzel.

Sion, 1312, 27 mai.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Aneta filia quondam Ansermi Biesdo deis Agietes vendidi, pro viginti sol. Maur. michi solutis et pro vno fischilino siliginis redditus michi faciendo annuatim, Cecilie relicte Rodulphi de Turre domicelli dimidium juger campi situm eis Agietes, item vnam peciam prati sitam en Planolet en Lagieti. Inde rogaui, etc. Actum Seduni, VI kl. junii, anno Dni M°CCC° duodecimo, Henrico regnante, Aymone episcopante.

1346

Jugement des auditeurs de la chancellerie de Sion au sujet d'une charte.

Vissoye, 1312, 28 mai. — Sion, 1312, 30 juin.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 362.

* Ego Martinus Chabin de Grimenchi vendidi pro VIII lb. et V sol. Maur. Johanni fratri meo IIII^or pecias terre in territorio de Combarsa, item XII^mam partem tocius fimi alpis de Bendala. Apud Vissoy, V kl. junii, anno Dni M°CCC°XII°. Quam cartam cum Belissent vxor dicti Martini contradixisset, et ipsis Belissent et Jo. Taby emptori predicto esset assignata dies veneris

post festum beati Johannis Bapt. super dicta contradicione Seduni coram auditoribus cancellarie Sedun., qua die dicta Belissent minime comparente, altera parte comparente et quantum debuit expectante, quare dicti auditores dicte cancellarie Sedun. dictam cartam ad opus dicti emptoris transire preceperunt. Datum dicta die veneris, Seduni, anno quo supra.

1347

Vente faite par Marguerite, veuve de Rodolphe d'Ayent, donzel, à Pierre Albi.

Louèche, 1312, 9 juillet.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 374.

* Ego Margareta vxor quondam Rodulphi de Ayent domicelli vendidi in allodium pro L sol. Maur. Petro Albi decimatori de Vercorens dimidium modium siliginis censualem, recuperandum super vnam peciam campi sitam versus Tendonna in parrochia de Leuca. Testes : Thomas Mistralis (de Leuca) pater meus dicte Margarete, etc. Datum Leuce, VII idus julii, anno Dni M°CCC°XII°.

1348

Thomas Métral de Louèche vend un cens à Pierre Albi.

Louèche, 1312, 15 juillet.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 374.

* Ego Anthonia vxor Thome dicti Mistralis de Leuca, laudatione ipsius Thome et laude dni Ay. episcopi Sedun., qui dic-

tus dnus episcopus laudauit infrascripta presentibus testibus dno Bonifacio de Sarro canonico Sedun., dno Vldrico de Sirro milite, Willelmo de Aniuesio domicello, Stephano de Ponte dicto de Leuca de Ayent, vendidi pro XIII lb. et X sol. Maur. michi solutis et pro placito tali quale super rebus infrascriptis ratione feudi quondam Rodulphi de Ayent domicelli, quod tenebat idem Rodulphus a dicto dno episcopo apud Tendonna, (Petro) Albo decimatori doul Cuson de Vercorens tres modios siliginis censuales, annuatim soluendos, quos tres modios sic michi debebant Pe. et Jo. dicti Abrère de Tendonna, quos etiam tres modios assigno recuperandos super dictos debentes et super totale feudum quale olim acquisiui a Margareta filia mea, relicta dicti Rodulphi de Ayent. Leuce, idus julii, anno Dni M°CCC° duodecimo.

1349

Hommage prêté à l'évêque de Sion par les frères Guillaume et Aymon de Morestel.

1312, 26 juillet.

Arch. de la ville de Sion, copie abrégée.

Vullermus et Aymo filii Petri de Morestello recognouerunt Aymoni episcopo Sedun. se tenere in feudum ab ecclesia et mensa episcopali Sedun. omnia que idem eorum pater tenebat et ipsi tenent in tota castellania de Granges et multa alia alibi sita, exceptis acquisitis que ipsi fratres inter se vel divisim fecerunt. Datum VII kl. augusti, anno Dni M°CCC°XII°.

1350

Accord entre l'évêque de Sion et le major du même lieu.

Valère, 1312, 2 août.

Liber instrumentorum de Seduno, etc., f. 38 verso.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod cum lis, questio seu discordia verteretur inter reuerendum in Christo patrem dnum Aymonem Dei gratia episcopum Sedun., nomine suo et mense episcopalis, ex una parte, et Franciscum maiorem Sedun. ac Petrum de Gresie domicellum, curatorem et curatorio nomine, ex altera, super eo quod idem dnus episcopus dicebat et asserebat quod dictus maior vna cum maioria Sedun. et eius pertinentiis et domo que Turris uocatur, linguis animalium macelli Sedun. ac hiis que recognouit dictus maior esse de feudo ipsius dni episcopi, tenere debebat in feodum omnia et singula bona, res et possessiones que et quas idem maior habet et possidet uel quasi in territorio Sedun. et que sunt et esse debent de feodo ecclesie Sedun., pro quo feodo fecit sibi homagium ligium dictus maior; dicto maiore in contrarium asserente et dicente quod nesciebat, sed dubitabat utrum predicta essent de dicto feodo, prout superius exprimebatur per dnum episcopum supradictum, dicens etiam dictus maior atque petens quod ipse in curia dicti dni episcopi debebat esse panaterius et habere duo paria robarum armigeorum anno quolibet et duorum libram seu vnius equi in stabulo dni episcopi et secundam seu tertiam enbatya in curia eiusdem. Que omnia et singula probauerant, ut asserebat, eius predecessores coram reuerendis in Christo patribus dnis bone memorie Henrico episcopo Sedun., prout probare uidebatur per litteras sigillatas sigillo eiusdem dni episcopi... et per litteras bone me-



morie dni episcopi Petri... et per litteras bone memorie dni episcopi Bonifacii... Dicto dno episcopo nomine quo supra in contrarium asserente et dicente dictas litteras dictorum predecessorum suorum sibi et mense episcopali nocere non debere pluribus responsionibus et causis et potissime pro eo quod in eis aut aliqua earum non fuit debita juris solemnitas obseruata, propter quod non potuit mensa episcopalis uel eius predecessores minime obligari. Tandem dicte partes... ad talem uenerunt compositionem, transactionem et pacem, scilicet quod idem maior ex certa scientia recognouit esse de feodo supradicto quod tenet a dno episcopo Sedun. et appenditiis feodi maiorie supradicte omnia et singula supradicta in territorio et infra territorium Sedun. existentia, et licet super vinea que Plantata dicitur de Lentinaz idem maior aliquem censum vendiderit, actum recognouit dictam vineam cum omnibus exitibus et juribus et fructibus quibuscumque eiusdem vinee esse de dicto feodo ante reemptionem dicti census uenditi et post, exceptis hiis quo de dicta vinea reperirentur sine dolo et fraude esse et fuisse de feodo vel retrofeudo alieno ante controuersiam predictam. Item recognouit esse de dicto feodo ea que tenet apud Amagnoch et ea que tenet et possidet uel quasi per se uel per alium ibidem uel alius ab eodem et de quibus reperiretur esse auanterius idem maior, exceptis hiis que reperirentur sine fraude et dolo esse et fuisse de feodo uel retro feodo alieno ante controuersiam predictam. Item dictus maior omnia et singula supradicta que dicebat se habere et habere debere in hospitio dicti dni episcopi ex causa predicta uel quacunque alia causa tam in rebus quam in escis et equorum libris ac etiam embatya aut aliter qualitercumque aut quocumque judicio siue causa in hospitio dicti dni episcopi, pro se et heredibus et successoribus seu assignatis suis, dicto dno episcopo Aymoni, stipulanti et recipienti nomine suo et mense episcopalis predicte, soluit penitus et quictauit et fecit pactum

expressum de ulterius non petendo pro quatuor libris Maur. annui redditus, quas idem dnus episcopus in augmentum feodi supradicti eidem maiori et successoribus ac assignatis suis assignauit in perpetuum percipiendas annis singulis apud Chamoson super seruitiis et talliis suis... Item in auantagium feudi supradicti, ex causa presentis compositionis siue transactionis, debet habere idem maior et qui pro tempore fuerit robam vnius scutiferi uel militis, cum miles fuerit, quando contingeret quod dnus episcopus Sedun. generaliter robas suas dabit et generaliter induet familiam suam. Item quotiescumque idem maior extra ciuitatem Sedun. incedet cum dno episcopo... debet ex causa dicte compositionis et in augmentum feodi librari et in hospitio recipi; et pro hiis idem maior et eius successores seu heredes sunt et esse debent immunes et liberi ab omni personali seruitio in quo ratione dicte panaterie dicto dno episcopo et mense episcopali tenebantur, saluis semper seruitiis in quibus dictus maior tenetur ratione sui feodi, tam in eo quod vexillum dicti dni episcopi, quod consueuit portare maior, portare teneatur, quando necesse fuerit, quam in aliis. Et tenetur eidem dno episcopo et suis successoribus in aliis tanquam fidelis vasallus et ad honorem Dei et ecclesie deseruire. Dictus autem maior et heredes uel successores sui vtantur pacifice et quiete jurisdictione, pertinentiis et appendentiis dicte maiorie, prout eius predecessores uti consueuerunt et debent, saluis semper in omnibus capitulis supradictis. Item actum est quod saluum sit jus in omnibus dicti dni episcopi et mense episcopalis in hiis que tenent consortes dicti feodi, de quo est auantarius dictus maior... Quibus omnibus et singulis dictus Petrus de Gresie curator dicti maioris auctoritatem suam interposuit et consensum. Et nos officialis curie Sedun., judex in hac parte a partibus electus, authoritatem nostram hiis predictis interposuimus et decretum. Hanc autem compositionem seu transactionem predictam venerabile capitulum



Sedun. ibidem ad pulsationem campane, prout moris est, conuocatum laudauit, approbauit, ratifficauit vnanimiter et concorditer ac etiam confirmauit. Inde rogauerunt cartam fieri et testes apponi qui sic uocantur: religiosus vir dnus Raymondus de Sancto Germano canonicus Sancti Mauricii Agaun., dnus Ansermus curatus de Leytrono, capellanus dicti dni episcopi, Jullianus de Lausanna jurisperitus, Bartholomeus de Colomberio domicellus, Cottinus de Verbie et Joannodus de Auborenges clericus, qui, etc., vice cuius ego Joannes de Basilea clericus, etc. Cui si quis, etc. Actum Seduni, in choro ecclesie Vallerie, IIII° nonas augusti, anno Dni M°CCC° duodecimo, Henrico regnante, Aymone episcopante.

1351

Jean Rodier, donzel, fait remise au chapitre de Sion de la métralie de Naters, qu'il avait tenue en fief jusqu'alors.

Sion, 1312, 31 août.

Archives de Valère.

* Notum sit quod cum discordia verteretur inter dnum Ebalum Huboldi canonicum Sedun., procuratorem capituli Sedun., ex vna parte, et nobilem virum Johannem Rodier de Narres domicellum, ex altera, super eo quod dictus procurator asserebat quod cum dictus Johannes teneret in feudo, pro quo debebatur homagium dicto capitulo et pro decem sol. placiti in mutatione decani Valerie et vassalli, a dicto capitulo mistraliam hominum capituli quos habebant in parrochia de Narres, pro qua mistralia idem Johannes percipiebat terciam partem bannorum, frewariarum sexaginta sol. cum planis clamis et cum marciatione dictorum bannorum, seruata moderatione dicto capitulo, item decem sextarios vini censuales, quos sibi

debebat Henricus de Maseka et sex fischelinos bladi censuales et duos sol seruicii cum quatuor sol. placiti, quos sibi debebat Willelmus de Ranft de Nemore, item duos modios siliginis et vnum modium vini seu maulte ad mensuram de Narres censuales, quos debebat Johannes filius quondam Henrici Vergo de Chamoson et eius comparticipes, pro quibus duobus modiis siliginis et vno modio vini dictus Johannes Rodiers tenebatur dicto capitulo in quindecim sol. Maur. nomine seruicii siue recognitionis annuatim in festo beati Martini soluere aut in crastino duplum, et pro totali feudo viginti sol. Maur. placiti quando accideret; dictus Johannes non receperat inuestituram dicti feudi infra annum et diem a tempore mutationis seu mortis dni Girardi de Orons quondam decani Valerie, quare petebat idem procurator dictum feudum sibi adiudicari tanquam commissum, et cum dictus Johannes a viginti annis citra dicto capitulo de bannis et frewariis interim commissis per dictos homines computum non reddidisset capitulo memorato, nec etiam pro parte ipsum capitulum contingente nichil reddidisset, petebat ipsum compelli ad reddendum computum supradictum et reliqua et ad soluendum dicto capitulo partem ipsum contingentem de predictis. Ad que respondebat dictus Johannes dictum feudum non esse commissum et se non teneri ad predicta pluribus rationibus et causis. Tandem interuenientibus amicis communibus dicte partes ad talem deuenerunt transactionem, scilicet quod idem Johannes dimisit penitus et quittauit dicto dno Ebalo, recipienti nomine dicti capituli, quicquid juris, rationis, dreyture, possessionis vel quasi, aut proprietatis, vtilis dominii uel quasi habebat in dicta mistralia, bannis, clamis, blado et vino et rebus aliis supradictis. Dictus autem dnus Ebalus nomine quo supra pro bono pacis cessit penitus et quittauit dicto Johanni et eius heredibus decem sextarios vini censuales predictos, quos debebat dictus Henricus de Maseka, et dictos sex fisch. bladi censuales cum



duobus sol. seruicii et quatuor sol. placiti predictis, quos debebat dictus Willelmus de Ranfte de Nemore, cum omni onere feudi et homagio in quibus tenebatur idem Johannes dicto capitulo occasione feudi supradicti et cum placito et seruicio ac retentis eorum et retentis bannorum et frewariarum predictarum vsque ad presentem diem commissorum. Item dedit dictus procurator dicto Johanni centum sol. Maur. Hanc autem transactionem approbauerunt partes predicte et jurauerunt, etc. Testes: religiosus vir dnus Willeynchus prior seu rector ecclesie de Lenz, dnus Nicolaus de Sancto Jacobo, dnus Johannes de Rarognya, sacerdotes, dnus Rodulphus curatus de Chessez, Jacobus de Olono, Damisetus de Thoura, Johannes de Dronna, Jacobus de Vespia matricularius Sedun., Henricus de Sancto Paulo, Martinus de Gamoson morans Seduni, clerici, Petrus Nigri de Herdes, Johannes Falconeti mistralis Villenoue, Petrus Reskere, et etiam de dicto capitulo fuerunt presentes dnus Johannes decanus Theothonicorum, dnus Thomas cantor, dnus Johannes Boneti, dnus Franciscus de Herdes, dnus Johannes Herpo, Petrus de Venthona, Petrus de Vespia, Oddoninus de Thauryno, canonici Sedun. et ego Johanerodus dictus de Auboreynges de Viuiaco, clericus, etc. Actum Seduni, ante capellam beati Theodoli, pridie kl. septembris, anno Dni M°CCC° duodecimo, Henrico imperante, Aymone episcopante.

1352

Guillaume de Venthône fait remise d'une taille.

Sierre, 1312, 29 septembre.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 380.

* Cum discordia verteretur inter Willelmum filium quondam dni Willelmi de Ventona militis, ex vna parte, et Johannem



filium quondam Petri Carpentarii doul Larsey, hominis sui ligii, et Petrum fratrem dicti Johannis et confratres eorum, ex altera, super eo quod dictus Willelmus domicellus petebat talliam a dictis fratribus sibi faciendam, quod quidem dicti fratres et consortes eorum omnino negabant, tandem dicta discordia sopita est in hunc modum, videlicet quod dictus Willelmus, laudatione Ysabelle vxoris sue, remisit pro viginti VIII° sol. Maur. sibi persolutis Johanni et Petro fratribus et eorum consortibus sepedictis talliam supradictam. Testes: Giroldus Daual domicellus, etc., et dnus Willelmus curatus de Aniuesio, qui hanc cartam leuauit apud Sirro, III° kl. octobris, anno Dni M°CCC°XII°.

1353

Emma, veuve de Wérin, métral de Naters, et ses enfants, vendent une pièce de terre à Jean Vyngilo.

Naters, 1312, 6 novembre.

Mone, *Zeitschrift für die Geschichte des Oberrheins*, xx, 170.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod nos Hemma relicta Werini mistralis de Narres, Johannes, Margareta et Mathelda liberi mei vendidimus et finavimus perpetue pro necessitate debitorum nostrorum persoluendorum, pro duodecim lb. Maur. ad opus creditorum nostrorum persolutis, Johanni filio condam Werini dicti Vyngilo et heredibus suis, aut cui dare vendere vel alienare voluerit, unum frustum terre situm iuxta Becke cui dicitur Kelkbach, supra terram dicti emptoris et subtus terram cui dicitur Ywans Hofstat, et iuxta terram cui dicitur Habrera, cum viis, aquis et omni jure et appendiciis suis universis; hoc addito quod dictus emptor et heredes sui debent habere viam et aquam ad ducendum per terram pre-



dictam cui dicitur Yuwans Hofstat. Quam venditionem nos et hereditas nostra tenemur sibi et heredibus suis, aut cui dare, vendere vel alienare voluerit, pro duobus denariis servicii solvendis annuatim ecclesie de Narres nomine elemosine, omni alia exactione remota, contra omnes garentire. Inde rogavimus cartam fieri et teste apponi qui sic vocatur: Johannes de Morgia, Petrus dictus Reckere et Petrus de Lacx clericus, qui juratus super hoc hanc cartam levavit, vice capituli Sedun. cancellariam tenentis, vice cuius ego Martinus de Gamoson clericus juratus super hoc eam scripsi. Cui si quis, etc. Actum apud Narres, VI idus novembris, anno Dni M°CCC° duodecimo, Henrico imperante, Aymone episcopante.

1354

Vente de pâturages par la commune de Luc.

Vissoye, 1312, 3 décembre.

Arch. cant. du Vallais, Registrum R. cancel. Sedun., p. 381.

Notum, etc., quod in presentia mei Willelmi curati de Aniuesio, leuatoris cartarum cancellarie capituli Sedun. in Aniuesio, statuerunt et constituerunt communitas de uilla de Luc, presentibus testibus infrascriptis, videlicet Jaqueto Copatel, Johanne Ysabelle de Eschandulyns, procuratores et venditores, Petrum Mistralis, Jo. donni Martini, Anthonium donni Bruni, Giroldum Reuel de quibusdam pascuis infra scriptis, videlicet de pascuis deys Heretes et de Ponte de Ruuina. Qui procuratores predicti nomine communitatis predicte vendiderunt perpetue et finauerunt pro XL. sol. Maur. dictis procuratoribus nomine quo supra integre persolutis Giroldo donni

Walteri dou Coster, Willelmo filio Johannis Cordelo, Petro dou Coster, Petro Trotyer dou Coster et eorum heredibus, etc., predicta pascua in dictis locis superius nominata a mense aprilis usque ad festum beati Michaelis pro sua voluntate plenarie facienda. Quam venditionem dicti procuratores nomine dicte communitatis dimiserunt perpetue et finauerunt omne jus et omnem rationem quod et quam habebant in dictis pascuis predictis emptoribus, etc. Testes: Jo. donni Jacobi de Grimeynchi, Petrus Ruffi de Grimeynchi, Stephanus eiusdem loci et dnus Willelmus qui supra, apud Uissoy, III nonas decembris, anno Dni M°CCC°XII°.

1355

Aymon, évêque de Sion, reconnaît avoir reçu les fruits du décanat de Valère pour la première année après la résignation du doyen Girard d'Oron.

Sion, 1312.

Archives de Valère, Extractus instrumentorum decanatus Valerie, Z. 6.

Nos Aymo episcopus Sedun. notum facimus quod cum, vacante decanatu Valerie per resignacionem liberam bone memorie dni Girardi de Orons decani prefati decanatus et cantoris ecclesie Lausan., fructus eiusdem decanatus pro primo anno ex antiqua consuetudine ad nos spectent et viro discreto dno G. de Bossonens canonico Lausan. per sedem apostolicam de dicto decanatu fuerit provisum, nos ab eodem dno G. de Bossonens plenam et integram satisfactionem habuimus de dictis fructibus dicti primi anni. Actum Seduni, anno Dni M°CCC°XII°.

1356

Guillaume et Pierre, fils de Christine de Granges, donzels, vendent un demi muid de moût, de cens, à Eiméric de Torrenté.

Sion, 1313, 20 janvier.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 388.

* Nos Willelmus et Petrus fratres, filii Cristine de Granges, domicelli, vendidimus pro VI lb. Maur. Eymerico de Torrente de Ayeir de Aniuesio dimidium modium malte seu musti boni et puri et bene maturi censualem [ad mensuram Sedun., soluendum in torculari Francisci Albi, eys Plantaes vel apud Granges, de vino vinee nostre deis Plantaes continentis octo fossoratas, site juxta vineam neptum nostrarum filiarum Perrete la Montellieri et juxta viam publicam tendentem versus Lenz. Et si forsan anno quocunque dictus dimidius modius vini non posset percipi super vino dicte vinee, promittimus reddere de vino consimili vel duos sol. Maur. pro quolibet sextario non soluto. Et etiam tenemur reddere dictum censum modo quo supra de tribus generibus racemorum bene et sufficienter maturorum, scilicet de Neyrum, de Humagny et de Regy. Testes: Willelmus de Aniuesio, Petrus de Montez, domicelli, et Amedeus de Reyna clericus q. h. c. l. Seduni, XIII kl. februarii, anno Dni M°CCC° tercio decimo.

1357

Aymon, évêque de Sion, donne une terre en fief à Warner de Crista.

Sion, 1313, 20 avril.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 400.

* Nos Aymo Dei gratia episcopus Sedun. dedimus pro censu

infrascripto Warnero de Crista de Vercorens duo jugera et dimidium terre in territorio de Chaleir pro quinque fisch. siliginis censualibus nobis et mense episcopali Sedun. soluendis et pro V sol. Maur. nobis de intragio solutis. Testes : Willelmus de Aniuesio domicellus, etc., et Amedeus de Reyna clericus q. h. c. l. Seduni, in curia episcopali, XII kl. maii, anno Dni M°CCC°XIII°, Henrico imperante.

1358

Concession viagère d'un jardin faite par le vidomne de Sion au chanoine Pierre Falcon.

Sion, 1313, 17 mai.

Archives de la ville de Sion.

In nomine Dni, amen. Anno Dni M°CCC° tercio decimo, indicione vndecima, XVI kl. junii, in ciuitate Sedun., ante ecclesiam beati Theodoli, in placito generali vicedni Sedun., presentibus sedentibus in ipso placito ac in presencia mei notarii ac testium subscriptorum, vir nobilis Petrus vicednus Sedun. in ipso placito existens et ceteri sedentes in ipso placito, nullo reclamante uel contradicente, ad preces et requisitionem viri discreti dni Petri Falconis canonici Sedun., dederunt et concesserunt de gracia speciali eidem dno Petro Falconis sub condicionibus infrascriptis, ad vitam eiusdem dni Petri tantum, ortum nouum quem ipse dnus Petrus fecit et clausit in prato rotundo extra portam de Malacort ciuitatis Sedun., iuxta viam publicam tendentem versus Sanctum Germanum, ita tamen quod si dictus dnus Petrus casu aliquo fortuito uel occasione quacunque ipso viuente relinqueret prebendam et canoniam Sedun., quod ex tunc in antea dicta

donacio et concessio dicti orti facta eidem dno Petro nulla sit penitus et inanis et nullam obtineat roboris firmitatem, et teneter etiam tunc dictus dnus Petrus dictum ortum debroliare et expedire dicte communitati Sedun. Ad predicta fuerunt testes vocati et rogati dnus Petrus de Magy curatus de Nas, Humbertus de Columberio domicellus, Dominodus Curti et plures alii.

Et ego Johannes Mummeliani de Bacio, etc.

Et ego Petrus vicednus predictus ad maiorem omnium premissorum firmitatem sigillum meum huic presenti publico instrumento duxi apponendum in testimonium omnium premissorum. Datum ut supra.

1359

Aymon, évêque de Sion, absout Thomas, chantre de l'église de Sion, de toute excommunication et irrégularité que ce dernier pourrait avoir encourues.

1313, 23 juillet.

Archives de Valère. — De Gingins, *Documents pour servir à l'histoire des comtes de Biandrate*, pag. 48.

Nos Aymo Dei gracia episcopus Sedun. notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod cum dnus noster et sanctissimus pater dnus Clemens diuina prouidencia summus pontifex in fauorem et pro recuperacione Terre Sancte concesserit vniuersis et singulis prelatis potestatem dispensandi cum eis qui cum a canone vel ab homine latam excommunicacionis sentenciam incurrerint, et irregularitatis notam postmodum immiscendo se diuinis officiis contraxerint, dummodo tamen de bonis eorum magistro et Fratribus hospitalis Jerosolimitani aut eorum nunciis pro subsidio memorato persoluerint

quantum expenderent in eundo ad curiam Romanam, ibidem morando pro dicta dispensacione obtinenda et redeundo, et vir venerabilis dnus Thomas cantor ecclesie Sedun. nitore bone consciencie repletus ad nos venerit, petens si forte aliquam excommunicacionis sentenciam et postmodum irregularitatis notam incurrerit, se absolui et dispensari cum eo ad cautelam auctoritate predicta ; nos peticioni eius annuentes ipsum dnum cantorem ad cautelam, si aliquam excommunicacionis sentenciam incurrerit ex qualibet causa, absoluimus in hiis scriptis, et si irregularitatem ex hoc immiscendo se postmodum diuinis officiis contraxerit, cum eo auctoritate predicta duximus presentibus dispensandum. Et est sciendum quod idem dnus cantor soluit de mandato nostro dno Nicholao de Lens canonico Montisiouis, nuncio dictorum magistri et Fratrum Jerosol. super hoc deputato, decem sol. grossorum Turon. extimatos et taxatos per nos legitime de concilio peritorum pro expensis suis quas faceret eundo ad dictam curiam, ibidem morando et redeundo. Datum cum apposicione sigilli nostri, X kl. augusti, anno Dni M°CCC°XIII. In hiis autem omnibus ipsum absoluimus de quibus habemus potestatem absoluendi.

1360

François Tuéry, donzel, amodie une maison à Marquet de Viège, donzel.

Bex, 1313, 24 octobre.

Archives de Valère, Prothocol. I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°CCC°XIII°, indicione XII, IX kl. nouembris, apud Bacium, in viridario Johannis de Bacio domicelli, iuxta domum ipsius Johannis, constituti Franciscus de Tuery domicellus, gener dicti Jo., ex vna parte, et Anthonia vxor dicti



F., filiaque predicti Jo., ex altera. Cum idem F. admodianisset perpetuo Marqueto de Vespia domicello quamdam domum sitam apud Castellionem in Valesio vna cum orto ipsi domui contiguo, iuxta domum dicti Marqueti, pro vno modio siliginis annui redditus, predictam admodiationem supradicta Anthonia laudauit et approbauit.

1361

Thomasset d'Aoste reconnaît tenir la seigneurie d'Iserable en fief de l'évêque de Sion.

1313.

Arch. de l'abbaye de Saint-Maurice, Livre de la Val d'Illiez, p. 88.

Thomas Setus (l. Thomassetus) de Augusta vasillus recognoscit Aymoni episcopo dominium de Acere.

1362

Donation de Rodolphe de Curtinal à Jaquemod de Gesseney et à Perrette Mareschet, épouse de ce dernier.

Sion, 1314, 23 mars. — 1319, 8 décembre.

Archives de Valère, Registrum Perrodi de Sancto Mauricio.

Ego Rodulphus de Curtinali de Grimisua, laudatione Anthonie vxoris mee et Francisci filii mei, dedi Perrete filie Perreti Mareschet et Jaquemodo de Gissiney marito suo, civi Sedun., quicquid juris et dominii vtilis et directi, realis et personalis seu misti, habebam super clamis, bannis, frewariis, hominum meorum deis Agietes et omnium consortium eorum-

dem. Actum Seduni, X kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XIII° imperio vacante, Aymone episcopante.

Quam cartam cum Cecilia vxor quondam Rodulphi de Turre domicelli, nomine suo et Johannodi filii sui, contradixisset et ad diem sibi assignatam coram auditoribus cartarum contradictarum cancellarie Sedun. non venerit, dicto Jacobo de Gissiney et Perreta eius vxore comparentibus, dnus Ebalus Hubodi canonicus Sedun., auditor dictarum cartarum, dictam cartam transire precepit ad opus dictorum coniugum Jaquemodi et Perrete ob contumaciam dicte Cecilie. Actum Seduni, VI idus decembris, anno Dni M°CCC°XIX, imperio vacante, Aymone episcopante.

1363

Donation faite au couvent d'Interlaken par Rodolphe de Scharnachthal, du consentement de Jean de La Tour, son seigneur.

1314, 19 avril.

Archives du canton de Berne.

Ego Ruodolphus de Scharnachtal domicellus notum facio vniuersis quod ego sanus mente et corpore, perpendens nil morte cercius horaque mortis incercius nichil esse, de scitu et pura voluntate Agnetis vxoris mee legitime, necnon per manum et expressum consensum nobilis viri dni mei Johannis de Turre domicelli, donaui et contuli ac legaui et lego et confero per presentes religiosis in Christo dno Petro preposito et capitulo ecclesie Interlacensis, ordinis sancti Augustini, Lausan. dyocesis, pure propter Deum et in remedium animarum mee, Agnetis predicte mee vxoris ac progenitorum nostrorum, possessiones meas, videlicet agrum situm in Lengenacher trium iugerum cum domo et area, quas emi de Thoma in der Ruti, minus dimidio iugero, et pratum nut

Zwen Tristabz, sedecim sol. denariorum monete communis soluentes annuatim, item possessiones quas emi de Ila dicta Kummerra, quas colit Berchta de Enrahusern, reddentes singulis annis quatuordecim sol. denariorum monete predicte, cum omni vtilitate, iure, vsagiis et aliis appendiciis quocumque nomine censeantur. Super quibus possessionibus donatis ammodo a predictis dnis Interlacensibus et eorum successoribus pro suo libero allodio habendis et possidendis perpetim et quiete debitam et iustam warandiam ferre promisi et per presentes promitto, quandocumque et vbicumque necesse fuerit in omni iudicio ecclesiastico et seculari et extra iudicium, meis expensis, contra quascumque personas ecclesiasticas et seculares. Testes donacionis predicte sunt : dnus Volricus rector ecclesie in Esche, Johannes de Obernhusern, Thomas et Volricus de Scharnachtal, Henricus de Bovnwile et alii fide digni. In cuius rei robur et testimonium sigillum dicti dni mei Johannis de Turre appendi presentibus procuraui. Ego vero Johannnes de Turre iamdictus sigillum meum hiis appendi litteris, ad preces dicti Ruodulphi de Scharnachtal fidelis mei et in testimonium, confitens dictam donacionem per manum meam et voluntatem liberam processisse. Datum feria sexta post octauam Pasche, anno Dni M°CCC°XIII°, indictione XII.

Sceau pendant.

1364

Guigone, dame d'Anniviers, et son fils Jean, vidomne du même lieu, vendent à la commune de Vercorens tous leurs droits sur les eaux de ce dernier lieu.

Anniviers, 1314, 29 mai.

Arch. cant. du Vallais, Registr. R. cancel. Sedun., p. 368.

Nos dna Guygona dna in Aniuisio et Johannes vicednus

eiusdem loci, filius meus, dimisimus pro XXX sol. Maur. nomine intragii et pro duobus sol. seruicii et IIIIor sol. placiti communitati de Vercorens tale jus et dominium quale nos habemus in omnibus aquis tocius montis parrochie de Vercorens, item fontem ville de Vercorens, ita tamen quod dicta communitas reddat nobis vnum hominem responsalem sive auanteyr, qui nobis de dictis usagiis respondeat. Testes : Willelmus de Aniuesio domicellus, Jacobus de Aula mistralis dicte dne, et P. curatus de Vercorens qui hanc cartam leuauit, apud Aniuisium, in castro dictorum vendentium, IIIIo kl. junii, anno Dni M°CCC°XIIII°.

1365

Plusieurs cautions se portent garants que le chevalier Ulric de Sierre paraîtra en justice devant l'évêque de Sion.

Sion, 1314, 30 mai.

Archives de Valère.

Nos Aymo Dei gracia Sedun. episcopus notum facimus vniuersis quod presenti die veniens ad nos Goffredus de Chamoson domicellus cauit in manu nostra pro dno Vldrico de Syrro milite per se ipsum Soffredum et per dnos Bonefacium de Sarro archidiaconum Augustensem, Ebalum sacristam Sedun. et per Willelmum de Aniuesio domicellum de stando juri et faciendo quod debebit dictus miles super quadam missione seu inuestitura in warnenciam juris qua dicuntur missi per nos seu positi fuisse Willenca relicta Johannis de Conley domicelli et Cono filius eius de quibusdam petitionibus quas dicto militi faciebant, quare dictam missionem et inuestituram in warnenciam juris in quantum debemus et possumus per

presentes litteras reuocamus. Datum Seduni, cum appositione sigilli nostri, die jouis post Penthecosten, scilicet III kl. junii, anno Dni M°CCC° quartodecimo. Reuocamus inquam dictam inuestituram, prout debemus insticia mediante. Datum ut supra.

Sceau tombé.

1366

Accord entre Pierre, vidomne de Sion, comme vidomne de Viège, et Thomas de Blandrate, chantre de Sion, comme major de Viège.

1314, 29 juillet.

Archives de Valère, Extracta registrorum cancel. Sedun.

* Notum quod cum discordia verteretur inter nobilem virum Petrum vicednum Sedun., ex vna parte, et ven. virum dnum Thomam cantorem ecclesie Sedun., maiorem de Vespia, ex altera, super eo quod dictus vicednus dicebat quod habere debebat custodiam nundinarum de Vespia in festo sancti Laurencii, ab hora tercia vigilie dicti festi usque in crastinum eiusdem festi eadem hora, cum omnimoda jurisdictione, mero et mixto imperio, clamis, bannis, frewariis; item super eo quod idem vicednus dicebat quod habere debebat jus recipiendi clamas apud Vespiam, quocienscumque et quantumque veniebat apud Vespiam et extra duos menses maii et octobris, in quibus duobus mensibus omnia predicta exercere debet tanquam vicednus dicti loci; item petebat a dicto dno cantore vnam fidelitatem in qua dicebat dictum dnum cantorem, maiorem dicti loci, eidem teneri ratione cuiusdam feudi quod asserebat dictum dnum cantorem, maiorem dicti loci, tenere ratione hospicii maioris (maiorie) de Vespia. Dicto dno cantore, maiore, ut supra, dicente dictum vicednum non habere nec habere debere de jure aut consuetudine supradicta, sci-

licet custodiam dictarum nundinarum et potestatem recipiendi clamas extra duos menses et fidelitatem predictam, ut petebat. Super quibus predite partes, mediantibus communibus amicis, scilicet dno B. de Sarro archidiacono Aug. et canonico Sedun., dno Jo. Boneti canonico et officiali Sedun., ad talem venerunt composicionem, scilicet quod dictus vicednus et eius successores habeant custodiam dictarum nundinarum sancti Laurencii apud Vespiam ab hora tercia vigilie sancti Laurencii usque in crastina sancti Laurencii eadem hora, cum omnimoda jurisditione, mero et mixto imperio, clamis, bannis et frewariis quibuscumque et quocumque nomine censeantur, et de ipsis exercere et facere iusticie complementum, saluis tamen pedagio et vendis dictarum nundinarum, que sunt dicti dni cantoris, maioris; quod pedagium et quas vendas idem maior debet percipere integraliter et sine diminucione, prout extitit hactenus obseruatum. Item actum fuit quod dictus vicednus de cetero non possit audire per se vel per alium clamas, nec ibi audire causas aut determinare imperpetuum extra duos menses supradictos maii et octobris, nisi in nundinis sancti Laurencii, et nisi esset casus prodicionis, que causa prodicionis etiam extra dictos duos menses coram dicto vicedno debet determinari et diffiniri. In dictis autem mensibus maii et octobris dictus vicednus clamas audiat et jurisditionem suam exerceat, recuperet et habeat jura sua que sibi competunt ratione vicednatus, prout actenus consuetum extitit. Item actum extitit quod si dictus dnus cantor, maior de Vespia, in fidelitate aliqua tenebatur dicto vicedno ratione hospicii sui maioris (maiorie) predicte, quod a prestatione dicte fidelitatis ipse et successores sui sint quitti penitus et immunes. Item actum extitit quod cum dictus vicednus, ex causa cuiusdam compositionis olim facte inter eorum predecessores, teneretur dicto dno cantori, maiori, in LXX sol. Maur. annis singulis persoluendis, quod de

illis LXX sol. remittantur imperpetuum ex nunc XXX s. annuales vicedno supradicto. Qui census annis singulis soluetur tempore date presentis instrumenti. Acto quod per dictum dnum cantorem dentur dicto vicedno XV lb. Maur. semel, si voluerit reemere dictos XXX sol. Quibus XV lb. solutis ex tunc dictus vicednus teneatur singulis annis dicto cantori ad solutionem integram LXX sol. predictorum, et hoc sit in optione dicti dni cantoris, utrum velit soluere dictas XV lb. vel quod dicti XXX sol. sint remissi. Item actum extitit quod si aliqua quantitas remansit soluenda usque in diem presentem de redditu dictorum LXX sol., quod ille remanencie sint quitte. Hanc autem transactionem dicte partes confirmauerunt. Datum anno Dni M°CCCXIIII, IIII° kl. augusti.

Istos XL s. redditus leganit dnus cantor predictus capitulo.

1367

Le prieur de Saint-Pierre de Clages reconnaît devoir 32 L. à Nantelme d'Ayent.

Clages, 1314, juillet.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Nos officialis (Sedun. notum facimus) quod H. prior de Clages debet Nantermo de Ayent XXXII lb. Maur. soluendas in dedicatione Sedun. anno M°CCC°XV°. Testes : dnus Bertholdus prior de Ayent, etc. Datum apud Clages, anno Dni M°CCC°XIIII°, mense julio.

1368

Nicolas de Martigny, donzel, promet de conserver indemnes ceux qui l'ont cautionné pour une somme d'argent empruntée à des marchands d'Asti.

Conthey, 1314, 17 octobre.

Archives de Valère.

* Notum sit quod cum ego Nicholaus de Martigniaco domicellus olim posuissem fideiussores et obsides erga Jaquemynum et Franciscum de Antagnon et Manuellum Thome, Lumbardos, mercatores Astenses, et nuncium ipsorum apud Contegium commorantem, de vna summa pecunie quam habui ex causa legalis mutui et onesti, Willermum de Herdes et Aymonetum fratrem suum, consanguineos meos, et Johannem filium Perreti Mareschet de Contegio quondam, et dicti fideiussores per compulsionem dictorum mercatorum seu eorum nuncii dictam summam iterato refidiuissent pro me erga dictos mercatores per alias litteras, sigillo curie dni comitis sigillatas, in casana Contegii, ego dictus Nicolaus promitto per juramentum meum et sub obligatione omnium bonorum meorum ipsos fideiussores seruare penitus indempnes a dictis fideiussionibus. Inde rogaui, etc. Actum apud Contez, XVI kl. nouembris, anno Dni M°CCC° quartodecimo, imperio vacante, Aymone episcopante.

1369

Rodolphe de Curtinal vend tous ses droits dans la paroisse de Vex à Jacques de Gesseney.

Sion, 1314, 2 décembre.

Arch. de Valère, Registrum Perrodi de Sancto Mauricio.

* Notum, etc. quod ego Rodulphus de Curtinali de Grimisua,



laudatione Francisci filii mei, vendidi pro octodecim lb. Maur. Jacobo de Gissiney ciui Sedun. totale jus, actionem et rationem que habebam infra parochiam de Vex. Que predicta mouentur et sunt de feudo homagii ligii dni episcopi Sedun.; cuius homagii auanterius est Johannes de Curtinali clericus. Pro quibus rebus teneatur dictus emptor dno episcopo ministrare quolibet anno vnum secatorem, vnum fenatorem et vnum portatorem pro prato dicti dni episcopi, vocato pratum episcopi, item soluere medietatem septem sol. de placito in morte vasalli. Actum Seduni, IIII° nonas decembris, anno Dni M°CCC°XIIII°, imperio vacante, Aymone episcopante. Quam venditionem dictus dnus episcopus laudauit presentibus Bonifacio de Castellione, nepote dicti dni episcopi, Willermo de Aniuesio, Gonthereto de Curia maiori, domicellis, in castro Turbillionis, III° nonas decembris, anno quo supra. Quam cartam cum Cecilia relicta Rodulphi de Turre domicelli contradixeret, eam postmodum amicabiliter transire precepit, presentibus Conone de Castro, Petro Fontana de Ayent, domicellis, et Nicholao cancellario Sedun. Actum Seduni, XIII° kl. julii, anno Dni M°CCC° vicessimo, imperio adhuc vacante, prefato Aymone episcopante.

1370

Donation de Jean de La Tour, seigneur de Châtillon, à Rodolphe de Scharnachthal.

Frutigen, 1314, 19 décembre.

Archives du canton de Berne.

Ich Iohans vom Tvrne herre von Gestellon in Wallis tvn kvnt aller menlichen an disem selben briefe do ich vnd Elsebeta min eliche wirti vrilich vnd beratenlich geben vnd hein

gegeben vnserm lieben diener Rvdolf von Scharnachtal die eigenschaft des gvtes ze Enrahversern di der edel herre her Arnold von Wediswile ze ettelichen ziten versetzet hatte zeinem selgerete dem Gottes hvs von Hinderlappon vmb drisseg phvnt vmb siner elichen wirti seligen sele vnd han dar vmbe zeiner gezvgsami. Vnd zeinen vrkvnde dirre vorgenanden dinge vur mich vnd min elichen wirti dv da vor geschriben stat min ingesigel gehenket an disen gegenwurtigen brief. Gezvge die dis sahen vnd horten vnd dar erbetten waren di sint Johans der Burger, Johans von Obrahvsern burger von Berno, Peter von Scharnachtal vnd ander erber lvte genvge. Dirre brief wart gegeben ze Frutingen, an dem donrestage vor sant Thomans mes, in dem jahre do man zalte von Gottes gebvrte drizehen hvndert jar vnd vierzehen jar.

Sceau pendant.

1371

Vente faite par François de Montjovet, donzel, à Nantelme d'Ayent, donzel.

Granges, 1314, 22 décembre.

Copia litterarum de Ayent, f. xxi.

* Notum, etc. quod nos Franciscus de Moniouet de Granges domicellus et Francisca eius vxor, laudatione Beatricis matris mei Francisci, vendidimus in allodium pro decem octo libris nobis solutis Nantelmo de Ayent domicello duos modios siliginis redditus ad mensuram de Leucha, item decem sol. Maur. de seruicio annuatim et quinque sol. placiti, quando acciderit, que nobis debent Vulliermus Balistarii de Salqueno et su confratres in villa de Salqueno, ratione duarum partium totius decime in territorio de Salqueno', ab aqua de Raspilly vsque ad Petram grossam, et supra stratam publicam, item

ratione duarum partium decime de les Millieres apud Flynio, a loco de Putafontana vsque ad Petram acutam. Testes : Perrodus dictus de Augueres domicellus, Petrus filius quondam Petri Manczon de Ayent, Perrerius famulus noster, dictus de Monionet, et Vulliermus de Ayent clericus, qui, etc. Actum in castro de Granges, in domo quam nunc habitamus nos venditores predicti, XI kl. januarii, anno Dni M°CCC° quarto decimo, imperio vacante, Aymone episcopante.

Postmodum vero ego dictus Vulliermus Balistarii promisi pro me et confratribus meis predicta soluere prefato Nantermo, etc. Testes : Johannes filius Vldrici de Bluuignoch domicelli de Ayent, etc. Actum apud Salqueno, quarto kl. januarii, anno Dni M°CCC°XIIII°.

Quam cartam et omnia et singula supradicta postmodum reuer. in Christo pater dnus Aymo Dei gratia Sedun. episcopus et venerabile capitulum Sedun. laudauerunt, etc.

1372

L'évêque Aymon confirme une vente faite par Nantelme d'Ayent au chapitre de Sion.

Sion, 1315, 14 février.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 608, ex arch. Valer.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod cum Nantelmus de Ayent domicellus, laudatione Margarete matris sue et Amèdei fratris ipsius Nantelmi, olim perpetue vendidisset pro decem septem lb. Maur. sibi solutis venerabili capitulo Sedun, et cui dare vel vendere voluerit, quosdam homines ligios et alia usagia qualia debentur ab eisdem et eorum comparticibus ipsi Nantelmo in valle de Heroens, ratione albergamenti Amedei de Ayent domicelli patris dicte Margarate, que usagia promisit

facere valere viginti sol. Maur. annuatim, et si plus valerent, illud plus cessit eidem capitulo ; cui adhuc vendidit sub pretio predicto omne jus et dominium, rationem et actionem que et quas habebat in tota valle de Heroens ratione albergamenti de la Sala de Ayent, prout hec in quadam carta scripta et recepta in quodam querterio registrorum cancellarie Sedun. et super predictis levata plenius continentur[1]; hodie vero reuerendus in Christo pater dnus Aymo Dei gratia episcopus Sedun. dictam venditionem et alia omnia plenius contenta in eadem carta laudavit, approbavit, ratificavit ac etiam confirmavit, interponens suam auctoritatem et decretum ; ita tamen quod dicte res vendite remaneant semper de feudo suo et mense episcopalis Sedun., et salvo jure suo quod habebat nomine sue dicte mense episcopalis in rebus Perrete sororis quondam dicte Margarete, salvoque adhuc jure suo et etiam alieno. Ad hoc fuerunt testes vocati et rogati qui sic vocantur : dnus Bartholomeus de Nus, dnus Johannes Muecos, sacerdotes, dnus Aymo capellanus dicti dni episcopi, Willermodus de Hospitali, Jacobus de Nas, clerici, et ego Johannodus de Auboreynges clericus, qui, etc. Actum Seduni, in choro ecclesie Valerie, congregato ibidem, ut moris est, capitulo memorato, XVI kl. martii, anno Dni M.CCC, quinto decimo, imperio vacante, Aymone episcopante.

1373

L'évêque et le chapitre de Sion décident que, pendant cinq ans, les premiers fruits des bénéfices vacants dans le diocèse seront prélevés pour servir aux besoins de l'église et de la mense épiscopale de Sion.

Valère, 1315, 1 mai.

Archives de Valère, B, 38.

Nos Aymo Dei gratia Sedun. episcopus, Girardus decanus

[1] Voyez tom. II, pag. 513.

Valerie, Johannes decanus Sedun., Ebalus sacrista, Thomas cantor, totumque capitulum Sedun. more solito ad sonum campane conuocati in ecclesia Valerie, in qua consueuit capitulum conuocari, considerata euidenti necessitate et vtilitate tam mense episcopalis quam ecclesie supradicte, attendentes quod tam dictus dnus episcopus quam etiam dicta ecclesia et capitulum supradictum erant mole debitorum grauati, tam propter opressiones guerrarum quas hactenus sustinuit ecclesia memorata, quam propter municionem castrorum et edificacionem eorumdem etiam sumptuosam, quam etiam propter alias oppressiones varias et diuersas, attendentes etiam quod dicta ecclesia, scilicet tam ecclesia inferior Sedun. quam superior Valerie, reparatione et etiam edificatione indigent euidenter, que non possent sine magnis sumptibus adimpleri, cum ad supradicta sine magna lesione mense episcopalis et capituli non supetant facultates, pluribus tractatibus super hoc habitis in capitulo memorato, considerantes quod tanquam matri ecclesie inferiores ecclesie ipsius diocesis tenentur in suis necessitatibus subuenire, beneficio juris vti volentes, prouide ducimus statuendum, ordinandum ac etiam faciendum quod ad releuacionem et subvencionem predictarum necessitatum nos predictus episcopus et dictum capitulum percipiamus et habere debeamus primos fructus omnium ecsiarum parrochialium et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum in ciuitate et dyocesi Sedun. vacantium usque ad quinquennium a data presentium computandum, cum exitibus, prouentibus, redditibus, censibus eorumdem; qui fructus cedant et cedere debeant ad predicta onnera supportanda in vsus et vtilitatem dicti dni episcopi pro tercia parte et dicte ecclesie Sedun. pro duabus partibus diuidendis. Statuentes etiam quod quicumque aliquid de predictis beneficiis usque ad finem dicti quinquennii in ciuitate et dyocesi Sedun. adeptus fuerit, cuiuscumque collationis vel presentationis existat,

exemptis exceptis, de fructibus, exitibus, prouentibus et redditibus primi anni vacantis beneficii infra dictum quinquennium pro predictis adimplendis collectori seu collectoribus deputando vel deputandis a nobis integre satisfacere teneantur. Hec autem superius statuta et ordinata stare volumus et precipimus, saluis priuilegiis et statutis Romanorum pontificum et legatorum eorumdem. Datum in dicto castro Valerie, cum appositione sigillorum nostrorum, kl. maii, anno Dni M°CCC° quintodecimo.

Sceaux en mauvais état.

1374

Aymon, évèque de Sion, vend un verger à François d'Erdes, chanoine de Sion.

Sion, 1315, 3 mai.

Archives de Valère.

* Notum sit quod nos Aymo Dei gracia episcopus Sedun., laudatione Aymonis Pelliuont hominis nostri ligii, vendidimus, pro septem lb. et decem sol. Maur. nobis et dicto Aymoni persolutis et quatuor den. seruicii nobis et mense episcopali persoluendis et octo den. placiti, dno Francisco de Herdes canonico Sedun. vnam peciam viridarii sitam subtus pratum nostrum qui dicitur vulgaliter pratum episcopi. Quam peciam nos liberantes ab omni seruitute homagii de quo ligata erat, pro qua eciam et aliis rebus dictus Aymo erat noster homo ligius, promisimus dicto emptori facturo nobis vsagium predictum tantum contra omnes in planum feudum perpetue garentire. Inde rogauimus, etc. Actum Seduni, in nostra curia episcopali, quinto nonas maii, anno Dni M°CCC°XV°, imperio

vacante, Aymone episcopante. Que omnia predicta confirmauit capitulum Sedun. in ecclesia Valerie, presentibus testibus Willermo de Aniuesio domicello, Petro maiore de Sueng, etc., XVII kl. junii, anno quo supra.

1375

Le comte de Savoie charge son châtelain de Monthey de faire maintenir les digues de la Viège.

Chillon, 1315, 6 juin.

Archives de la famille de La Vallaz, Liber immunitatum Montheoli, fol. 1 verso.

Amedeus comes Sabaudie dilecto nostro castellano Montheoli salutem et dilectionem sinceram. Intelleximus quod quidem nobilis et dnus Johannes de Ylletis capellanus et etiam quidam de communitate dicti loci nituntur infringere compositionem et ordinationem factas super deffensione aque de Viesia, nolentes in predicta deffensione contribuere prout debent et tenentur, quare tibi precipiendo mandamus quathenus requiras abbatem Sancti Mauritii quod ipse faciat quod dictus capellanus de possessionibus quas habet ibidem ecclesia, contribuat in dicta deffensione, et si aliquas personas habet ibidem possesiones pro hereditate sua, prefatus cappellanus compellat eum de ipsis juxta equitatem ad contribuendum de eisdem juxta equitatem, et nihillominus compositionem factam super predicta deffensione tam contra nobiles quam communitatem facias firmiter et inuiolabiliter obseruare, taliter quod feuda nostra in periculo aque existentia ob tui deffensionem nullum recipiant detrimentum. Datum Chillionis, sexta die junii, anno Dni 1315.



1376

Ordre donné par Amédée V, comte de Savoie, à son châtelain de Saint-Maurice au sujet du droit du treizième sur les maisons vendues, et de la punition des paroles injurieuses.

Chillon, 1315, 12 juin.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

Amedeus comes Sabaudie dilecto fideli nostro dno Berlioni de la Marz iudici nostro Chablasii et Gebenn. ac castellano Sancti Mauricii Aganen. salutem et dileccionem sinceram. Ex parte burgensium nostrorum Sancti Mauricii Aganen. nobis extitit conquerendo monstratum quod uos de domibus ipsorum inhabitatis, de quibus teyse eciam non leuantur, trezenum precii cum uenduntur exigitis in sue libertatis preiudicium et grauamen. Super quo uobis precipiendo mandamus quatenus, si inspecta dictorum burgensium franchisia, ipsos immunes inueneritis de predictis, eosdem ad dictum trezenum nobis soluendum nullatenus compellatis, aliter enim in predictis vtamini jure nostro. Ceterum ex parte dictorum burgensium nobis fuit expositum quod pro uerbis iniuriosis de quibus aliqua querela deponitur, aut iniuriato adiudicatur emenda, de nouo bannum exigere nitimini et leuari in ipsorum preiudicium et grauamen, quo circa uobis precipimus et mandamus quatenus pro predictis verbalibus iniuriis bannum aliquod non leuetis, nisi duntaxat iuxta Sabaudie continentiam statutorum. Datum Chillioni, die jouis XII° mensis iunii, anno Dni M°CCC° decimo quinto. — Redd.

Fragment du sceau.

1377

Pierre de la Biola renonce aux possessions qu'il tenait de la commune de Buez.

Louèche, 1315, 14 juin.

Archives de la commune de Louèche-les-Bains, copie de M. Ferd. Schmid.

Ego Cassonus maior de Leuca notum facio vniuersis presentes litteras inspecturis quod cum Petrus dictus de la Biola de Buez[1], nomine suo et communitatis dicti loci de Buez, mihi clamam fecisset de Johanne Nero filio quondam Petri Nero eiusdem loci, petens ab ipso Johanne, nomine quo supra, decem sol. Maur, in quibus prefatus Jo. tenebatur ex censu annuali prefate communitati, cum retentis vnius anni precedentis; que quidem predictus Jo. Nero coram me et meis astantibus vera esse confessus fuit et recognouit; sed tamen propter impossibilitatem rerum et facultatum suarum soluere nequit dictum censum, ipse se senciens debilem et minus sufficientem ad soluendum dictum censum die et tempore competenti, spontaneus et propria voluntate motus, nec coactus, nec circumuentus per aliquem quittauit penitus et soluit pro se et heredibus suis perpetuo prefatis Petro et communitati predicte possessiones quas tenebat a dicta communitate, que quidem sunt hec, videlicet quandam peciam prati iacentem ou Chastelar supra torrentem Bennum et subtus stratam publicam qua itur ad balnea et iuxta terram Aymonis Allet, item vnam aliam peciam prati iacentem supra dictam stratam subtus terram Perrini dou Chastelar et iuxta terram

[1] Buez, Boez, ancien nom de la vallée de Louèche-les-Bains.



Perrini Allet cum casamentis et appendiciis eorum, etc. Ad hoc fuerunt testes, videlizet Vldricus Neros de Leuca, Ansermodus dictus de Prato de Sarqueno et Willermotus filius quondam Aymonis Frederici. Et quia ego supranominatus Cassonus sigillum proprium ad presens non habeo, sigillo boni viri et sapientis, videlizet Perroneti de Vallete clerici vsus sum in hoc facto. Et ego prefatus Perronetus ad preces et requisicionem dicti Cassoni sigillum meum duxi presentibus apponendum. Datum Leuce, XVIII kl. julii, anno Dni MCCCXV.

1378

Ruédin de Rarogne reconnaît devoir 15 L. à Cristin de Valère.

Sion, 1315, 16 juin.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist., XII, 780, ex arch. Valer.

* Anno Dni M°CCC°XV°, inditione XIII, XVI kl. julii, in civitate Sedun., Ruedinus filius quondam Aymonis de Rarognia domicelli confessus fuit se debere Cristino de Valeria XV lb. Maur. nomine et ex parte heredum quondam dni Johannis Magni de Vespia militis ; quam pecunie summam dictus Ruedinus promisit solvere integre predicto Cristino infra festum Purificationis beate Virginis Marie. Perrinus de Olono civis Sedun., ad requisitionem nobilis viri Petri vicedni Sedun. et dicti Ruedini, se fidejussorem constituit erga dictum Cristinum. Testes : vir nobilis et sapiens Johannes de Turre dnus Castellionis in Vallesio, Johannes gener quondam Willermi de Morgia domicelli, et ego Johannes de Montmelian, etc.

1379

Amédée V, comte de Savoie, charge son châtelain de Saint-Maurice de recouvrer un subside gratuit que lui ont accordé les bourgeois de cette ville.

Genève, 1315, 18 juin.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

Amedeus comes Sabaudie dilecto nostro Berlioni de Lamarç, judici nostro Chablasii et Geben. ac castellano Sancti Mauricii, salutem et dilectionem sinceram. Cum pro subsiduo seu complainta quam petebamus nobis fieri a burgensibus nostris Sancti Mauricii, concordauerimus cum eisdem burgensibus per manus Petri Jolleni, Petri Franqueti, Johannis Grassi et Jaqueti Vuichardi, burgensium dicti loci, quod communitas dictorum burgensium occasione predicta nobis det et soluere teneatur hinc ad festum Omnium Sanctorum proxime venturum sexaginta sol. grossorum Turon. argenti boni, vobis precipiendo mandamus quatenus a communitate dictorum burgensium dictos sexaginta sol. gross. Turon. predicto termino nostro nomine exigatis et recuperetis, volentes quod a precepto jam vobis facto per nos super exactione dicte complainte facienda, videlicet a quolibet focho de maioribus sex sol. Laus. et a mediocris a quolibet quatuor sol. et a minoribus a quolibet duos sol., totaliter desistatis, contenti dictis sexaginta sol. recuperandis, vt supra, a burgensibus memoratis. Datum Gebennis, die decima octaua mensi junii, anno Dni millesimo CCC° decimo quinto.

Sceau pendant.

1380

Sentence arbitrale entre Jean de La Tour et Rodolphe de Coponay, châtelain de Mont-Crescent, au sujet d'hommes du prieuré de Chamounix.

Barberine (Salvan), 1315, 19 juin.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Anno M°CCC°XV°, indicione XIIII, in festo sanctorum Geruasii et Protaxii, in insula de la Barberina, in territorio de Saruans, cum discordia verteretur inter nobilem virum Jo. de Turre, nomine suo, et P. Fabri de Croso, ex vna parte, et Ro. de Coponay castellanum Montis Crescentis, pro facto hominum prioratus de Cham(onix), ex altera, super eo quod dictus Jo. dicebat quod Jaquetus de Pratis et Michael frater eius de Cham(onix) receperant a dicto P. Fabro, homine dicti Jo., ad commendam IX vaccas et LXVII castrones, de quibus dicti homines de Cham(onix) recusauerunt facere emendam dicto P. Fabro, pro qua restitutione seu emenda dictus Jo. et P. exigenda dampna quam plurima et expensas sustinuerunt vsque ad extimacionem C lb. Maur. et vltra, quas petebant sibi solui vna cum restitucione animalium predictorum. Item cum occasione predicta dictus P. Faber de mandato dicti Jo. dni sui in mandamento de Cham(onix) pignorando cepisset II vacas et vnam equam, ea reducendo in terram Valesii, transeundo per castellaniam de Sassons in juriditione dni comitis Sabaudie, vbi eum consequutus fuit Michael Berroz de Cham(onix) maliciose et injuriose dixit eidem P. Fabro quod dicta animalia furtiue subtraxerat, que ad animum suum dicti Jo. et P. reuocantes noluissent pro aliis C lb. eidem P. dictam injuriam fore dictam; quare petebant dictas CC lb. vna cum restitutione



predicta. Vice versa dictus Ro., nomine quo supra, proponebat quod dictus P. Faber minus juste et injuriam et vituperium dni Fucign(iaci) ceperat apud Cham(onix) depredando in domo Ro. Berroz patris dicti Michaelis II vacas et equam predictam, pro quibus recuperandis dictus Ro., nomine quo supra, dampna et expensas non modicas sustinuerat, extimatas XX lb. eiusdem monete. Tandem dicte partes compromiserunt se in amicabiles arbitros, videlicet N. de Ayent castellanum Martigniaci et Ja. condnum de Amauilla domicellum, electos a dictis Jo. et P., et in Henricum de Stabulo et Guigonem de Lacu clericos, electos a dicto Ro., promittentes dicte partes, etc. Qui arbitri vnanimiter arbitrati fuerunt quod ante omnia ob reuerentiam et honorem dni Fucign(iaci) dicte II vace et equa predicta reddantur dicto Ro. castellano. Vice versa dicte VII vace et XXIX (sic) castrones reddantur per dictum Ro. castellanum. Item quod ad requisitionem dicti P. Fabri uel Jo. dni sui dictus Ro. castellanus teneatur facere venire dictum M. Berroz apud Sassons, coram curia dni comitis Sabaudie, ad confitendum quod dictus P. Faber de captione dictorum animalium de qua ipsum latronem uocauerat, fidelis est et immunis et quod male dixerat et quod iusta causa dicta animalia acceperat, et propter hoc omnis actio injurie inter eos sit extincta. Item quod dictus R. soluat vel solvere faciat dicto Jo. nomine suo et P. Fabri tam pro dampnis quam expensis sustentis XVIII lb. Maur. semel infra quindenam assumptionis B. M. proximam. Quam pacem dicte partes acceptauerunt et tenere promiserunt. Ad hec fuerunt testes P. de Octyez, Ay. de Curia maiori, Aymo de Charas, Adam de Crista Martigniaci, Ro. de Sancto Gorio, Willermus mistralis Vallis Ursine, Michael Quarter de Cham(onix) et Ro. Qui non ridet, not., et ego Ja., etc.

1381

Legs de Théodule, major de Sierre, en faveur de la confrérie du Saint-Esprit, à Sion.

Sierre, 1315, 7 août.

Archives de Valère.

* Notum sit omnibus Christi fidelibus quod ego Theodolus maior de Sirro, filius quondam Jacobi mistralis ciuis Sedun., sanus mente licet infirmus corpore, dedi et legaui post decessum meum confratrie Sancti Spiritus Sedun. annuatim duos fischelinos siliginis redditus, percipiendos super redditibus meis de Vex. Super quo legato rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: Frater Reymundus de Albignon, Frater Jacobus de Bullo, ordinis Fratrum Minorum, Johannes salterus de Sirro, Perrodus Dagneyres, Perrodus Faber de Murat, Roletus mistralis meus et Willeyncus de Coniour clericus, qui hanc cartam leuauit, vice cuius ego Johannodus de Auboreynges clericus eam scripsi. Cui si quis, etc. Actum apud Sirro, oul Marech, in domo mea, VII idus augusti, anno Dni M°CCC° quinto decimo, imperio vacante, Aymone episcopante.

1382

Thomas de Blandrate, chantre de l'église de Sion et major de Viège, donne cette majorie en gage à son neveu Antoine, comte de Naters.

Viège, 1315, 27 août.

Archives de Valère. — De Gingins, *Documents pour servir à l'histoire des comtes de Biandrate*, pag. 49.

In nomine Dni, Amen. Anno incarnationis eiusdem



M°CCC°XV°, indicione XIII, VI kl. septembris, apud Vespiam, dyocesis Sedun., in castro vener. viri dni Thome cantoris ecclesie Sedun. et maioris de Vespia, in presencia mei notarii et testium subscriptorum, propter hoc ibidem specialiter constitutus idem dnus Thomas graui creditorum suorum instancia compulsus, prout suis amicis ibidem proposuit et ostendit, obligauit titulo pignoris nobili viro Anthonio comiti de Narres, nepoti suo, maioratum suum in Vespia et in tota parrochia de Vespia, cum omni jure, jurisdictione pertinentibus ad dictum maioratum et cum gracia subuencionum et peticionum quas quondam nobilis vir Jocelmus comes, pater dicti dni cantoris, percipere solebat in parrochia de Vespia, necnon cum jure pedagii siue thelonei sui quod habet et percipit in nundinis ville de Vespia in festo Sancti Laurentii, videlicet VIII diebus ante festum et octo diebus post ipsum festum Sancti Laurencii et etiam in ipso festo, item cum linguis boum seu vaccarum siue peccorum que debentur de macellis parrochie de Vespia, preter Staldun, quas contulit Petro Aspere vice et nomine suo percipiendas, item cum pedagio castronum transeuntium per districtum dicti maioratus. Hec omnia obligauit, ut predictum est, pro octoginta et quinque lb. bon. Maur. soluendis nobili dne Alysie relicte Petri comitis, fratris sui. Pro qua pecunia soluenda dictus Anthonius promisit fide data nomine sacramenti dictum dnum cantorem et eius fideiussores pro dicta pecunia obligatos seruare indempnes ac ab omni dampno et grauamine quod racione huiusmodi pecunie, si negligens esset in soluendo, incurrere possent penitus releuare. Item pro centum sol. bon. Maur. soluendis prefato dno cantori aut eius certo nuncio post annum presentem in antea annuatim in festo B. Martini hyemali. Hac condicione apposita et adiecta quod anno quocunque aut mense uel die quacunque sepefatus dnus cantor Sedun. reddiderit et restituerit predicto Anthonio uel eius heredibus predictas octoginta et quinque lb. Maur.,

tunc dictus maioratus cum omni jure suo et attinenciis supra enumeratis et expressis redire debet et restitui suo dno dno cantori predicto libere ac integre nullis obligatus debitis nec astrictus. Preter hec sepedictus dnus cantor concessit et accomodauit ex gracia speciali et non ex pacto prescripto Anthonio nepoti suo castrum suum supradictum, quousque tenuerit maioratum predictum. Potest tamen et debet nichilominus dictus dnus cantor quandocunque et quocienscunque venerit apud Vespiam, suum commodum habere in dicto castro cum sua comitiua et familia et suis expensis. Hec omnia promiserunt fide qua supra attendere totaliter et seruare. Et ad hoc fuerunt testes vocati et rogati: dnus Petrus de Lauota curatus ecclesie Sedun., dnus Nicolaus de Schovson rector altaris Sancti Jacobi predicte ecclesie, Johannes de Molinbach, Johannes filius Johannis de Subtus domicelli, Petrus Esperlin, Petrus Aspere, Johannes Tuttere, Willermus de Lascala et plures alii, et ego Rodolphus Ernst de Wyle auctoritate imperiali publicus notarius hiis interfui, presens instrumentum scripsi, signoque meo signaui rogatus in testimonium premissorum.

1383

Vente d'une dîme à Viège par les créanciers de feu Mathieu auf der Flu.

Viège, 1315, 24 septembre.

Archives de Valère, Cartularium ecclesie de Vespia, p. 71, N° lix.

* Notum sit quod nos Amedeus de Raron domicellus, Willermus filius quondam Ludewici de Platea de Vespia, Jacobus dictus Zugkin et Anselmus dictus Stirgko de Terminon, creditores quondam Mathei a der Flu de Terminon, ac omnes creditores eiusdem Mathei certi nuncii per dni Aymonis Sedun.

episcopi mandatum et sui consilii decretum a Nycolao saltero de Vespia tunc temporis judice pro omnibus eiusdem Mathei clamis secundum facultatem rerum suarum soluendis constituti et prefecti, terna denunciacione in ecclesia de Vespia et in eius capellis diebus festiuis premissa de consensu dni Johannis de Alengio dicte ecclesie de Vespia curati, vendidimus pro viginti et quinque lb. Maur., nobis vice creditorum dicti Mathei persolutis, Johanni filio quondam Georgii de Nancz decimam quam dictus Matheus a der Flu tenebat an der Termenon et que mouetur a dno decano Valerie et ab ecclesia de Vespia; que decima colligitur de Fossato, hoc est von den Graben que est circa der Lopheit et ipsum Fossatum ascendendo usque an das Loelin et ipso Loelin Hardani, sicut mansus distinguit et discurit usque an die Haselstuden, et de hoc loco qui modo hic singulariter nominatur, videlicet de dicta Haseltuden supra, sicut feudum capituli Sedun. se diffundit et distinguit, debet percipere decimam siliginis duntaxat, de dicta autem Haselstuden Hardana usque in dem Mulebach plenam decimam, preter decimam primavere cui dicitur langzinzenden, et postmodum ipsum Mulenbach supra ascendendo usque ad locum illum ubi molendina illorum de Torbio sunt constructa, et de ipsis molendinis sicut via ducit usque an das Durstig Ryet, et de ipso Durstig Riede usque an die Furun sub magno lapide an dem Durstigere Riede, et de ipso magno lapide usque an die Dickun Ebyn, et de dicto Ebyn usque ze Obrest Krineggun sub dien Fluen, et de Krineggun inferius eundo ante ediculam que est an der Wildin usque in aquam Vispa, plenam decimam; excipitur autem ab hac decima feudum ecclesie de Vespia quod situm est uffun den Staldun; item de illo Troeyen supra que ducit ad Loaczenacher dana usque in den Staldenbach, et de Staldenbach usque ad Visperroban, et de inde supra nullam accipere debet decimam primavere que vulgo dicitur langzinzenden. Hanc decimam ven-

didimus saluis seruiciis dnorum subscriptorum, principaliter autem ecclesie de Vespia cui debentur annuatim octo modii et sex fissilini siliginis seruicii; item Johanni filio quondam Johannis filii quondam dni Jacobi de Vespia militis vnus mod. silig. seruicii; item Rykardo filio eiusdem dni Jacobi sex fiss. silig. ser.; item heredibus quondam Heinrici de la Scala de Vespia vno anno XIII fiss. et in secundo anno XIIII fiss. cum dimidio silig. ser.; item heredibus quondam Agnetis der Sundun ab Puele vno anno duo fissil. et in secundo anno vnum fissil. et dimidium silig. ser.; item heredibus quondam des Wiczigere III fiss. silig. ser., minus vno fiertellino; item Cononi uff der Eggon der Termenon vnus fiss. silig. ser. Testes: Johannes Boneti canonicus Sedun. et officialis curie Sedun., Johannes de Turri dnus Castellionis in Vallesio et balliuus terre Vallensis, Anthonius comes de Narres, Cono de Castello, Willermus in Platea, Rykardus de Simplono. Hii interfuerunt consensui et consilii decreto dni episcopi Sedun. Acta fuerunt hec apud Vespiam, VIII kl. octobris, anno Dni millesimo CCC°XV°, imperio vacante, Aymone episcopante.

Postmodum vero dnus Gyrardus decanus Valerie laudauit omnia suprascripta pro XXV sol. Testes: Johannes de Schouson, Widbertus de Lausanna, capellani de Vespia, XV kl. januarii, anno Dni M°CCCXXX, apud Vespiam, imperio vacante, Aymone de Turre episcopante.

1384

Délimitation entre les communes de Magnou, Saint-Pierre de Clages, Chamoson et Ardon.

Chamoson, 1315, 16 octobre.

Arch. de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Anno Dni M°.CCC°XV°, inditione XIIII^a, XVII kl. nouembris,

in platea B. Andree apud Chamoson, ibidem placitum tenente generale, ad requisitionem omnium residentium dicti placiti, nobilium et non nobilium, fuit facta recordatio, vt moris est recordare in placito generali, per probos homines et fidedignos anticos electos per residentes dicti placiti quomodo et qualiter communitas de Amagnoc et de Sancto Petro de Clages olim antiquitus consueuerunt vti et adhuc vtuntur cum communitate de Chamoson et de Ardun. Qui uero predicti de precepto P. de Sassons, tenentis locum Soffredi vicedni de Chamoson, dixerunt et recordati fuerunt concorditer in hunc modum, videlicet primo quod communitas de Amagnoc non debent vti in aliquo communitate de Chamoson et de Ardun in plano nec in monte ab Yserna citra versus Ardun, excepto hospicio Jo. de Bruel hominis ligii dni episcopi.

Item communitas de Sancto P. non debet vti nec vtitur in aliquo cum predicta communitate de Chamoson et de Ardun, nisi infra istos confines et non extra, videlicet a torrente supra Sanctum P. inferius vsque eys Ryvex, et a cursu aque de Mersesson vsque apud Cristam sicam tendentem ad cristam vbi benedicuntur rami, et per torrentem quo irrigantur prata de la Chauanas vsque eys Riues predictos. Hec autem recordatio fuit facta anno, die, loco quibus supra, coram religioso viro dno H. priore de Clages, Bonifacio de Castell(ione) tenente maioriam pro dno Ay. episcopo Sedun., Willermo de Montegarello, P. de Curia maiore, Anthonio de la Comba, Ay. de Herdes clerico, Petro de Rupe Aug., et ego Jac., etc., qui rogatus a dictis residentibus et dicto priore hanc cartam feci.

1385

Echange entre le prieur de Granges et Aymon de Morestel, donzel.

Granges, 1316, 8 mars.

Archives de Valère, Registrum Johannodi de Aubøreynges.

* Anno Dni M°CCC°XVI°, indicione XIIII[a], VIII idus marcii, apud Granges, in domo prioratus, dnus Ludouicus prior et rector dicti prioratus dedit in concambium Aymoni de Morestello de Granges domicello I peciam terre sitam en Oulons; vice versa dictus Aymo dedit in concambium dicto priori VI den. seruicii et XII den. placiti, quos eidem debebat Anygnon relicta Johannis Hocka de Lenz.

1386

Les frères Guillaume et Bruno du Joc reconnaissent qu'ils sont de la seigneurie d'Aymon de Morestel.

Granges, 1316, 21 mars.

Archives de la ville de Sion.

* Anno Dni M°CCC° sexto decimo, XII kl. aprilis, apud villam de Granges, Willelmus ac Bruno dou Joc fratres de Dalley recognouerunt se esse de segnoria et reclamatione Aymonis de Morestello de Granges domicelli melius quam alterius dni, siue de suo reclan. Cui Aymoni tenentur dicti fratres et promiserunt soluere singulis annis vnum den. nomine recognitionis dicti dominii.

Et ego Johannodus dictus de Auboranges de Viuiaco notarius, etc.



1387

Echanges entre l'évêque de Sion et le chanoine Jean Erpoz.

Valère, 1316, 2 avril.

Archives de la famille de Torrenté, Homagia de Leuca, Sirro, etc., f. xxi.

Copia littere excambii dni Aymonis episcopi Sedun, et dni Johannis Erpo de Leuca.

* Notum sit omnibus Christi fidelibus quod dnus Aymo Dei gratia episcopus Sedun., nomine suo et successorum suorum, ex vna parte, et dnus Johannes Erpoz de Leuca canonicus Sedun., ex altera, fecerunt sibi ad invicem concambia de rebus et hominibus inferius declaratis. Primo dictus dnus Johannes Erpoz dedit dicto dno Aymoni homines infra scriptos, quos ipsi dno Johanni vendidit Johannes de Vineis domicellus, vna cum bonis, vsagiis, etc., inferius contentis, videlicet (ennumerantur 16 homines quorum aliqui sunt talliabiles ad misericordiam et alii debent simul annuatim 14 fischilinos frumenti, 2 $^1/_2$ fisch. siliginis, 6 fisch. ordei, 12 sextaria vini, 35 solidos, 5 den. et 3 ressat). Viceuersa dictus dnus episcopus dedit dicto dno Johanni Erpo centum sol. redditus annui percipiendos super talliis de Leuca, vnum modium vini super decima de Varona, dimidium modium vini super vinea de Canali, duos modios cum dimidio siliginis, quos debet Perronerius Erpoz nepos dicti Johannis pro prato de Drona et tres fisch. silig. cens., quos debet Johannes filius Ansermi. Testes: dnus Ansermus capellanus dicti dni episcopi, Petrus de Montana juratus (juris) peritus, Willermus de Aniuesio domicellus, Jacobus de Vespia, marticularius Sedun., F. de Aug(usta) morans Leuce, Johannes de Basilea, clerici, et Generodus de Auborenges clericus qui, etc. Actum in choro Valerie, in

pleno capitulo laudante omnia supra scripta, IIII^{to} nonas aprilis, anno Dni M^{o}CCC^{o}VI°X^{o}, imperio vacante, Aymone episcopante.

1388

Sommes qu'Antoine, comte de Naters, et Guillaume d'Anniviers doivent à Nantelme d'Ayent.

Sion, 1316, 3 avril.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Nos officialis, etc., quod Anthonius comes de Narres debet Nantelmo de Ayent XXVI lb. Maur. soluendas in festo B. Martini proximo. Fideiussores : Jo. de Vineis et W. de Aniuesio, domicelli.

Nos officialis, etc., quod W. de Aniuesio debet N. de Ayent XXI lb. Maur. soluendas in festo augusti et in dedicatione XI lb. Testis magister Jo. medicus Seduni. Datum Seduni, III nonas aprilis, anno Dni M.CCC.XVI.

1389

Cour de Cécile de La Tour, à Sion.

Ayent, 1316, 18 avril.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Willermus magistri Martini quondam citauit, vice et nomine Cecilie de Turre et filii eius, Ro. de Curtinali et Franciscum filium eius ad diem crastinam apud Sedunum coram curia dicte Cecilie, ad faciendum quicquid ei facere debebit. Testes :

Franciscus de Monjouet, P. Fontana, etc. Datum in cimiterio de Ayent, XIV kl. maii, anno Dni M.CCC.XVI.

1390

L'évêque de Sion donne en fief le pré dit de Drone à Pierre Lambaner.

Sion, 1316, 1er mai.

Homagia de Leuca, de Sirro, etc., f. vi.

Fevdum prati de Drona.

* Cum pratum quod dicitur pratum de Drona, situm apud Ayent, cum grangia et pertinentiis suis, supra stratam publicam, quod pratum erat de feudo homagii ligii dni Aymonis episcopi Sedun., esset inchetum et appertum ipsi dno episcopo ratione vsagiorum suorum sibi non prestitorum et homagii sibi non facti, quod feudum in toto uel in parte venale fuit expositum pro soluendis debitis Nycoleti filii quondam Petri de Drona, qui tenebat dictum feudum, pro quibus debitis solute fuerunt XIII lb. Maur. et vltra per Petrum infrascriptum tam dicto dno episcopo quam aliis creditoribus, dictus dnus episcopus dicto Nycoleto faciens gratiam specialem dictum pratum cum grangia et aliis pertinentiis, excepta aqua pro duobus sectoratis prati adaquandis, quam sibi retinuit, concessit perpetue Petro Lambaner, filio quondam Huldrici Lambaner de Leuca, et heredibus suis in feudum homagii ligii pro duobus sol. seruicii et sex den. et II sol. placiti ipsi dno episcopo persoluendis, et pro duobus modiis cum dimidio modio silliginis mensure de Leuca faciendis dno Johanni Herpoz canonico Sedun. in festo B. Martini annuatim, cui dictus dnus episcopus dedit et permutauit in concambium dictum bladum pro quibusdam aliis rebus sitis apud Ayen. Que omnia dictus

dnus episcopus promisit garentire pro octo lb. Maur. ipsi dno episcopo et capitulo pro aliis expensis integre persolutis. Et est sciendum quod antequam predictus dnus episcopus faceret dictam cessionem, publicatum fuit in ecclesia de Leuca per tres dies dominicos in missa quod quicumque crederet sua interesse, compareret coram dicto dno episcopo allegaturus, etc. Testes : Willermus de Aniuesio, Bonifacius de Castellione, Johannes de Vapellina, domicelli, Johannes de Anyso canonicus Montisjouis, Franciscus de Augusta morans Leuce et Johannodus de Auborenges clericus, qui, etc. Actum Seduni, in domo episcopali, kalendis maii, anno Dni M°CCC° sexto decimo, imperio vacante. Quam cartam et omnia predicta postmodum laudauit capitulum Sedun. in choro Valerie, testibus dno Johanne Muzzo presbitero, Jacobo marticulario Sedun., Nycola Varysyn marescallo, Syoneto Medici et leuatore predicto. Actum III nonas maii anno quo supra.

1391

Jean et Aymon de La Tour, seigneurs de Châtillon, doivent annuellement deux fichelins de froment au chapitre de Sion pour l'anniversaire de leurs ancêtres.

Sion, 1316, 5 juin.

Archives de Valère.

* Notum sit quod cum Johannes et Aymo de Turre fratres, dni de Castellione in Valesio, tenerentur capitulo Sedun. in duobus fischilinis frumenti annuatim persoluendis nomine elemosine pro anniuersario dnorum quondam Giroldi de Turre, Aymonis de Turre et Petri de Turre patris quondam ipsorum fratrum, ipsi ergo fratres addedauerunt et assignauerunt ipsi capitulo dictos duos fisch. recuperandos super illis quatuor

sol. Maur. seruicii quos debet dictis fratribus dnus Jacobus capellanus de Contegio super rebus quas tenet ab eisdem fratribus. Quod seruicium pro dictis duobus fisch. remisimus dicto capellano. Dictus autem capellanus assignauit dictum frumentum percipiendum super vinea sua sita supra villam Sancti Seuerini. Ad hoc fuerunt testes Petrus de Vespia canonicus Sedun., Anthonius de Grimisua, etc. Actum Seduni, nonas junii, anno Dni M°CCC°XVI°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1392

Sentence de la cour du vidomne de Massonger et appel de cette sentence à la cour de l'évêque de Sion.

Massonger, 1316, 24 juillet.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 628, ex arch. Agaunensi.

In nomine Dni, Amen. Anno ejusdem M°CCC°XVI°, inditione XIIII, die XIIII mensis julii, apud Massungiez, ante ecclesiam B. M. V., in presentia mei notarii et testium subscriptorum, propter hoc specialiter constitutis viro nobili Hugoneto filio Perroneti de Montez vicedni de Massungiez, ibidem jurisdictionem omnimodam exercente nomine dicti Perroneti patris sui, et Humberto de Columberio domicello, idem Hugonetus dictum Humbertum pro curia sua posuit, stabilivit et eidem vices suas commisit quoad cognitionem et decisionem causarum ibidem emergentium, et maxime inter Henricum Kally burgensem Sancti Mauricii Agaun., ex una parte, et Martinum Quoquet de Daviaz, procuratorem et procuratorio nomine Willermodi et Johannis filiorum Uldrici mistralis quondam de Massungiez et Willermete quondam (uxoris) sue, ex altera. Cum causa seu questio verteretur inter dictas partes in curia predicta coram nobili viro Hugoneto filio Perroneti de Montez,

vicedno de Massungiez, dicit et jure proponit dictus Henricus quod dictus Martinus Quoquet procurator et procuratorio nomine tenet et possidet minus juste res et possessiones infra scriptas, videlicet unum pratum dictum Arnaul, situm juxta terram Beatricis de Massungiez, ex una parte, et stratam publicam, ex altera, per quam itur en Davias, et a capite juxta pratum ecclesie de Massungies. Item sex falcatas prati siti juxta pratum Alaynes quondam, ex una parte, et pratum Petri Jollens, ex altera, et a parte Montheoli juxta pratum Petri de Illetis. Item vnam ochiam sitam apud Massungies, a parte Rhodani, juxta aquam que dicitur Alueny, ex una parte, et a parte de Chueys juxta stratam publicam de Massungies. Que res seu possessiones dictus actor dicebat et asserebat jure dominii vel quasi, ex emptione et pacto factis per dictum Henricum actorem a Johannerodo, Anthonia uxore sua et Willermeta matre dicte Anthonie, qui dicto Henrico vendiderunt sex cupas frumenti annui redditus et pro predictis sex cupis frumenti annui redditus annuatim persolvendis obligaverunt et hypothecaverunt eidem Henrico dictas res seu possessiones, prout in quadam littera sigillata sigillo curie illustris viri dni Amedei comitis Sabaudie plenius continetur. Quare dictus Henricus petebat dictum Martinum Quoquet procuratorem et procuratorio nomine compelli et condempnari ad restitutionem dictarum rerum seu possessionum cum fructibus inde perceptis, quos ponit et estimat LX sol. bon. Maur. Quare dictus Martinus Quoquet procurator et procuratorio nomine respondit et negavit narrata prout narrantur, dicens petita fieri non debere; proponens etiam ad sui defensionem quod dicte res seu possessiones erant et pertinent dictis Willermodo et Johanneto, videlicet duas partes ratione successionis patris eorum, a quo res seu possessiones proveniunt. Lite igitur super petitione premissa legitime contestata, juratum fuit de calumpnia hinc et inde, et post juramentum eadem fuerunt proposita et

responsa. Auditis igitur et intellectis quod dicte partes hinc et inde proponere voluerunt testimoniis, testibus receptis et publicatis hinc et inde, renuntiato et concluso in causa, die presenti assignato ipsis partibus ad diffiniendum, ipsis presentibus et sententiam ferri petentibus, attendentes ad sacras scripturas quas pre manibus habebamus, Deum etiam habentes pre oculis, non declinantes magis ad unam partem quam ad alteram, de consilio peritorum diffinitive pronuntiamus in his scriptis intentionem dicti actoris minus sufficienter esse probatam ac etiam fundatam, condempnantes dictum Martinum Quoquet procuratorem et procuratorio nomine ad restitutionem tertie partis dictarum rerum seu possessionum; quoad duas partes dictarum rerum seu possessionum per indivisim et pro indiviso dictum Martinum, nomine quo supra, absolvimus. A qua sententia dictus Henricus actor appellavit viva voce tanquam ab iniqua, in quantum contra se lata erat, ad curiam reverendi in Christo patris dni Aymonis Dei gratia episcopi Sedun., petiitque apostolos. Dicta autem curia dicte appellationi duxit deferendum in quantum justitia suadebit; remittentes eum ad illum judicem ad quem de jure vel de consuetudine fuerit appellandum. Ad hoc fuerunt testes vocati et rogati : Perrodus filius Humberti de Columberio domicelli, Perretus dictus Ruo de Montez, Walnerius de Davias et Perretus de Tuez de Davias et plures alii. Et ego Hugo Franqueti de Sancto Mauricio clericus, etc. Ad majorem autem roboris firmitatem omnium premissorum ego Perronetus de Montez vicednus de Massungie inveniens, super hoc premissa inquisitione diligenti, quod memorata sententia facta seu lata est de consilio peritorum, propter hoc omnia et singula suprascripta, pro me et quantum michi pertinet, laudo, ratifico et confirmo et hoc presens publicum instrumentum sigilli mei una cum signo predicti notarii duxi munimine roborandum.

Sceau pendant.

1393

Jaquemet d'Allinges, donzel, fait remise du droit de gîte aux hommes de la commune de Liddes pour la somme de 8 L.

Liddes, 1316, 8 septembre.

Archives de Liddes.

Ego Jaquemetus de Alingio domicellus, habens juridicionem temporalem apud Lydes, notum facio vniuersis presentem litteram inspecturis quod cum questio seu discordia verteretur seu verti sperarelur inter me, ex vna parte, et Vuillermetum de Ecclesia, Vuillermetum filium quondam Jacobi Alberti de Ecclesia, Brunetum Gonraudi et Vuillermetum Borgeis de Vescheri, omnes de Lydes, sindicos et procuratores hominum communitatis de Lydes, nomine dicte communitatis de Lydes, ex altera, super eo quod dicebam et asserebam ipsos homines communitatis michi teneri et successoribus seu heredibus meis ad vnum receptum cum quinque sociis et quinque equis singulis annis, prout continetur in quadam littera sigillo dni comitis Sabaudie sigillata, dictis vero procuratoribus, nomine quo supra, videlicet nomine dicte communitatis, dicentibus et asserentibus ad dictum receptum dictam communitatem non teneri, eo quod pax et concordia olim facta fuit super dicto recepto inter predecessores meos et homines dicte communitatis de Lydes, quod negabam; tandem post multas altercationes habitas inter me et dictos sindicos, nomine quo supra, dicta discordia soppita est in hunc modum, videlicet quod ego Jaquemetus predictos procuratores, nomine quo supra, presentes, stipulantes et recipientes, pro me et heredibus seu successoribus meis de dicto recepto soluo penitus atque quitto imperpetuum pro octo lb. Maur., a dictis procuratoribus, no-

mine quo supra, michi traditis et solutis in bona pecunia numerata et pro lo recepton percipiendo, prout percipere consueui usque nunc a certis personis singulis annis. Promittens ego prefatus Jaquemetus, etc. Ad hec fuerunt testes vocati et rogati : Laurencius de Lugrino, Girardus Baderii de Aquiano, clerici, dnus Laurencius de Lydes canonicus Montis Jouis, Johannodus filius quondam Johannis de Lydes et plures alii. In cuius rei testimonium sigillum meum duxi presentibus apponendum. Datum apud Lydes, ante domum Emerici de Orseriis, tercio die mensis septembris, anno Dni M°.CCC°. sexto decimo.

Et ego Martinus de Aquiano Geben. dyocesis clericus, etc.

Sceau pendant.

1394

Rolet de Mollens vend des terres à Nantelme d'Ayent, donzel.

Saint-Romain, 1316, 24 octobre.

Archives de la famille de Torrenté, copie du XVe s.

* Notum sit quod ego Roletus de Moloeyng, laudacione Vulliermete vxoris mee, vendidi et finaui perpetue pro viginti lb. Maur. Nantelmo de Ayent domicello sex fossoratas vinee sitas apud Mulignon, in loco ou Leyset; de qua vinea debentur Nycholao Belestarii le quartes de la malta et tres oboli seruicii cum placito ; item duo settoria prati et vnum juger terre apud Comoleyres, de quibus debentur Vldrico de Bliuignoch domicello octo den. seruicii cum placito, et tenentur in planum feudum ab eodem; item vnam settoratam prati sitam apud Rouueri. Testes : Vldricus de Bliuignoch predictus, Jacobus de Anisyo, domicelli, etc. Actum apud Sanctum Romanum,

nono kl. nouembris, anno Dni M°CCC°XVI°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1395

Réception de Pierre de Clermont comme chanoine de Sion.

Sion, 1316, 17 novembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 776, ex arch. Val.

In nomine Dni, Amen. Anno ejusdem M°.CCC°.XVI°, inditione I, XV kl. decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et dni nostri dni Johannis divina providentia pape XXII anno II, in presentia mei notarii et testium subscriptorum ac venerabilium dnorum Johannis decani Sedun., Johannis Boneti, Ebali Hubodi, Francisci de Herdes, Johannis de Romano monasterio, Guidonis de Montagnie, Jacobi de Augusta, Francisci Benedicti, canonicorum Sedun., in choro Valerie, convocatorum et congregatorum ad recipiendum virum discretum Petrum de Claromonte clericum in canonicum et in fratrem; prefati vero dni Johannes decanus Sedun, et alii canonici supradicti predictum Petrum de Claromonte, ex virtute litterarum supradicti sanctissimi in Christo patris dni Johannis pape XXII et processus dicti Petri, ipsum Petrum gratanter et jocose receperunt in canonicum et in fratrem, osculo pacis mediante, et in stallo suo canonicatus predicti personaliter imponendo. Ad quam receptionem predictam testes fuerunt vocati et rogati Mermetus dEspagnie canonicus Sedun., etc., et ego Johannes Montismeliani notarius, etc.

1396

Ordre du juge du Chablais au sujet des tailles imposées par les bourgeois de Saillon aux hommes de Leytron.

Saillon, 1316, 16 décembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 619, ex arch. Leytron.

Berlio de la Mar, judex in Chablasio et Vallesio pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, dilecto nostro castellano Contegii et Sallionis, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, salutem et dilectionem sinceram. Querelam procuratorum communitatis de Leytron recepimus continentem quod burgenses Sallionis homines dicte communitatis de Leytron talliant et ad contributionem talliarum et exeniarum suarum de Sallione compellunt, tam ratione rerum existentium in territorio et parrochia de Sayllon, quam ratione rerum alibi existentium, emptarum a burgensibus predicti loci de Sallione, et ad contributionem talliarum et exeniarum factarum per dictam communitatem de Leytron eisdem burgensibus de Sallione, tam ratione rerum in territorio et parrochia de Leytron, quam ratione rerum alibi existentium emptarum ab hominibus dicte communitatis de Leytron, in quibus talliam imponere consueverunt, inequaliter solvere recusant. (Supplicaverunt) dicti procuratores de Leytron, nomine dicte communitatis sue, ut nos in predictis equalitatem per partes predictas servari faceremus. Nos vero eorum juste supplicationi annuentes tibi precipiendo mandamus quatenus, si repereris quod predicti burgenses de Sallione predictos homines de Leytron ad contributiones predictas compellunt, eodem modo dictos burgenses de Sallione res predictas possidentes in parrochia de

Leytron vel emptas ab hominibus dicti loci compellas ad contributionem et solutionem talliarum et exenarum eisdem impositarum vel imponendarum per dictam communitatem de Leytron ratione rerum predictarum, maxime in talliis dni nostri comitis predicti. Et hoc facias taliter ut hinc inde inter partes predictas equalitas observetur. Datum in assisiis de Sallione, die jovis ante festum B. Thome apostoli, anno Dni M.CCC.XVI.

Redd. litt. portitori.

1397

Hommage prêté par Jean de Palud au prieur de Saint-Pierre de Clages.

Clages, 1317, 18 janvier.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Johannes de Palude de Chamoson confessus fuit se tenere a fratre Hugone priore de Clages in feodum planum duo molendina sita in cursu aque de Chamoson, subtus Cristam; quorum vnus vocatur molendinum quondam Ro. de Mar. De quibus debet VII fichilinos siliginis et II lb. piperis ad paruum pondus et I gallinam per annum et IIII den. placiti in morte dni et tenentis. Actum fuit quod dictus prior debet molere bladum suum in molendinis dicti Jo., et dictus Jo. debet ire quesitum bladum apud Clages et molere bene et reportare apud Clages. Datum apud Clages, XV kl. februarii, anno Dni M.CCC.XVII.

1398

Accord entre Guillaume de Morestel, donzel, et Arnald Mestral.

Sion, 1317, 9 juin.

Archives de Valère.

* Cum discordia verteretur inter Willermum de Morestello domicellum, ex vna parte, et Arnaldum filium quondam Jacobi Mistralis, ex altera, super hoc quod dictus Willermus petebat a dicto Arnaldo vnum pratum quatuor sectorum situm eis Plasses et vnam insulam in pede dicti prati, que tendit vsque ad Rodanum, item vnum viridarium situm apud Sanctum Leonardum; que omnia dictus Willermus asserebat sibi esse escheyta, quia vendita fuerant sine sua voluntate per liberos quondam Anthonii de Portis, aut per ipsum Anthonium, siue per predecessores eiusdem, cum ipsa essent de suo feudo homagii ligii et talliabilis. Tandem dicta discordia consilio proborum virorum sedata est in hunc modum, videlicet quod predictus Willermus, laudatione dne Jacobe uxoris sue, Petri et Johannis filiorum suorum, concessit in planum feudum dicto Arnaldo et suis heredibus possessiones superius confinatas, pro quatuor sol. et sex den. Maur. seruicii annuatim et pro sex sol. placiti. Mauricuis curatus de Grimisua cartam leuauit. Actum apud Sedunum, V° idus junii, anno Dni M°CCC°XVII°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1399

Donation de Jean Rodier, donzel, en faveur des frères mineurs de Domo-d'Ossola.

Naters, 1317, 17 juin.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 681, ex arch. Valeriano.

* Notum sit quod ego Johannes Rodier de Narres domicellus, filius quondam dni Petri Rodier de Narres militis, novissima ac mea delicta ingemiscens, corpore debilis, dedi et legavi donatione inter vivos ac nomine testamenti dno Michaeli dicto Zuskelto presbytero tres lb. et tres sol. bon. Maur. redditus post meum decessum, pro tempore vite sue percipiendas. Item dedi predicto dno Michaeli domum meam cum ejus casali, sitam sub ecclesia Sancti Mauritii de Narres, et in ipsa domo debet prestare locum quietum duobus fratribus Minoribus de conventu Domus Oxule, terminariis hujus terre, quando ad predicandum et petendum elemosinam apud Narres venerint bis in anno. Item in hac donatione que prescripta est ordino et statuo quod post decessum predicti dni Michaelis alteri presbytero et devoto sacerdoti dicta servitia concedantur, nomine quo supra, etiam ad vitam suam et sic perpetuis temporibus dicta servitia debent transigi de uno ad alterum. Et ad hoc procurandum eligo, quasi hujus negotii verum heredem, Jocelinum de Urnavas filium Wydonis de Urnavas ex Matelda filia mea et ejus heredes. Actum apud Narres, in stupha domus mee, XV kl. julii, anno Dni M.CCC. septimo decimo, imperio vacante, Aymone episcopante.



1400

Réversale de l'évêque de Sion au sujet du droit de juridiction de Cécile, veuve de Rodolphe de La Tour, dans le territoire des Agettes.

Sion, 1317, 8 juillet.

Arch. cant. du Vallais, Liber deseni de Seduno, f. 230.

Nos Aymo Dei gratia Sedun. episcopus notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod cum Jaquemodus de Grissins, gerens vices Joannis de Turre balliui nostri, nuper ceperit in territorio et jurisdictione deys Agiettes Auetam de la Verna, vxorem Joannis filii Joannis de la Verna, occasione et ex causa sortilegiorum seu de charaez de quibus fuerat infamata, prout nobis a pluribus fuerat denuntiatum, nos nolumus quod captio dicte mulieris preiudicet aliqualiter in futurum Cecilie relicte Rodulphi de Turre domicelli et Joanni filio suo et dicti Rodulphi, aut juri eorum deroget vllo modo, sed volumus jus et possessionem filii et heredis dicti Rodulphi de cetero, non obstante captione dicte mulieris, in dicto territorio deys Agiettes totaliter obseruari, nam dictus Jaquemodus a nobis ad hoc missus de mandato et jussu nostro cepit mulierem predictam et ad nos in ciuitatem Sedun. eam adduxit captam ex causa predicta. Datum Seduni, cum appensione sigilli nostri, VIII idus julii, anno Dni M°CCC° decimo septimo. Nos nolumus etiam quod captio dicte mulieris dicto Jaquemodo preiudicet in futurum. Datum vt supra.

1401

Libertés et franchises de la ville de Saint-Maurice.

Tour-de-Peilz, 1317, 5 août.

Archives de la ville de Saint-Maurice, original et copie vidimée par Jean Anglici, juge en Chablais et en Genevois, le 9 décembre 1398.

Nos Amedeus comes Sabaudie et in Ythalia marchio notum facimus vniuersis presentibus et futuris quod nos, dilectorum et fidelium burgensium nostrorum Sancti Mauricii Aganen. precibus inclinati, qui dicunt libertates ipsis seu ipsorum predecessoribus per predecessores nostros concessas partim exustas per incendium ville Sancti Mauricii quod ibi fuit olim, volentesque burgenses nostros predictos libertatibus non carrere et ea que ad perpetuitatem conceduntur, propter obliuionis dispendium in scripturam redigi prudencium consilio est inuentum, prefatis burgensibus nostris et eorum successoribus in perpetuum pro nobis ac successoribus nostris tenore presencium libertates et franchisias, prout infra sequitur, renouamus, concedimus et donamus[1].

1. Imprimis quidem volumus et concedimus quod nullus capi debeat nec etiam detineri per personam in villa Sancti Mauricii, nec infra ipsius ville franchisie terminos infrascriptos, quandiu paratus erit cum effectu cauere ydonee de stando juri in curia nostra, nisi sit latro, homicida, uel proditor manifestus, vel aliud enorme delictum perpetrauerit, pro quo meruerit sentenciam capitalem.

2. Item quod nullus capiatur per personam nec detineatur, nisi pro maleficio, et tunc si paratus est dare fideiussorem de

[1] Pour faciliter les citations et les comparaisons, nous avons cru utile de numéroter les divers articles.



parendo juri, non capiatur nec detineatur, nisi pro enormibus delictis et manifestis, ut superius est jam dictum.

3. Item si quis percusserit de pugno sine sanguine, debeat tres sol. tantum pro banno et emendam iniuriam passo. Si vero fecerit sanguinem, debeat dno sexaginta sol. ad misericordiam.

4. Item qui percusserit de palma, debeat quinque sol. tantum pro banno, si sine sanguine. Si sanguinem fecerit debeat sexaginta sol. dno ad misericordiam.

5. Item qui percusserit de pede, debeat decem sol. tantum pro banno.

6. Item qui percusserit de gladio, ligno uel lapide et, fecerit sanguinem, debeat dno sexaginta sol. ad misericordiam. Si uero non fecerit sanguinem debeat decem sol. tantum ad misericordiam. Si percussus occisus fuerit, occisor et bona sua sunt in misericordia dni et occisor etiam secundum jura puniatur.

7. Item si aliquis vilis persona dixerit verba contumeliosa burgensi et burgensis eum de pugno uel de palma percusserit, sine tamen effusione sanguinis, nisi leuiter per nares uel per os, ad bannum minime teneatur. Et in omnibus in quibus infertur iniuria, debet emenda fieri passo iniuriam, considerata qualitate iniurie et conditione personarum, ad arbitrium judicantis. De verbis iniuriosis dictis non in presencia judicum uel officialium nostrorum, si iniuriatus sibi petit emendam adiudicari, nullum bannum debetur dno, nisi sint talia verba pro quibus possit indici duellum.

8. Item quicunque burgensis dicte ville decesserit sine testamento uel alia ordinatione, bona ipsius decedentis mobilia et immobilia perueniant primo ad liberos suos, si quos habet, alioquin ad proximiores usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiue, gradibus computatis secundum canonicam equitatem, etiam si decedens bastardus fuerit uel vsurarius manifestus. Et si decedens de bonis suis ordinauerit inter vi-

uos per donationes uel alio modo aut in vltima voluntate testando, codicillando, legando, donando causa mortis, ordinatio eius valeat et inconcussa teneatur, cuiuscunque conditionis existat, siue sit legitimus, siue bastardus, siue etiam vsurarius manifestus.

9. Item quicunque moratus fuerit per annum et diem in dicta villa uel infra confines franchisie dicte ville, et ipse ponat et contribuat sicut alii burgenses in expensis communibus et missionibus dicte ville, verus burgensis postea censeatur.

10. Item nullus possit vendere vinum ad tabernam in dicta villa nec infra confines dicte ville nisi sit burgensis, saluo tamen jure et honore ecclesie Sancti Mauricii Aganen. tam in capite quam in membris.

11. Item quicunque acquisierit de bonis et rebus burgensium, teneatur contribuere et ponere in missionibus et expensis dicte ville secundum modum et quantitatem rerum acquisitarum.

12. Forum debet esse in villa sicut consueuit qualibet septimana die jouis. Nundine sicut consueuerunt anno quolibet in festo beati Vincencii per vnum diem, in festo Ascensionis Dni per duos dies, in festo dedicationis ecclesie per vnum diem, in festo beati Mauricii per duos dies, in festo Omnium Sanctorum per duos dies, scilicet tercia et quarta die, in festo beati Martini yemalis per vnum diem et in festo beati Clementis per vnum diem.

13. Item jura nostra in dicta villa sunt hec : primo dicta villa debet nobis caualcatam in anno per vnum mensem ad expensas ipsius ville circa lacum, ita quod possint redire in sero ad naues suas ; et si necesse fuerit quod clientes dicte ville morentur vltra mensem in caualcata nostra, nos debemus eisdem post dictum mensem expensas ministrare.

14. Item cum caualcata generalis indicitur ita quod clientes



de vltra villam Sancti Mauricii venire debent, clientes de dicta villa non compellantur venire donec superiores transierint, propter periculum incendiorum et tumultuum insurgencium quandoque villa vacua remanente.

15. Prohibemus autem quod nullum genus armorum dictorum burgensium nostrorum possit pignori obligari uel vendi, nisi de burgense ad burgensem. Et si aliquis coarsinus uel Judeus pignori acceperit uel emerit aliquod genus armorum burgensium predictorum, cadat a debito et libere restituere teneatur et etiam subjaceat banno sexaginta sol.

16. Item habemus in dicta villa teisas domorum, scilicet pro qualibet teisa in recto vico duodecim denarios et in aliis vicis sex den., exceptis domibus de quibus dicti burgenses reperientur immunes uel per extentas nostras uel litteras nostras aut predecessorum nostrorum.

17. Item percipere debemus trezenum de precio domorum que venduntur in villa, pro quibus domibus teise debentur.

18. Item percipimus in dicta villa leidas de rebus que venduntur in foro uel extra forum ab illis tantum qui non sunt burgenses.

19. Item habemus in dicta villa furnos, et nullus ibidem furnos habere debet nisi nos.

20. Item habemus in dicta villa bannum vini per quindecim dies continuos, anno quolibet, in mense maii. Et quicumque vendiderit interim vinum ad tabernam seu ad minutam mensuram sine permissu nostro uel castellani nostri, debet pro banno sexaginta sol. ad misericordiam.

21. Item qui sasinam nostram uel castellani nostri fregerit, debet pro banno sexaginta sol. et sasina facta tolli debet, si ille contra quem facta est, paratus est cauere ydonee usque ad valorem rei petite uel sasite.

22. Item qui alium de possessione eiecerit sine jussu nostro uel judicum aut castellanorum nostrorum, et de ipso queri-

monia deponatur, debet sexaginta sol. de banno ad misericordiam.

23. Bona decedentium in dicta villa sine liberis uel parentibus aut agnatis uel cognatis usque ad quartum gradum, ut supra, si intestati decesserint uel sine aliqua ordinatione facta inter viuos uel in vltima voluntate, debent ad nos pertinere, excepto vsufructu, si decedens vxorem uel vxor virum habuerit, ad superstitem coniugem ex antiqua consuetudine pertinente.

24. Item habemus clamam trium sol. ad misericordiam a reo tantum de quo fit clama, si culpabilis reperitur.

25. Item habemus in macello linguas boum et vacarum et lombos porcorum occisorum qui venales exponuntur in dicto macello.

26. De maleficiis vero et iniuriis de quibus mentio non fit supra, delinquentes puniantur secundum statuta nostra et jura scripta, prout discretioni judicantis videbitur faciendum.

27. Limitationes et confines dicte franchisie sunt hii, videlicet a parte superiori vsque ad torrentem veterem de Viroleto, prout fluit usque ad Rodanum, a parte Montheoli usque ad pedem des Leiz, a parte Bacii usque ad proximum fontem vltra maladeriam iuxta stratam publicam, a parte de Laueto usque ad lapidem qui dicitur Leseta prope torcular album.

Vniuersa autem et singula capitula dictarum libertatum et franchesiarum volumus et precipimus pro nobis et successoribus nostris dictis nostris burgensibus et eorum successoribus per balliuos, judices, castellanos et alios officiales nostros, qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint in futurum, perpetuo, firmiter et inuiolabiliter obseruari, nullumque burgensem aliqua occasione uel colore exquisito contra dictas libertates et franchisias in posterum molestari. Mutuatores autem tenentes casanam mutui in dicta villa gaudere nolumus libertatibus antedictis. Et pro predictis confitemur nos habuisse a dictis

burgensibus quinquaginta sol. grossorum Turon. in bona pecunia numerata. In quorum omnium robur et testimonium dictis burgensibus nostris presentes litteras tradidimus nostri maioris sigilli munimine roboratas. Datum apud Turrim nostram prope Viuiacum, die quinta mensis augusti, anno Dni M°CCC° decimo septimo.

Grand sceau équestre, endommagé, avec contre-scel au revers, semblables aux sceaux N^{ros} 44 et 45 des *Sigilli de' principi di Savoia raccolti dal caval. L. Cibrario e da D.-C. Promis.*

1402

Antoine, comte de Blandrate et vidomne de Conches, reconnaît devoir la somme de 142 L. à son oncle Thomas, chantre de l'église de Sion.

Viège, 1317, 26 août.

Archives de Valère. — De Gingins, *Documents pour servir à l'histoire des comtes de Blandrate*, pag. 51.

In nomine Dni, Amen. Anno incarnacionis eiusdem M°CCC°XVII°, indicione XV^a, VII° kl. septembris, in villa de Vespia dyocesis Sedun., in curia Johannis de Subtus domicelli, in presencia mei notarii et testium subscriptorum, propter hoc constitutus nobilis vir Anthonius comes de Blandratho et vicednus de Monte Dei superius, idem Anthonius confessus fuit et recognouit ex certa sciencia se debere venerabili viro dno Thome cantori ecclesie Sedun., patruo suo, ibidem presenti et stipulanti, centum lb. et LX^a lb. bonor. Maur. nomine iusti debiti et legalis pro domibus, casalibus, terris, vineis, seruiciis et aliis rebus et bonis habitis ab eodem dno, ut confessus est. Ad solucionem igitur harum centum et LX lb. Maur. idem Anthonius obligauit se et sua et soluere promisit integre, bona fide loco juramenti corporaliter prestita, predicto dno Thome

uel eius mandato ad terminos infrascriptos, videlicet centum lb. Maur. in festo beati Martini yemalis proximo venturo, ac deinde per annum in eodem festo beati Martini proximo subsequenti LX lb. Maur., omni exceptione et dolo et libelli oblacione cessantibus penitus et remotis. Ad quod attendendum firmius et complendum, ad preces et requisicionem dicti Anthonii, constituerunt se fideiussores et obsides in manu dicti dni Thome cantoris nobilis vir Johannes de Turre dnus Castellionis in Vallesio, Nanthelmus de Ayent, Marketus de Vespia, domicelli, Nicolaus salterus de Vespia et Willelmus de Platea de Vespia, quilibet eorum in solidum, sponte se obligantes et promittentes bona fide corporaliter prestita quilibet in solidum quod si solucio terminis predictis uel aliquo ipsorum terminorum deficeret, quod absit, ipsi fideiussores moniti fuerint communiter uel diuisim a dicto dno cantore uel eius certo nuncio, statim in obstagium se recipiant in villa de Vespia, in persona propria uel substituta et ydonea, apud certum et ydoneum hospitem, sine dolo uel fraude in eo, secundum jvs et conswetudinem terre Vallensis, fideliter permansuri, ac deinde vadia seu bona pignora pacis ductibilia uel portabilia assignent et deliberent, per que foro rerum venalium exposita idem dnus cantor uel eius certus nuncius pecuniam suam supradictam cum dampnis et expensis, si quas ex dilatione solutionis aut recuperationis subierit, habere valeat et invenire possit plenius cum effectu. Promisit etiam, etc. Renunciantes, etc. Ad hoc fuerunt testes vocati et rogati dnus Nicolaus dictus Bifa presbiter, dnus Nicolaus de Schovson rector altaris Sancti Jacobi, dnus Bertholdus de Raronia capellanus ecclesie de Vespia, Petrus Esperlinus maior de Raronia, Johannes Tutere et plures alii fidedigni. Et ego Rodolphus Ernst de Wile auctoritate imperiali publicus notarius hiis omnibus interfui, presens instrumentum scripsi, signoque meo signaui rogatus in testimonium premissorum.

1403

Quittance d'Amphélise, veuve de Nantelme d'Ayent, au sujet du pont de Riddes.

Ayent, 1317, 18 novembre.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Amphelisia relicta Nantermi de Ayent soluit et quittauit Perrodum de Ponte de Rida ab omnibus rebus quas posset petere dicto P. ratione rerum pontis de Rida, vsque ad confectionem presentis carte. Datum in castro de Ayent, XIV kl. decembris, anno Dni M.CCC.XVII.

1404

Pierre, curé d'Ayent, est nommé recteur de la chapelle du château de ce lieu.

Naters, 1317, 22 novembre.

Copia litterarum de Ayent, f. xxxix verso.

Anno M°CCC°XVII°, inditione prima, X kl. decembris, apud Narres, ante domum dni episcopi que fuit Jacobi Pol, in presentia Amedey de Reyna notarii, reuer. in Christo pater dnus Aymo Dei gratia Sedun. episcopus ibi presens, ad presentationem Anfelise relicte Nantelmi de Ayent domicelli et Amedei fratris quondam dicti Nantelmi, contulit capellam et regimen capelle castri de Ayent dno Petro curato de Ayent, cum dispensatione tamen, cum omnibus iuribus, assignationibus et pertinentiis capelle predicte. Qui curatus promisit per juramentum suum in manu dicti dni episcopi dictam capellam

bene et decenter officiare per se uel per alium et in ipsa tres missas tribus diebus in qualibet ebdomada celebrare uel facere celebrari, etc. Testes : dnus Ebalus sacrista ecclesie Sedun., dnus Vuillencus de Ayent canonicus Montisiouis, dnus Ansermus curatus de Letron, dnus Aymo de Tarenthasia capellanus dicti dni episcopi et dictus notarius, etc.

1405

L'évêque de Sion donne en plain fief à Guillaume d'Anniviers la maison de la salterie, à Sion, avec d'autres possessions de cet office.

Valère, 1318, 10 février.

Liber instrumentorum de Seduno, f. 51.

* Notum sit quod nos Aymo Dei gratia Sedun. episcopus, consideratis gratis seruitiis et immensis laboribus quos sustinuit dilectus noster Willermus de Aniuisio domicellus pro nobis et ecclesia Sedun., eidem dedimus et eius heredibus per rectam lineam in feudum planum domum que dicitur salterie Sedun. et grangiam cum orto contiguam ipsi domui, in uico deis Fauerges tendente uersus pontem Rodani, juxta bastimentum ciuitatis. Item vineam que dicitur uinea salterie in territorio Sedun., juxta uineam Francisci maioris Sedun. et juxta semitam que uocatur uicus de la Souteri, per quam decurrit aqua ad rigandum prata deys Plantayes (inter Sedunam et carreriam tendentem en Sauiesi), item insulam que dicitur insula salterie in loco dicto Ylla rionda, et hoc pro quindecim sol. Maur. annualis seruicii et pro triginta sol. placiti in mutatione dni et tenentis et saluo placito salterie. Acto quod dictus Willermus non possit alienare dictas possessiones sine laude dicti dni episcopi et capituli Sedun. Adiecto etiam quod si contingeret dictum Willermum aut eius heredes decedere sine

herede in linea recta, predicte possessiones ad mensam episcopalem reuertantur, saluo usufructu uxoris dicti Willermi; concesso quod in eo casu idem Willermus aut aliquis eius heredum possit legare super dictis possessionibus dno episcopo aut ecclesie Sedun. aut aliis ecclesiis infra ambitum murorum ciuitatis usque ad quadraginta sol. Maur. annuales. Et quia dictus Willermus nobis persoluit sexaginta lb. Maur., quas in exonerationem debitorum ecclesie nostre persoluimus, nos dictas possessiones a subiectione et natura feudi salterie, pro qua salteria nobis debetur homagium ligium, exemimus et affranchiamus ac in conditionem plani feudi reducimus, retento quod dictus Willermus aut illi qui dictam salteriam cum eius appenditiis, exceptis dictis possessionibus, in posterum tenebunt nobis et mense episcopali Sedun. fidelitatem ligiam facere teneatur, cum placito quod inde debetur. Nos autem capitulum Sedun. omnia super scripta laudamus. Testes: dnus Willermus curatus de Aniuisio, dnus Walterus de Lauota de Vespia curatus de Pra borno, dnus Johannes Richos rector altaris beati Nicholay in ecclesia Sedun., Jacobus mistralis nostri capituli, Johannes Anthonii de Vespia domicellus, etc., et Johannodus de Auborenges clericus, qui hanc cartam leuauit in choro ecclesie Vallerie, IIII° idus februarii, anno Dni M°CCC° octavo decimo.

1406

Quittance générale de l'évêque de Sion en faveur des héritiers de Nantelme d'Ayent.

Sion, 1318, 2 mars.

Copia litterarum de Ayent, f. xxxix.

Nos Aymo Dei gratia Sedun. episcopus notum facimus vni-

uersis presentes litteras inspecturis quod nos habuimus et accepimus a relicta et heredibus quondam Nantermi de Ayent domicelli plenam et integram solutionem et satisfactionem de omnibus et singulis talliis nostris, redditibus, censibus, seruiciis, placitis, bannis, fraueriis, obuentionibus et vsagiis nostris que et quas dictus Nantermus de Ayent tempore quo fuit castellanus de Ayent et usque ad presentem diem in parrochia et castellania nostris de Ayent et de Heroens nomine nostro et ex parte nostra recepit, etc. Datum Seduni, VI nonas marcii, anno Dni M°CCC°XVIII°.

1407

L'évêque de Sion confirme une vente.

1318, 8 août.

Archives de la ville de Sion, copie abrégée.

Eymo Sedun. episcopus laudauit et ratificauit Francisco Albi de Granges et Aymoni de Morestello eiusdem loci domicellis venditionem ipsi Francisco per eumdem Aymonem factam de certis redditibus, homagiis et aliis vsagiis que debentur dicto Aymoni in parrochia de Lens, saluo jure suo et usagiis suis. 8 augusti 1318.

1408

Accord entre Thomas, métral de Louèche, et Pierre Ecco au sujet de leurs possessions sur la Gemmi.

Louèche, 1318, 13 août.

Archives de la ville de Sion, Copia litter. de Lens, etc., f. lxxiii verso.

* Ego Johannes de Turre dnus Castellionis in Valesio notum

facio quod cum discordia verteretur inter Thomam mistralem de Leucha et Petrum Ecco de parrochia de Frudenges, videlicet quod Thomas predictus asserebat se habere plura jura in monte de Curmyz, in parte tendente versus Frudenges, que pars est ipsius Petri, et Petrus predictus dicebat similiter se habere jura plurima in parte dicti montis tendente versus Vallesium, scilicet in hospitali et circa hospitale, que pars est ipsius Thome, volens ego Johannes de Turre pacem inter ipsos Thomam et Petrum homines meos adiungere, litem sedaui de consensu vtriusque partis in hunc modum, videlicet quod Petrus predictus quittat quicquid juris habere potest Thome mistrali predicto in hospitali predicto de Curmyz et in eodem confinio a terminis positis per me et per dictas partes in parte versus Vallesium protendente. Viceuersa Thomas predictus quittat Petro predicto quicquid juris habere potest in toto confinio quod est vltra terminos supradictos tendente uersus vallem de Frudenges, exceptis viis, stratis, nemoribus, quibus ipse partes, prout consuetum est, communiter perfruantur. Ego Johannes sigillum meum apposui. Actum apud Leucam, idus augusti, anno Dni M°CCC°XVIII°.

1409

Reconnaissance de fief de Jean de Mar, donzel, en faveur de Jean de Monthey.

Saillon, 1319, 22 janvier.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Anno Dni M.CCC.XVIIII, XI kl. februarii, apud Sallion, confessus fuit Jo. de Mar domicellus se tenere in feodum a Jo. de Monthez vineam sitam in territorio de Leytron, en Arches,

pro qua debet VI den. servicii et II sol. placiti. Testis Girodus de Columberio domicellus.

1410

Concession de fief par la veuve de Nantelme d'Ayent à Perrod d'Etiez.

Ayent, 1819, 17 février.

Arch. de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Amfelisia relicta Nantermi de Ayent, tutrix et tutorio nomine Francisci et Margarete liberorum dicti N., inuestiuit et in feudum dedit Perrodum filium naturalem P. de Octyz de hereditate que quondam fuit Jaquemeti Lorget dou Leuron de la Placy in territorio de Vilogio et de Bagnes. Qui Perrodus fecit homagium ligium et inde debet XII den. seruicii et II sol. placiti. Datum in castro de Ayent, XIII kl. marcii, anno Dni M.CCC.XIX.

1411

Aymon, évêque de Sion, donne en fief à François de la vallée d'Aoste une maison située à Louèche.

Sion, 1819, 17 mars.

Archives de Valère.

Nos Aymo Dei gratia Sedun. episcopus notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod cum nos nunciari fecerimus publice in ecclesia de Leuca, presente ibi populo, per tres dies dominicos et festiuos, quod omnes illi qui jus et rationem aliquam haberent uel habere crederent in domo que quondam fuit Johannis Bestondier et Johannis Complor, par-

tem cuius Johannis Complor tenebat Vldricus de Larbarey, que domus sita est Leuce supra domum quondam Johannis Marchix et subtus domum quondam Willermi de Lagiety, comparerent coram nobis die martis post octabas Purificationis beate Marie Virginis nuper preterite, ostensuri nobis jus et rationem quod et quam haberent uel habere crederent in domo predicta. Quod nisi facerent ex tunc in antea de dicta domo, cum sit de feodo nostro homagii ligii, ordinaremus, ut jus et ratio postularent. Dictaque die martis nullus coram nobis comparuerit dicens se habentem uel habere credentem jus aliquod uel rationem aliquam in domo predicta. Idcirco de ipsa domo nostram potentes facere uoluntatem ob defectum vsagiatoris dicte domus et vsagiorum nostrorum de ipsa nobis non solutorum, ipsam domum cum eius pertinenciis et appendiciis omnibus ante et retro et in omni latere existentibus damus et concedimus per presentes dilecto et fideli nostro Francisco de Valle Augustensi clerico, nunc mistrali nostro apud Leucham, et eius heredibus a suo corpore legitime descendentibus, tam pro gratis seruiciis nobis et predecessoribus nostris et mense episcopali Sedun. impensis hactenus ab eodem, quam in augmentum alterius feodi nostri homagii quod a nobis tenet idem Franciscus, et ipsum a quondam Willermo Pluvisin de Ayert (sic), et pro duabus lb. piperis ad paruum pondus seruicii soluendis nobis et mense episcopali Sedun. ab eodem Francisco et ab eius heredibus in festo beati Nycolai annuatim, per sexdecim annos tantum ex nunc continue secuturos, et pro IIII[or] lb. piperis ad idem pondus placiti. Quibus sexdecim annis preteritis et elapsis, ad requisitionem nostram vel successoris nostri catholici, dictus Franciscus uel heredes sui predicti debent nobis uel successori nostro reddere hominem ligium de dicta domo vnum de liberis ipsius Francisci, et tunc, antequam dicta fidelitas dicti homagii fiat, nos aut successor noster tenemur dare dicto Francisco

uel eius filio aut filie volenti facere dictam fidelitatem homagii predicti viginti sol. Maur. redditus annui uel decem lb. Maur. semel pro dictis XX sol. redditus emendis, qui viginti solidi sint et esse debeant vna cum dicta domo de feodo nostro homagii supradicti. Qua fidelitate dicti homagii nobis uel successori nostro facta pro dicta domo et dictis viginti sol. redditus, ex tunc in antea dictus Franciscus uel eius filius et heres homo noster et mense episcopalis soluat tantum vnam lb. piperis seruicii ad paruum pondus nobis et mense episcopali Sedun. in dicto festo beati Nycholai annuatim et duas lb. piperis placiti ratione domus predicte, vna cum homagio supradicto, quia ante concessionem dicti feodi de dicta domo, vnica lb. piperis seruicii et due lb. piperis placiti debebantur. Hec autem predicta concessimus, ut supra, dicto Francisco et eius heredibus, salua tamen alterius ratione. Datum et actum Seduni, cum appositione sigilli nostri, XVI kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XIX°.

1412

Affranchissement de taillables par Thomas du Châtelard, seigneur d'Iserable.

Riddes, 1319, 2 juillet.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Anno Dni M.CCC.XIX, VI nonas julii, apud pontem de Rida, Thomas de Chastellar, vallis Auguste, dnus de Aserablo in Valesio, affranchiauit Jo. dictum de Chamoson dAserablo hominem suum ligium et talliabilem ad misericordiam et heredes suos de dicta tallia et remisit ad tres (sol.) Maur. redditus per annum, retinens in predictum Jo. totum dominium et alia vsagia que sibi actenus debebat, specialiter auxilium et talliam ad misericordiam secundum facultates dicti Jo. in quatuor casibus, videlicet si dictus Th. uel heredes eius veniret ad mi-

liciam, uel ad sororem aut filiam maritandam, in viagio Terre Sancte, in propria guerra.

Item affranchiauit Nicholam relictam Perrodi de Fey dAserablo pro III sol. redditus et IIII lb. semel.

Item Martinum Wullenci dAserablo pro IIII sol. redditus et IIII lb.

Item Charle de Furno dAserablo pro III sol. redditus et LXII sol.

1413

Isabelle de la Bâtia de Granges et Richard de Villeta, son époux, donnent un fief à Willermod de la Bâtia.

Granges, 1319, 1 octobre.

Archives de Valère, Registrum Jo. de Auboreynges.

* Anno Dni M°CCC decimo nono, kl. octobris, apud Granges, Ysabella dna de la Bastia de Grange et Richardus de Villeta maritus eius dimiserunt Willermodo de la Bastia de Granges, sub illo feudo homagii de quo est homo, feudum quondam Perrodi Quarteir de Granges clerici, quod fuit olim ou Bosclex, pro V sol. seruicii et X sol. placiti. Quod feudum dederunt in compunctionem et recompensacionem illius legati quod olim sibi Willermodo fecit dnus Henricus Albi miles, quondam auus dicte Ysabelle.

1414

Aymon, évêque de Sion, fait intimer aux notaires l'ordre d'enregistrer à la chancellerie de Sion tous les actes qu'ils stipulent.

Naters, 1319, 24 novembre.

Archives de Valère, D, 27.

Aymo permissione diuina episcopus Sedun. curatis siue vi-

cariis de Martignyaco, de Chamoson, de Vertro, de Conteiz, de Nenda, de Seduno, de Sancto Germano, de Grimisua, de Vex, de Heremencia, de Heroens, de Magi, de Nas, de Bramosio, de Lenz, de Granges, de Lacques, de Gironda, de Vercorens, de Aniuesio, de Leuca, de Rarognya, de Vespia, de Narres, de Morgia, de Aragnon et de Conches salutem in Dno. Querimoniam tocius capituli Sedun. recepimus et specialiter Nicholai de Aragnon cancellarii Sedun., quod quidam leuatores cartarum cancellarie Sedun. cartas quas leuant non registrant nec apportant apud Sedunum vel penes cancellariam registrandas suo loco et tempore competenti, sed eas penes se detinent vel in publicum instrumentum redigunt et timore Dei postposito precium earum cartarum recuperant, sibi totaliter retinendo in suarum dampnacionem animarum et in preiudicium non modicum dicti capituli et jacturam, et cum jus illorum ad quorum instanciam dicte carte leuantur, contingat quam frequenter totaliter deperiri, cum eas credant penes cancellariam invenire, cum suas proprias amiserint, nec in cancellaria reperiri possint, cum minime fuerint registrate, et per hoc jus eorum totaliter amitatur, vobis idcirco mandamus quod predictos leuatores et notarios ipsas cartas in formam publici instrumenti redigentes que ad cancellariam Sedun. pertinent, seu retroactis temporibus pertinere consueuerunt, vt de cetero talia non attemptent et postquam cartas super aliquibus contractibus realibus siue personalibus leuauerint, eas, scilicet vos a Seduno inferius infra tres menses, et vos de Seduno infra duos menses, et vos a Seduno superius infra tres menses, et vos de Leuca infra tres menses et a Leuca superius infra quatuor menses proximos post receptionem earumdem a tempore leuationis ipsarum cartarum numerandos, que perfecte fuerint leuate, vt possint penes cancellariam registrari et ibidem, cum necesse fuerit, reperiri. Item moneatis quilibet vestrum omnes leuatores cartarum predictarum sibi subditos

vel propinquos vt in futurum non registrent aliquas cartas nisi in ciuitate Sedun., et quod nullus dictorum leuatorum seruet uel teneat extra Valeriam uel extra cancellariam ciuitatis Sedun. aliqua registra dictarum cartarum, vt ibidem possint, cum necesse fuerit, reperiri. Item moneatis omnes illos qui hactenus tales cartas leuauerunt, vt eas similiter infra mensem apportent penes cancellariam Sedun., vt similiter ibidem possint registrari et per hoc possit jus cuilibet conseruari, alioquin ipsos leuatores scientes, detinentes, consencientes et auctoritatem presentantes, necnon omnes contra predicta vel aliquid predictorum facientes vel venientes, quos ex tunc in antea ob eorum inobedienciam excommunicamus in hiis scriptis, excommunicatos publice nuncietis, nisi causam rationabilem pretendere voluerint quare ad hec minime teneantur, ad quam pretendendam citetis ipsos peremptorie coram officiali nostro Seduni ad diem lune proximam ante festum beati Nicholai, hora prima. Item moneatis omnes notarios et tabelliones in vestris parrochiis constitutos, ne ipsi de cetero aliqua conficiant instrumenta super contractibus perpetuis vel ad longum tempus, nisi tantum ad octo annorum spacium, quod si secus per ipsos factum fuerit, nouerint vniuersi quod eorum instrumentis dictum terminum octo annorum excedentibus non adhibemus in judicio plenam fidem, nisi causam rationabilem pretendere voluerint leuatores et tabelliones predicti quare ad predicta minime teneantur, et dicta monicio fieri non debeat contra ipsos, ad quam allegandam assignetis eis coram nobis die sabbati in crastino festi beati Thome apostoli proxime venturi. Excipimus autem in hac monicione clericos et notarios nostros scilicet Amedeum de Reyna, Burquinum de Narres et Martinum de Camson. Datum in Saxo, in vigilia beate Katherine, anno Dni M°CCC°XIX°.

Au bas du parchemin sont découpées des bandelettes destinées à recevoir le sceau de chaque curé ; il reste des fragments de quatre sceaux.





1415

Antoine Comte vend un fief situé à Bramois et à Vercoma à Symon de Senis.

Sion, 1320, 12 janvier. — Naters, 1328, 5 janvier.

Archives de Géronde, au séminaire de Sion.

* Notum sit quod ego Anthonius Comes, filius quondam Johannis Comitis, dedi et vendidi, pro quadraginta sol. Maur. redditus faciendis michi annuatim et pro septem lb. nomine intragii michi solutis, Symoni dni Jacobi de Senis, familiari Johannis de Turre, dni Castellionis in Valesio, quicquid juris et dominii habebam in quodam homagio ligio in quo michi et meis predecessoribus tenebantur Cristinus de la Condemina de Bramosio quondam et eius heredes, tam ratione dicti homagii quam ratione dicti feudi. Quod feudum tale est, videlicet vna pecia prati et campi sita in territorio de Bramosio, subtus viam publicam tendentem versus Putafontana, iuxta campum sacristanie et iuxta terram Cassonis maioris de Leucha et pratum quod tenetur a Johanne de Briens domicello, et iuxta mugneriam tendentem versus Torpatons. Item vnam vineam sitam apud Vercoma, que continet decem octo fossoratas vinee. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: Albertus filius Petri maioris de Soen, Phelisodus lathomus de Aniuesio, Michael Vullie de Sancto Martino morans apud Seya, et ego Willermus de Ayent clericus qui hanc cartam leuaui, etc. Actum Seduni, in curia episcopali, II idus januarii, anno Dni M°CCC°XX°, imperio vacante, Aymone episcopante. Que omnia predicta postmodum dna Lucqueta vxor dicti dni Anthonii laudauit et confirmauit, presentibus testibus Petro Burquini clerico, Johanne de Mulynbach domicello et Jacobo de Pontally clerico, etc. Actum apud Narres, in vi-



gilia Epiphanie Dni, anno Dni M°CCC°XXVIII°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1416

Remises mutuelles entre Jean de Curtinal et la veuve de Nantelme d'Ayent.

Ayent, 1320, 6 avril.

Copia litterarum de Ayent, f. x verso.

* Notum, etc., quod cum ego Johannes filius quondam Petri de Curtinali de Grimisua suor tenerem ponere in acquisitum usque ad decem septem libras Maur., nomine augmenti feudi albergamenti quondam Nantelmi de Ayent domicelli, Hanfelisia vxor quondam Nantelmi predicti pro vtilitate dicti albergamenti ac Francisci ac Margarete liberorum suorum, de consilioque Perreti de Oerciez gestoris negociorum quondam dicti Nantelmi, remisit michi dictas XVII lb. Viceuersa ego dictus Johannes quittaui eidem dne Anfelisie totam mistraliam de qua me affeudauerat olim Nantelmus predictus, quam promitto contra Vulliermetam vxorem meam perpetue garentire. Testes : dnus Petrus curatus de Ayent., etc. Actum apud plateam retro grangiam quondam predicti Nantelmi, VIII idus aprilis, anno Dni M°CCC°XX°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1417

Statuts du chapitre de Sion.

Valère, 1320, 8 mai.

Archives de Valère.

Nos Bertrandus Dei miseratione sancte Tharantasien. ecclesie archiepiscopus, visitationis officium exercentes in ciuitate et

dyocesi Sedun., ac Aymo eadem miseratione ecclesie Sedun. episcopus ac totum capitulum Sedun., ad infrascripta ac alia vtilia ordinanda pro vtilitate ipsius ecclesie Sedun. solempniter conuocatum in choro ecclesie Valerie, considerata euidenti vtilitate ecclesie Sedun. supradicte, vnanimes et concordes, nemine discrepante siue eciam discordante aut contradicente, statuta infrascripta imperpetuum valitura edidimus, fecimus, constituimus ac eciam promulgauimus et solempniter in scriptis ad perpetuam rei memoriam redigi fecimus, et pro statutis ecclesie Sedun. haberi constituimus et jubssimus haberi et conseruari ab omnibus ipsius ecclesie personis dignitates et personatus habentibus et canonicis vniuersis et singulis ecclesie memorate, et pro vtilitate ipsius ecclesie et castri Valerie quedam statuta hactenus edicta per predecessores nostros eciam declaramus et aliquibus detrahimus et aliquibus addimus, vt sequitur infra. In primis enim statuimus et ordinamus, declaramus ac eciam omnibus obseruari precipimus, prout continget singulos, quod illi canonici qui habent canoniam de Laques, canoniam quam tenet dnus Johannes de Romano monasterio, et canoniam quam tenet dnus Johannes decanus Theothonicorum, et canoniam quam tenet dnus Ebalus Huboldi, cum prebendis ipsis canoniis agnexis, infra coronam anni teneantur ad sacerdocium promoueri, alioquin ex tunc prebendis et canoniis ipso facto penitus sint priuati, quas deputamus aliis canonicis conferendas. Super personatibus autem obseruetur circa hoc secundum hoc quod hactenus extitit obseruatum. Item personatus habentes et dictas canonias agnexas facient per se vel per alios canonicos Sedun. suas septimanas sacerdotales in magno altari deseruiri, alioquin persone pro qualibet missa in sua septimana ob defectum ipsorum in magno altari non celebrata penam quinque sol. Maur. incurrant. Et eciam illi qui tenent et tenebunt dictas tres canonias agnexas penam trium sol. Maur. incurrant. Quas penas, nisi soluerint infra

vnum mensem proximo sequturum postquam incurrerint ipsas penas, distributiones chotidianas amittant et ipso facto eisdem sint privati. Mistralis vero dicti capituli, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, dictis deficientibus dictas distributiones ex tunc minime soluere teneatur, donec de ipsis penis dno sacriste Sedun. fuerit plenarie satisfactum. Absentes vero deficientes in predictis ex tunc ipso facto eandem penam incurrant, que debeat recuperari super fructibus eorumdem, ita videlicet quod dicti deficientes ante satisfactionem plenariam in pecunia factam dictas distributiones suas minime recipiant nec recipere possint per se vel per alium, et dictus mistralis dictas distributiones soluere non valeat, et si eas soluerit, tantumdem de suo proprio capitulo soluere teneatur, et hoc dictus mistralis in institutione sua jurare teneatur. Item quod canonici qui tenentur ad dyaconatum et subdyaconatum, penam predictam trium solidorum incurrant, quocienscunque missa in magno altari ob eorum defectum minime fuerit celebrata; que pena solui debeat modo quo supra. Quas quidem omnes penas predictas dnus sacrista Sedun. exigat et in ornamentis ecclesie, videlicet pro magno altari, conuertantur. Super prima vero residencia nichil innouatur, que talis est, videlicet quod quilibet canonicus Valerie faciens primam residenciam tenetur singulis noctibus infra castrum Valerie pernoctare et eciam comedere et bibere et dictam ecclesiam Valerie frequentare diebus singulis, saltem in matutinis, et si non in matutinis, ad magnam missam et ad vesperas, aliter residens minime reputetur. Quod si forte ex causa necessitatis, vtilitatis vel voluntatis semel vel bis in epdomada, dummodo non pluries, nisi vt dictum est, et non consequenter sed interpollatin inferius comederet vel pernoctaret, vel si forte aliquis dictorum canonicorum specialem amicum haberet in ciuitate grauiter egrotantem et ante eum, quamdiu esset in mortis periculo, vellet jacere, nulla tamen adhibita fraude vel

dolo, non propter hoc reputabitur minus residens vel periurus, dummodo intersit horis canonicis, vt superius est expressum. Si vero egrotaret vel esset minutus sanguine, dummodo nichil faciat in fraudem et existat infra muros Valerie, reputabitur residens, et si exeat vsque ad portam de Couent vel curiam dni episcopi, et eciam si veniat aut eat per campum putei vsque ad capellam Sancti Genesii. Et est sciendum quod canonici antequam fecerint et compleuerint primam residenciam, distributiones panis et vini non recipiant nec percipiant suos fructus. Item ille canonicus primam residenciam faciens qui presens non interfuerit in kalendis, nulla necessitas, vtilitas vel voluntas eum poterit excusare quo ad receptionem eorum que ibidem diuiduntur, nisi forte esset egrotans vel sanguine minutus existens infra muros Valerie, quod intelligitur vt superius est expressum. Quod autem dictum est de canonicis nouiciis residenciam facientibus apud Valeriam, seruandum est illud idem in canonicis nouiciis ecclesie inferioris qui tenentur facere primam residenciam annualem in ecclesia inferiori. Item de canonicis moram contrahentibus Seduni, tam in ecclesia superiori quam inferiori, taliter ordinamus quod ipsi canonici de Valeria post primam residenciam factam tenentur pernoctare, comedere et bibere infra muros Valerie, dummodo viuant de suo, exceptis quindecim diebus pro vindemiis et aliis XV diebus pro messibus colligendis, et quod possint extra Valeriam per vnum diem vel duos in qualibet epdomada pernoctare, comedere et bibere, si voluerint et sibi viderint expedire. Item poterit hoc facere, si ab aliquo fuerit inuitatus, dummodo nichil procuret in fraudem, non tamen poterit pernoctare extra Valeriam, sicut superius est expressum. Si autem contingeret aliquem dictorum canonicorum egrotare vel sanguine minui, dummodo existat infra muros Valerie, vt supra, pro residente habeatur. Et si forte aliquis dictorum canonicorum aliquem specialem amicum haberet in

ciuitate grauiter egrotantem, et ante eum, quandiu esset in mortis periculo, vellet jacere nulla fraude adhibita, non propter hoc reputabitur minus residens aut periurus, sed non percipiet distributiones, nisi intersit horis. Eum vero qui presens non interfuerit kalendis nulla necessitas, vtilitas vel voluntas excusabit quoad receptionem eorum qui diuiduntur ibidem, nisi existens in Valeria egrotans fuerit vel sanguine minutus, vel nisi absens esset pro negociis capituli vel episcopi sui. Ab ista autem ordinatione sunt quatuor canonici inferiores excepti, quorum quilibet in canonicum assumptus tenetur facere huiusmodi juramentum, videlicet quod infra coronam anni, si non sit presbiter, quantum in se est in presbiterum sit promotus, et continuam residenciam faciant in ciuitate Sedun., officiando ecclesiam pro viribus et pro posse, ita quidem quod si vltra duos menses continuos in anno sine licencia capituli vel maioris sanioris partis eius absens fuerit, pro qualibet septimana quinque sol. Maur. pro fabrica ecclesie soluere teneatur, et nichilominus in magno altari facere deseruiri per alium canonicum in septimana sua, et penam trium sol. pro defectu cuiuslibet misse sue septimane eciam incurrat et soluere debeat dicto dno sacriste, antequam distributionem recipiat in ecclesia supradicta, et grossos fructus ipso facto amittat. Item statuimus quod si is cui confertur prebenda inferioris ecclesie non sit sacerdos, quod se faciat promoueri in sacerdotem infra coronam anni a die receptionis sue computandam, alioquin, si non sit promotus, legitima causa cessante, ipso facto vacet dicta prebenda et jure quod habebat in ea sit priuatus, ita quod alii conferatur qui possit et velit in dicto ordine in predicta ecclesia deseruire. Debent autem dicti canonici inferiores, pendentibus duobus mensibus quibus erunt absentes in dicta ecclesia sine licencia capituli, in dicta ecclesia facere in magno altari per alium concanonicum suum sufficienter in sua epdomada deseruiri, nec possunt pendentibus dictis duobus

mensibus, dum vnus vel duo absentes extiterint, alii duo se a dicta ecclesia absentare, nisi de licencia capituli, vt superius est expressum. Si vero contingeret aliquem ex canonicis proximo dictis deficere in ipsa epdomada in missa magni altaris, ita quod missa remaneret ob defectum ipsius, penam incurrens trium sol. soluat, prout superius de aliis canonicis est expressum. Item statuimus et ordinamus quod quicunque in posterum personatum in ecclesia Valerie fuerit consequtus, beneficium quod wlgaliter canonia appellatur, siue dicta canonia sit agnexa siue non, sicut sunt agnexe canonie infrascripte, scilicet prebenda cum canonia de Laques quam tenet dnus Johannes de Romanomonasterio, et prebenda cum canonia quam tenet dnus Jo. de Thoura decanus Theothonicorum, et prebenda cum canonia quam tenet dnus Ebalus Huboldi, et non agnexe canonie, sicut sunt canonia quam tenet Jacobus de Augusta, canonia quam tenet Anthonius Hubodi, canonia quam tenet Willelmus de Chalant, canonia quam tenet Andryuetus, canonia de Maragnyna quam tenet Johannes de Drona et canonia quam tenet dnus Johannes Herpo, vna cum dicto personatu, quam de nouo in posterum fuerit assequtus, et cum aliqua prebenda nequeat obtinere. Item de domibus ecclesiarum Valerie et beate Marie inferioris obseruetur, prout hactenus extitit obseruatum. Item statuimus et ordinamus quod omnes canonici et seruitores dictarum ecclesiarum a vigilia Omnium Sanctorum in vesperis vsque ad vigiliam Pasche capas nigras portent in ecclesiis supradictis, dum in hiis diuina officia celebrantur, nisi illi qui seruiunt in altari vel circa illud aliqua ministrant. Item sub pena centum sol. precipimus ne aliquis canonicus, capellanus aut clericus in domo propria conducta vel gratis concessa publice teneat in ciuitate Sedun. mulieres preter illas que conceduntur a jure, in Valeria autem nec hee nec alie modo quo supra teneantur, nisa causa grauis infirmitatis alicuius canonici egrotantis vel

alicuius seruitoris ecclesie vel dictorum canonicorum durante infirmitate predicta, alioquin contrarium faciens penam centum sol. predictam incurrat fabrice dicte ecclesie applicandam et soluendam vt supra. Item statuimus et ordinamus quod clerici beneficiati infra ciuitatem Sedun. et in hospitali et maladeria, qui dicta beneficia pro tempore oblinebunt, seruiant prout tenentur ecclesie beate Marie continue, et ad hoc idem teneatur curatus eiusdem ecclesie, et ad hec per dnum episcopum compellantur. Item cum de jure nouo caueatur quod nullus debeat promittere in genere aut in specie aliquod beneficium ecclesiasticum non vacans, statutum est quod de cetero non promittatur alicui a canonicis vel ab aliquo eorumdem vniuersaliter vel singulariter in genere vel in specie prebenda non vacans, aut aliud beneficium ecclesiasticum non vacans, nec super hiis litteras suas dare. Item si aliqua immobilia, census vel redditus jam ad manus deuenerunt capituli vel in posterum deuenient quocunque titulo, nulli persone, quecumque sit, graciose conferantur, sed tantummodo plus offerenti de canonicis concedantur, et si concedantur, non valeat, sed non obstante collatione plus offerenti concedantur, eo saluo quod si quis dicte ecclesie aliquid inmobile contulerit, certa conditione apposita, eius conditio et voluntas in omnibus obseruetur. Item quod canonici omnes communiter vel diuisim non faciant alicui nouo canonico graciam super prima residencia annuali, nec eciam super fructibus primi anni, nec sibi dimittantur vinee vel possessiones alie prebende vel canonie sue pro aliqua pensione, sed excolantur dicte vinee et possessiones alie a ministro dicti capituli, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, quamdiu ad ipsum capitulum pertinebunt, sine interpositione persone, salua constitutione sedis apostolice. Item quod de cetero quicumque recipietur in canonicum et in fratrem, non habeat vocem cum aliis in capitulo, nec in tractatibus canonicorum qui in capitulo tractabuntur intersit,

nec valeat interesse, nisi primo saltem ad ordines subdyaconatus se fecerit promoueri et vnam de viginti quinque prebendis in re et non solum ad rem fuerit assequtus. Item quod illi qui debent habere clericos ad seruiendum ecclesie Valerie, de cetero teneantur procurare et facere quod ipsos habeant et teneant per totum annum singulis annis. Qui autem ad presens non habent, procurent ipsos habere de cetero similiter et faciant, alioquin residentes vltra vnum mensem sine clericis ecclesie deseruientibus, prout moris est, existentes distributiones denariorum ipso facto amittant, capitulo pro fabrica ecclesie applicandos, donec ipsos clericos habuerint, et absentes fructus percipientes, si clericos in dicta ecclesia, prout tenentur et prout moris est, non habuerint qui dicte ecclesie deseruiant, eandem penam incurrant, recuperandam per capitulum Sedun. vel deputatum ab eo super fructibus eorumdem, quicunque sit qui eosdem fructus percipiat, siue capitulum siue alius, et tantumdem quantum quilibet absens, si distributiones chotidianas haberet, ipsi absentes soluere teneantur, dummodo possit reperiri clericus ydoneus ad deseruiendum, vt supra. Quem clericum siue quos clericos sine fraude et notabili negligencia querere et habere teneantur. Item statuimus, ordinamus et precipimus ab omnibus canonicis presentibus et futuris de cetero obseruandum, vt canonici dicte ecclesie septimanas officiorum dyaconatus et subdyaconatus facere teneantur in hunc modum, scilicet in septimana dni decani Valerie dyaconatum faciat canonia de Maragnyna et subdyaconatum faciat prebenda dni Rodulphi de Verretz. Item in septimana dni decani Theothonicorum dyaconatum faciat prebenda dni Francisci de Yporrigia et subdyaconatum faciat prebenda dni Guillermi de Podio. Item in septimana dni sacriste dyaconatum faciat prebenda Aymonis de Estauaye et subdyaconatum prebenda Petri de Venthona. Item in septimana dni cantoris dyaconatum faciat canonia Andryneti et sub-

dyaconatum prebenda Francisci Benedicti. Item in septimana canonie de Laques dyaconatum faciat canonia Willelmi de Chalant et subdyaconatum prebenda Guidonis de Montagnye. Item in septimana canonie quam nunc tenet dictus dnus decanus Theothonicorum, dyaconatum faciat canonia Anthonii Hubodi et subdyaconatum prebenda P. de Clarmont et Ja. Bochardi. Item in septimana canonie dni Ebali Hubodi dyaconatum faciat canonia Jacobi de Augusta et subdyaconatum prebenda P. de Maçeyz. In quibus septimanis is qui deficiet, pro quolibet euuangelio et qualibet epistola penas statutas, vt supra et modo quo supra, incurrant et soluere teneantur. Item statuimus et ordinamus quod ille canonicus qui in dictis officiis septimanam suam precedentem fecit in Valeria et in dicto officio deseruiuit, in sequenti septimana, quando continget dnum episcopum celebrare in ecclesia inferiori, in suo officio dyaconatus vel subdyaconatus debeat deseruire, vel per alium concanonicum suum faciat deseruiri, alioquin pro quolibet defectu euuangelii vel epistole duodecim den. Maur. soluere teneatur infra mensem supplenti vel facienti dictum officium ipsius deficientis, et super hoc ille qui deficiet pro substractione distributionum aut fructuum grossorum ipse aut eius procurator, et ille qui fructus prebende ipsius vel canonie percipiet, compellatur, et presentes canonici deseruire teneantur ad preceptum dni cantoris, qui pro tempore fuerit, in sacris officiis, quando necesse fuerit et defectum absentium supplere pro dicta pena XII den., ita tamen quod quando dno episcopo deseruient in ecclesia inferiori, a seruicio ecclesie superioris excusentur. De canonicis autem incedentibus cum dno episcopo pro negociis ecclesie obseruentur circa perceptionem eorum que deberentur percipere, si presentes essent, ea que de jure fuerint obseruanda. Item statuimus et ordinamus quod omnes illi et singuli qui in dicta ecclesia Sedun. ad presens habent dignitates et personatus aut canonias agnexas

vel non agnexas vna cum prebendis, vel qui in futurum habebunt, ex quo fructus grossos percipient et distributiones panis et vini, prout secundum statuta ecclesie elapsis certis temporibus percipere debent, hospicium proprium, absque eo quod cum aliquos hospitentur dando certam portionem siue certam pecuniam pro victualibus eisdem ministrandis tenere teneatur, et quod aliquis alius canonicus tenens ibi hospicium vel non tenens sub debito juramenti ex quo predictos fructus et distributiones percipiet, quantumcunque sit sibi propinquus vel amicus, secum eum non possit tenere qualicumque vel quocumque inuento colore vltra mensem particulariter vel diuisim. Et si cum vno canonico per mensem perstetit, alius canonicus ipsum recipere non possit in ipso anno, dummodo hospicium possit inuenire venale secundum taxationem capituli. Item statuimus et ordinamus quod predicta statuta cuilibet qui in posterum recipietur in canonicum, in ipsa receptione obstendantur ad legendum, si velit ea videre, ne possit vltra per ignoranciam excusari, et ea juret integraliter obseruare, et jam recepti teneantur predicta sub prestando juramento integraliter obseruare. Et quia statuta que penis firmata non sunt, aliquando consueuerunt ab aliquibus negligenter obseruari, ideo statuimus et ordinamus quod predicta omnia et singula, prout superius dicta sunt, integre obseruentur. Si quis vero predictorum statutorum aut alicuius ex eisdem transgressor extiterit in toto vel in parte, et infra mensem a die commissionis penam vel penas quam vel quas incurrerit, non soluerit, a procuratore capituli requisitus, vt superius continetur, distributiones panis et vini et pecunie ipso facto amittat et eis careat, donec plenarie satisfecerit de trangressione statutorum predictorum. Quas distributiones si percipere ausu temerario presumpserit, ipse transgressor nichilominus de scandalo orto ob eius defectum satisfacere teneatur, nec interim fructus suos grossos percipiet, sed tanquam commissi dicte

fabrice applicentur, non obstante contradictione qualicunque. Et si forsan, quod absit, ipsos fructus accipere et percipere ante satisfactionem predictam presumpserit, eo ipso suspensionis sentenciam auctoritate huius statuti incurrat, a qua non absoluatur, donec plenarie fuerit tam de penis quam de aliis capitulo ad opus fabrice predicte sine remissione aliqua satisfactum. Nos autem predicti archiepiscopus et episcopus per predicta statuta non derogamus nec derogare intendimus statutis dictarum ecclesiarum sigillatis sigillis venerabilium patrum predecessorum nostrorum, Petri Dei gracia archiepiscopi quondam Tharantasiensis et Petri eadem gracia quondam episcopi Sedun. et eciam capituli Sedun., nisi in quantum presentibus statutis eis expresse additur, mutatur, detrahitur, modificatur et eciam declaratur. Alias autem sentencias suspensionis, excommunicacionis et interdicti in quibuscunque statutis vel litteris contentas per predecessores nostros ac per nos eciam latas in transgressores statutorum ecclesie predicte amouemus, reuocamus ac eciam tollimus per presentes, nisi in quantum in presentibus statutis et aliis predecessorum nostrorum prenominatorum reperiretur contineri, ut superius est expressum. Et quia nos predictus archiepiscopus considerauimus quod natura hominis faciliter labitur ad delicta, attendentes eciam discrimina viarum et difficultates itinerum et pericula que eminent gentibus terre istius propter causas multiplices et diuersas, volentes igitur eorum parcere laboribus et expensis et futuris periculis obuiare, in quantum de jure possumus, super absolutione impendenda hiis qui predictas incurrerint sentencias, dicto episcopo Sedun. qui nunc est et qui pro tempore fuerit, committimus vices nostras, dummodo infra mensem absolutio a dicto episcopo impetretur. In quorum omnium premissorum robur et testimonium veritatis nos prefatus archiepiscopus visitationis officium exercentes et nos prefati episcopus et capitulum Sedun. sigilla

nostra presentibus statutis apposuimus ad perpetuam rei memoriam et plenioris roboris firmitatem. Datum et actum Seduni, in castro Valerie, VIII idus maii, anno Dni M°.CCC°. vicesimo.

Sceaux tombés.

1418

Le juge du Vallais ordonne au châtelain de Conthey de laisser percevoir par le chapitre de Sion les 50 ou 60 sols légués à ce dernier par Girard d'Oron, doyen de Valère.

Saillon, 1320, 19 août.

Archives de Valère.

Berlio de la Marz judex Valesii, Chablasii et Gebenn. et commissarius in hac parte a viris venerabilibus dno Anthonio de Bargiis, balliuo Sabaudie, dno Humberto de Sala, dno Petro de Sancto Jorio, legum professoribus, Anthonio de Claromonte et Petro Francisci pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, dilecto suo castellano Contegii uel locum eius tenenti salutem et sinceram dilectionem. Querelam ven. capituli ecclesie Sedun. recepimus continentem quod tu uel tui predecessores in dicta castellania sesitos detinetis quinquaginta uel sexaginta sol. Maur. annui redditus quos dnus Girardus de Orons, quondam decanus Valerie, dicitur dicto capitulo in sua vltima voluntate reliquisse, in quorum possessione dictum capitulum extitit pluribus annis retroactis ante dictam sasinam, et quia nobis constat dictum capitulum in dicta possessione fuisse ante dictam sesinam percipiendi dictos quinquaginta uel sexaginta sol. Maur., nec aliquis debeat spoliari sine cause cognitione sua possessione, nec sit intentionis dni comitis predicti contra aliquos iniuste procedere, sed potius suis subditis iusticiam exibere, tibi precipiendo mandamus, quatenus pecu-

niam supradictam, omni occasione submota, dicto capitulo incontinenti desesias et percipere permittas vna cum retentis a tempore dicte sesine citra, protestatione tamen premissa et per nos recepta a Johanne Albi, procuratore dicti dni comitis in dicta judicatura, nomine et ad opus dicti dni comitis, quod per hoc mandatum juri dicti dni comitis in aliquo non intendimus derogare, sed volumus et est de consensu dicti capituli quod ius dicti dni comitis sibi in predictis remaneat illesum, et volumus quod copia presentis mandati penes te remaneat. Hec autem facimus sequendo consilii predicti dni comitis mandatum hic annexum[1]. Datum in assisiis Sallionis, decima nona die mensis augusti, anno Dni M°CCC° vicesimo.

Au revers du parchemin, d'une autre écriture :

Littera judicis comitis Sabaudie pro LX s. tallie de Brignon.

1419

Amodiation des biens des enfants de François de Greysier, major de Sion.

Sion, 1320, 24 août.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XX°, indicione III^a^, IX° kl. septembris, in ciuitate Sedun., in domo episcopali Sedun., in presencia mei notarii, etc., constituti P. de Gresiaco domicellus, tutor et nomine tutorio liberorum Francisci de Gresiaco maioris Sedun. quondam, et Roletus de Ferney domicellus, vsufructuarius pro Francesia vxore sua, matre dictorum liberorum, in medietate bonorum predictorum liberorum, ex vna parte, et Johannerodus de Yuorna ac Cottinus de Verbier, ex altera.

[1] Cette pièce annexe manque.

Predicti P. et Rol., nominibus quibus supra, vendunt, cedunt et concedunt Johannerodo et Cottino predictis stipulantibus et recipientibus, etc., fructus, redditus, exitus bonorum liberorum predictorum a castro Sallionis usque ad aquam que vocatur Riehy de Sancto Leonardo, videlicet vsum domus de Turre Sedun. liberorum predictorum, fructus vinee, prati, decimarum, seruiciorum et generaliter fructus et exitus omnium aliorum bonorum que dicti liberi habent uel eis pertinent infra terminos suprascriptos, excepto vino quod iam est aliis venditum seu traditum nomine ypothece, percipiendos per Johannerodum et Cottinum predictos uel eorum heredes, aut per alterum nomine eorumdem, per spacium trium annorum die confectionis presentis instrumenti incipiendorum et continue subsequendorum, et hoc precio LXXIIII lb. Maur. predictis P. et Rol. soluendarum uel eorum mandato terminis infrascriptis, videlicet relicte Johannis Frewart ciuis Sedun. infra proximum festum beati Mauricii XX lb. Maur. pro reemendo prato de Condemina, quod fuit dicti Francisci maioris Sedun., quod pratum promiserunt sub obligacione omnium bonorum suorum predicti Jo. et Cottinus emere seu reemere a muliere predicta infra festum predictum, omni occasione remota, ac dominium et possessionem dicti prati dictis liberis acquirere. Item X lb. Maur. de dicto precio promiserunt soluere nomine dictorum liberorum creditoribus infrascriptis: videlicet VI lb. Maur. dno Johanni Erpo canonico Sedun., item XL sol. Maur. cohorsinis Lombardis de Seduno, ac Johanni Anthonii de Vespia XL sol. dicte monete, et litteras quas habent dicti creditores super dictis debitis debent recuperare et habere a creditoribus predictis et ipsas reddere et deliberare venditoribus memoratis. Item XX lb. a festo beati Mychaelis proximo in vnum annum in eodem festo predictis P. et Rol. uel alteri eorum aut eorum mandato, et residuum dicti precii uidelicet XXIII lb. Maur. anno proximo subsequenti in eodem

festo beati Mychaelis eisdem venditoribus aut eorum mandato, omni exceptione postposita et remota. Promiseruntque dicti Jo. et Cottinus domum de Turre Sedun. dictorum liberorum in bono statu et bene coopertam manutenere et vineam et alias possessiones manutenere, excolere et gubernare ydonee, et jura dictorum liberorum requirere et seruare fideliter suo posse. Et si in aliquo predictarum solucionum faciendarum vel aliorum deficerent, quod absit, promiserunt, ut supra, dictis venditoribus ac michi notario infrascripto, stipulanti et recipienti nomine et ad opus dictorum liberorum, omnia dampna, grauamina et interesse que inde sustinerent dicti venditores seu liberi predicti, eisdem restituere et resarcire plenarie et perfecte et super hiis dampnis, grauaminibus et interesse predictis eisdem venditoribus uel alteri eorumdem seu eorum mandato suo simplici uerbo credere, omni alia probacione super hiis minime requisita. Promiseruntque partes predicte per juramenta sua super sancta Dei euangelia corporaliter prestita et sub obligacione omnium bonorum suorum predicta omnia et singula attendere, etc. Testes: Theobaldus filius naturalis dicti P., Giroldus frater naturalis predicti Francisci maioris Sedun., Girardus de Bons et ego Johannes Munmeliani, etc.

1420

Legs de Gérold Daval en faveur de l'église de Géronde.

Sierre, 1320, 27 août.

Archives de Géronde, au séminaire de Sion.

* Notum sit quod ego Giroldus Daual de Sirro, inter cetera in meo testamento contenta tale feci legatum ut sequitur. Item do et lego in die anniuersarii mei quinque sol. Maur. annua-



tim diuidendos super tumbam meam sacerdotibus et clericis qui ibi presentes interfuerint. Item lego ecclesie beati Martini de Gironda vnum fichilinum siliginis redditus et vnum den. seruicii, quem fichilinum cum seruicio debet michi Jacodus janitor de Castro. Item lego super vineam meam de Vineis vnum sextarium vini annuatim distribuendum apud Gironda in die Pasce recipientibus Corpus Dni. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : Franciscus de Moniouet domicellus, Johannes salterus de Sirro, Willermus Guye, Willermus filius quondam Jacobi Daual, Willermus filius quondam Willermi maioris de Leuca, etc. Apud Sirro, in domo dicti testatoris, VI kl. septembris, anno Dni M°CCC° vicesimo.

1421

Concession de Girold de Greysier en faveur des enfants de François de Greysier, major de Sion.

Sion, 1320, 24 septembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

* Anno Dni M°CCC°.XX°, inditione III^a, IX kl. septembris, in domo episcopali Sedun., constituti Petrus de Gresiaco domicellus, tutor liberorum Francisci de Gresiaco maioris Sedun. quondam, ex vna parte, et Giroldus frater naturalis dicti Francisci, ex altera; cum dictus Franciscus dudum dedisset dicto Giroldo duos modios siliginis redditus annui et ipsos assignasset super la miehy de Bramosio et super decima de Montorgio pro vno homagio ligio quod dictus Giroldus fecit Francisco predicto, dictus Giroldus liberis predictis dictum bladum concessit per tres annos nunc incipiendos, dictusque P. tutor, nomine quo supra, promisit dicto Giroldo reddere finitis tribus annis predictis dictos duos modios vel eidem Giroldo, si ma-



lueril dictus Giroldus soluere pro dictis duobus modiis XX lb. Maur. semel, et dictus Giroldus promisit de tota pecunia predicta emere possessiones uel redditum et ipsas res emptas de pecunia predicta in feudum dicti homagii accipere et tenere a liberis predictis. Testes : Willermus rector hospitalis Sancti Jo. Sedun., Nycholaus Aspere, Theobaldus filius naturalis dicti P., et ego Jo. Muumeliani, etc.

1422

Le chapitre de Sion dénonce à l'évêque Aymon les empiétements de Jean, vidomne d'Anniviers, au sujet du droit de chancellerie.

Sion, 1320, 15 novembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 671, ex arch. Valer.

In nomine Dni, Amen. Anno incarnationis ejusdem M.CCC.XX, inditione III, XVII kl. decembris, in civitate Sedun., in curia episcopali, in presentia reverendi in Christo patris dni Aymonis Dei gratia Sedun. episcopi constitutis discretis viris dno Ebalo Huboldi, dno Francisco de Solerio, Johanne de Drona, Petro de Venthona, Francisco Benedicti, procuratoribus capituli Sedun., prefati procuratores, nomine procuratorio quo supra, denuntiarunt dno episcopo quod cum capitulum Sedun. teneret ab ipso dno episcopo in feodum homagii ligii cancellariam terre Vallesii cum suis juribus et pertinentiis universis, et etiam de dicto feodo habeat unum canonicum Sedun. hominem suum, qui dictum feodum pro ipsis deservit eidem, qui dicto capitulo dictam cancellariam manuteneat et defendat et in suis juribus, obventionibus et pertinentiis dictam cancellariam eidem capitulo tueatur, maxime contra nobilem et potentem virum Johannem de Anivesio domicellum, vicednum de Anivesio, fidelem et va-

sallum prefati dni episcopi, qui in prejudicium dicti capituli et dicte cancellarie ad ipsum pertinentis usurpationem et diminutionem juris ipsorum in valle de Anivesio terre Vallesii fecit et facit fieri litteras super contractibus perpetuis et suo sigillo sigillari, quod tantum ad cancellariam dicti capituli ex concessione episcoporum Sedun. predecessorum suorum, ex antiqua consuetudine hactenus observata a tempore legitime prescriptionis et a tanto tempore de cujus contrario memoria non existit, ad dictum capitulum noscitur pertinere, cum dictus vicednus sigillum authenticum non habeat de consuetudine vel de jure. Qui dnus episcopus respondit quod super requisitionem predictam habebit consilium cum peritis et deliberato consilio faciet ipsis quod est faciendum. Ad hec autem fuerunt testes vocati et rogati qui sic vocantur : dnus Jacobus curatus de Eroens, Johannes de Vallepellina, Petrus Sottard dictus Mellias, diocesis August., Guillelmus filius Perroneti de Colomberio domicelli, Anthonius Armonens, clerici, familiares dicti dni episcopi, Perrodus filius Humberti de Columberio domicelli.

Et ego Giroldus Majoris de Dallon, clericus, etc.

Ces empiétements de Jean d'Anniviers sur les droits de chancellerie du chapitre ont donné lieu à un long procès, qui a duré plusieurs années. Les archives de Valère contiennent un grand nombre d'actes relatifs à ce procès; je me borne à reproduire les principaux.

1423

Donation faite par François de Montjovet à la confrérie de la Bienheureuse Marie, à Sion.

Sion, 1320, 23 décembre.

Archives de Valère.

* Ego Franciscus de Moniouet domicellus dedi confratrie

Beate Marie Sedun. vnum fischilinum frumenti censualem, quem michi debet Willelmus de la Bastia de Granges super vnam peciam terre sitam juxta bastimenta de Granges. Testes: dnus Petrus curatus Sedun., etc. Datum Seduni, anno Dni M°CCC°XX°, X kl. januarii, Aymone episcopante.

1424

Alexie de Morestel déclare que François Albi lui a rendu bon compte de l'administration de ses biens.

Ernen (vers 1320), novembre.

Archives de Valère, Registrum Jo. de Auboreynges.

* Anno Dni M°CCC°.....[1], die mercurii ante festum beate Katerine Virginis, apud Aragnon, Alexia filia Willermi de Morestello de Granges domicelli, vxorque Georgii nepotis Vidolini maioris de Aragnon, confitetur se recepisse integre a nobili viro Francisco Albi de Granges domicello bonum et legitimum computum super omnibus bonis, rebus, juribus et actionibus ipsius Alexie, que et quas habuit et rexit ex administracione seu aduoeria sibi data a dno episcopo Sedun. Quittans, etc. Testes: dnus Jo. curatus de Conches, dnus P. Bubo, dnus Jo. Alechere, presbiteri, Mar. de Gamoson curatus de Vila, Ja. Trulere, Gonteretus de Curia maiori, domicelli, Perrussodus filius Wiberti de Morestello de Granges.

[1] La fin de la date est en blanc. Cet acte se trouve à la suite d'un acte de 1318 et avant un autre de 1322.

1425

Le chapitre de Sion nomme des procureurs chargés de faire prononcer l'interdit dans la paroisse d'Anniviers, à cause de la violation de ses droits de chancellerie par Jean, vidomne de ce lieu.

Sion, 1321, 30 janvier.

Archives de Valère, D, 32.

Nos G. decanus Valerie, Johannes decanus Theothonicorum, Thomas de Vespia canonicus Sedun., totumque capitulum Sedun. ad sonum campane more solito in capitulo propter hoc specialiter congregati, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod nos statuimus et ordinauimus nostros certos nuncios viros discretos Petrum de Venthona et Franciscum Benedicti, concanonicos nostros Sedun., presentes et mandatum recipientes, quilibet eorum in solidum, ad requirendum curatum de Aniuesio et alios curatos et vicarios ad quos peruenerint, et eisdem nunciandum vt secundum statuta synodalia [1] cessent et cessare debeant a diuinis, ita quod nulla celebrentur per eos diuina officia preter ea que conceduntur ibidem, quamdiu nobilis vir Johannes de Aniuesio domicellus et vicednus dicti loci erit in parrochia eorumdem, pro eo quod idem Johannes vtendo sigillo suo tamquam autentiquo, çum sigillum autenticum non habeat nec habere valeat, spoliat uel quasi, occupat et perturbat violenter et sua potencia sine cause cognitione ius et rationem et vtilitatem cancellarie capituli supradicti in parrochia de Aniuesio existentem, in grande dampnum, preiudicium nostre ecclesie et grauamen, cuius fructus, obuentiones et juhancie ad nos dictum capitulum dignoscuntur

[1] Voy. pag. 11.

pertinere, et fuimus dictum capitulum in possessione uel quasi eiusdem a tanto tempore quod de contrario memoria non existit, pacifice et quiete per nos uel per alium in dicto loco et aliis locis Valesii usque ad tempora spoliationis et turbationis predicte, quod est notorium ubique in Valesio et nulla potest tergiuersatione celari. Dantes etiam potestatem dictis nunciis nostris et cuilibet eorum in solidum fidem faciendi de predictis coram quolibet curato ad quem peruenerint, per juramentum suum secundum formam statutorum predictorum, et omnia et singula faciendi que nos totum capitulum facere deberemus in predictis et si presentes essemus, siue sint ea in quibus mandatum speciale requiritur siue ea in quibus sufficiat generale. Et hec omnia et singula omnibus illis quorum interest uel intererit seu interesse poterit volumus fieri manifesta. Promittentes per presentes nos ratum et firmum habituros quicquid per ipsos nostros nuncios uel alterum eorum actum in predictis fuerit seu etiam procuratum. Et si dictus domicellus in sua rebellione perdurauerit ultra mensem, requirantur curati ut denuncietur excommunicatus auctoritate predicti statuti, donec satisfacionem plenariam fecerit de predictis. Intimantes dictis curatis et cuilibet eorum quod si in predictis negligentes fuerint uel remissi, contra eos procedemus et quemlibet eorum quantum fuerit rationis, nostram iniuriam prosequendo eciam contra eos et eorum irregularitatem accusando, quam incurrent tempore dicti interdicti temere celebrando. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Seduni, III° kl. februarii, anno Dni M°CCC°XXI°.

Sceau du chapitre.

1426

Le chapitre de Sion prie l'évêque de ne pas faire cesser, sans jugement, l'interdit prononcé contre la paroisse d'Anniviers en vertu des statuts synodaux.

(1321), 1er février.

Archives de Valère.

Reuerendo in Christo patri et dno suo karissimo dno Ay. Dei gracia Sedun. episcopo G. decanus Valerie, Jo. decanus Sedun., T. cantor Sedun. et totum capitulum Sedun. salutem et cum recommendatione se ipsos paratos ad eius beneplacita et mandata. De consilio peritorum requisiuimus curatum de Aniuesio et alios circumstantes ut occasione spoliationis uel quasi, occupationis et turbationis cancellarie nostre in Aniuesio, quam nobis facit violenter et notorie, prout scitis, Johannes de Aniuesio, nepos vester, debeant statuta synodalia obseruare, que vtique obseruanda sunt in casu presenti, prout patet per statutum synodale quod incipit: Quia eius est interpretari, etc. Quare cum vos paterna solicitudine justicie et pietatis visceribus patefactis debeatis et teneamini nos tanquam filios vestros et jura ecclesie vestre tanquam sponse proprie in sua justicia confouere, vobis supplicamus humiliter et deuote et cum debita instancia vos duximus requirendum eo affectu quo possumus ampliori, ut cessationem faciendam secundum statuta predicta nullatenus reuocetis, suspendatis uel eciam relaxetis sine cause cognicione et nisi partibus vocatis specialiter coram vobis, quia si contrarium ageretis, quod absit, nos intenderemus per vos grauari et favorem prebere parti aduerse, ex quo sequeretur illud inconueniens, quod per Dei graciam adhuc non extitit attentatum, quod de vobis oporteret superiori questionem referre; quod utique si

justa esset nostra querimonia, non esset vobis honorabile nec, ut credimus, fructuosum. Super hiis autem placeat paternitati vestre vestram nobis scribere voluntatem et non displiceat vobis si alios processus contra eum faciamus, quia si negligentes essemus in predictis, possemus a maioribus merito reprehendi. Vobis autem in hiis que nobis mandaueritis semper sumus parati in omnibus obedire. Valeat paternitas vestra per tempora longiora. Datum Seduni, in vigilia Purificacionis.

Adresse : Reuerendo in Christo patri ac dno dno Ay. Dei gracia episcopo Sedun. R. dd.

1427

Faculté de rachat accordée aux enfants de François de Greysier, major de Sion, et à l'évêque de Sion, pour un verger vendu par le premier.

Sion, 1321, 10 février.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°CCC°XXI°, indicione IIII^a^, IIII° idus februarii, in ciuitate Sedun., ante domum Cohorsinorum ciuium Sedun., in presencia mei notarii, etc., constitutis viro nobili Petro de Gresiaco domicello, tutore et tutorio nomine Bertholeti, Ysasabelle et Alisie liberorum quondam nobilis viri Francisci de Gresiaco maioris Sedun., ex vna parte, et Willermo Mannenber fabro, ciue Sedun., ex altera. Cum idem Willermus olim emerit perpetue, ut dicebat, a dicto Francisco quoddam viridarium situm extra portam de Malacuria, iuxta pratum quondam dni Amedei, etc., dictusque Willermus graciam fecerit dicto Francisco specialem, videlicet quod dictus F. reemere et habere posset dictum viridarium pro precio in instrumento vendicionis dicti viridarii contento infra sex annos in eodem

instrumento contentos, idem Willermus ad requisicionem predicti Petri de Gresiaco tutoris, vt supra, volens eidem Petro graciam facere specialem, concessit et contulit eidem, videlicet quod idem Petrus predictum viridarium nomine et ad opus predictorum liberorum reemere et habere possit et debeat ab ipso Willermo uel heredibus suis, infra tres annos in proximo festo natiuitatis Dni incipiendos et subsequentes, pro eodem precio in supradicto instrumento contento tantum. Et si dictus Petrus, nomine quo supra, deficeret in reempcione predicta infra predictos tres annos facienda, idem Willermus concessit ex certa sciencia michi notario infrascripto, stipulanti et recipienti nomine et ad opus reuerendi in Christo patris ac dni dni Ay. Dei gracia episcopi et mense episcopalis Sedun., quod idem dnus episcopus nomine et ad opus dicte mense episcopalis Sedun. dictum viridarium reemere possit infra quartum annum post predictos tres annos proxime subsequentem et in fine dictorum trium annorum proximo incipiendum, pro precio in sepe dicto instrumento vendicionis contento. Promittens idem Willermus, etc. Testes : Jo. de Yuorna, Cottinus de Uerbier, Giroldus mistralis de Olono, P. Putiers et ego Jo. Muumeliani, etc.

1428

L'évêque de Sion suspend provisoirement l'interdit à Anniviers.

1321, 6 mai.

Archives de Valère, D, 34.

Nos Aymo Dei gracia episcopus Sedun. notum facimus vniuersis quod cum ad denunciacionem et instanciam capituli Sedun. in ecclesia de Aniuesio diuinorum organa sint sus-

pensa, cessacione diuinorum siue interdicto auctoritate statutorum synodalium ibidem impositis et obseruatis a festo Purificacionis B. Marie citra, pro eo, prout asserit dictum capitulum, quod nobilis vir Johannes de Aniuisio vicednus dicti loci dictum capitulum spoliauit uel quasi, turbat uel quasi in jure cancellarie dicti loci, quam ad dictum capitulum pertinere dicunt, ipsam cancellariam indirecte occupando uel quasi per sigillaciones litterarum que per ipsum in eorum preiudicium sigillantur, sic quod dictum capitulum dictam cancellariam ita libere non possidet uel quasi sicut antea possidebat, cum hoc anno a percepcione obuencionum dicte cancellarie totaliter sint exclusi propter factum nobilis supradicti; nos inter partes predictas volentes ex officii nostri debito interponere tranquillitatem et pacem, de consensu eorumdem, dictam cessacionem seu interdictum suspendimus in hiis scriptis usque ad dominicam proximam ante festum B. Vrbani[1] inclusiue, ita tamen quod nisi interim fuerit concordatum, elapso dicto termino dicta cessacio seu interdictum obseruetur et sic in eo statu in quo est die presenti, non obstante aliqua appellacione interim interposita uel interponenda per alteram partium predictarum uel alterius cuiuscunque ; que partes appellacionibus interim interponendis renunciauerunt expresse. Actum eciam est de consensu dictarum partium quod super facto principali per nos consilium peritorum habeatur et fiat quod iusticia suadebit, et quod dictus nobilis durante dicto termino cesset a sigillacione litterarum super perpetuis contractibus confectarum et conficiendarum, saluo tamen vtrique parti in omnibus jure suo. Nolumus autem quod per istam suspensionem aliquod jus nouum alterutri parti aquiratur. Nos autem episcopus predictus dicto capitulo promittimus bona fide facere taliter quod de nobis debebit contentari super facto predicto. Datum cum

[1] 24 mai.



apposicione nostri sigilli, die festi B. Johannis ante Portam latinam, anno Dni M°CCC°XXI°.

Sceau pendant. Evêque debout tenant un glaive de la main droite et une crosse de la gauche, un croissant à droite, une étoile à gauche, avec la légende :

... CVRIE DNI EP... DVN. AD : CAVSAS.

1429

Donation faite au couvent d'Interlaken par Jean de La Tour, seigneur de Châtillon, de la part de la fille du comte de Gruyère.

Vallée de Frutigen, 1321, 18 juin.

Archives du canton de Berne. — *Soloth. Wochenblatt*, année 1830, pag. 340.

Ego Johannes de Turre, dnus Castellionis in Vallesio, nobilis, notum facio vniuersis quod ego bona prehabita deliberatione, sciens et spontaneus, dedi, tradidi ac titulo perfecte donationis trado irreuocabiliter presentium per tenorem hon. in Christo Chvonrado preposito et capitulo monasterii Interlacensis, ordinis Sancti Augustini, Lausan. dyocesis, racione elemosine eisdem religiosis ex parte filie Petri comitis de Grvieria presentande, septem lb. redditus sitos in territorio ville Scharnachtal, bonum videlicet in Hoppon annuatim soluens quinque lb. denariorum, quod nunc colunt Burchardus et Ita de Huppon et jure emphytheotico quod vulgo erblen dicitur possident, item bonum ze dem Kenel eodem emphytheotico jure possident; item bonum quod Johannes Vffen dem Buele predicto emphytheotico jure tenet singulis annis quinque sol. denariorum soluens, cum omni jure, campis cultis et incultis, pratis, nemoribus, pascuis, aquis, aquarum decursibus, arbo-

ribus, vsuagiis ac aliis vtilitatibus, pertinenciis et appendiciis quibuscumque, quocumque nomine censeantur dicta bona a dictis religiosis possidenda, vtenda perpetim veri allodii titulo pacifice et quiete. Deuestio igitur me et meos heredes, etc. Promittens, etc. Renuncio, etc. Testes ad hoc vocati et rogati sunt dnus Hesso de Tutingen, dnus Chvonradus de Burgenstein, milites, Rvodolfus de Raron domicellus, Rvodolfus de Scharnachtal, Volricus Stampach et alii fide digni. In huius igitur donationis testimonium et robur perpetuum ego Johannes de Turre predictus sigillum meum pro me et meis heredibus apposui huic scripto. Datum et actum in valle Frutingen, quarto decimo kl. julii, anno Dni M°CCC°XXI°.

Sceau pendant.

Au revers : Littera pro bono in Huppon in Esche.

1430

Jean de La Tour, seigneur de Châtillon, ordonne à ses métraux d'Hérens, d'Ayent et de Granges de remettre leurs recettes à son vidomne de Conthey.

Brigue, 1321, 2 juillet.

Archives de la ville de Sion ; Granges.

Johannes de Turre dnus Castellionis in Valesio dilectis suis Alberto... maiori de Huerens, Johanni de Torrente mistrali meo apud Ayent et Petro Mescler mistrali meo apud Granges salutem et dilectionem. Vobis et vestrum cuilibet mando et precipio quatenus, in quantum meam vultis indignacionem euitare, quatenus de omnibus talliis, seruiciis et aliis vsagiis vniuersis respondeatis, satisfaciatis et persoluatis Jaqueto Wi-

chardi vicedno meo Contegii, et hoc facere non obmittatis, omnibus exceptionibus et dilacionibus postpositis et remotis, scientes quod illud quod eidem deliberaueritis teneo pro soluto et satisfacto tanquam michi. Scientes quod si alicui alii solueritis, vobis et vestrum cuilibet recuperabo dicta vsagia, nisi dicto Jaqueto fuerint soluta, ut superius continetur. Item mando vobis quatenus credatis dicto Jaqueto et Johanni de Grimisua super hiis que vobis oretenus ex parte mea duxerint exponenda, tanquam michi. Valete. Datum apud Brigam, II° die julii anno Dni M°CCC°XXI°.

Sceau rouge, effacé.

1431

Aymon de Morestel de Granges, donzel, reconnait avoir reçu la dot de sa femme Françoise, sœur de François Albi.

Granges, 1321, 7 juillet.

Archives de Valère, Registrum Johannodi de Auboreynges.

Anno Dni M°CCC°XXI°, indicione IIIIª, nonis julii, apud Granges, Aymo de Morestello de Granges domicellus confessus est se recepisse pro dote Francese vxoris sue, sororisque Francisci Albi, quaterviginti lb. et decem lb. Maur., item pro garnimento ipsius Francese XI lb. Maur. Testes : dnus Reymundus curatus de Granges, Willelmus de Morestello frater dicti Aymonis, Franciscus Albi domicellus, etc.

Idem Ay. consideratis bonis seruitiis a dicta Francesa sibi factis dedit eidem in augmentum dicte dotis viginti lb. Maur. semel.

1432

Ordre du comte de Savoie au châtelain de Chillon de respecter les droits du prieur de Lutry à Vionnaz.

Chambéry, 1321, 26 septembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 218, ex arch. status Valesiæ.

Amedeus comes Sabaudie dilecto castellano suo Chillionis, qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, salutem et dilectionem sinceram. Significavit nobis prior Lustriaci, suo nomine et conventus Lustriaci, quod tu impedis ipsum percipere passonagium plani nemoris de Viona, quod ad ipsum prioratum pertinet, prout ex tenore presentium litterarum tam predecessorum nostrorum quam nostri vidimus contineri. Super quo mandamus tibi quod in perceptione passonagii ipsum non impedias, nec passonagii nomine aliquid ibidem percipias usu aliquo per te vel alios officiales nostros, vel jure alio non obstante, nam ut ipsum passonagium habeat de cetero cum ipso duximus componendum. Insuper scias quod dictus prior nobis conquestus est ex eo quod, cum in quadam littera nostra data Chillioni, die veneris ante festum Sancti Laurentii, anno Dni M.CC.XC.III, et in quibusdam aliis litteris quorumdam predecessorum nostrorum, quod si aliquis in parrochia de Viona latrocinium, homicidium vel adulterium commiserit et inde probatus fuerit, prior vel tenens ipsius locum de Viona pro ipso priore debet corpus ipsius malefactoris castellano nostro Chillionis reddere, tu non expectato quod ipsum corpus tibi reddatur, non etiam expectato quod probatus fuerit ipsum maleficum commisisse ipsum delictum, malefactorem capis et captum punis seu puniri facis. Super quo tibi man-

damus quod nos nolumus quod tu ipsos dictos malefactores capias nec manum super ipsos apponas, nisi prius probati fuerint in curia dicti prioris aliquod ex dictis maleficiis commisisse, nisi prius ipsum priorem vel tenentem locum de Viona pro ipso requisieris et in defensionem posueris de faciendo debito jure super ipso maleficio, et de hoc faciendo fuerit negligens, vel nisi malefactor in fuga fuerit manifesta; in quo casu quia fuga ipsum culpabilem ostendit, volumus quod per te et successores tuos capi possit, ut inde fiat quod justitia suadebit. Super aliis autem in prenunciatis litteris nostris contentis, illud obseruari per te et successores tuos volumus quod in ipsis litteris plenius continetur. Datum et actum Chamberiaci, cum appositione sigilli nostri, die XXVI mensis septembris, anno Dni M.CCC.XXI.

Reddantur littere portitori.

1433

Pierre Symonis (de La Tour) donne un cens de 23 sols et 9 deniers à sa fille Françoise, épouse de Pierre de La Roche.

Chamoson, 1321, 8 octobre.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Anno Dni M°CCC°XXI°, VIII idus octobris, apud Chamoson, Petrus Symonis, sanus mente licet infirmus corpore dedit Francesie filie sue, vxori Petri de Rupe, in aventagium aliorum heredum suorum viginti tres sol. et nouem den. Maur. seruicii annualis cum placito, que sibi debebantur apud Vysona. Testes: Girardus de Cors vicarius de Chamoson, Jo. de Mar, etc.

1434

Ordre d'Amédée V, comte de Savoie, à son châtelain de Saint-Maurice de rendre aux syndics de ce lieu les gages qu'il a saisis à leur détriment et de payer aux charretiers le loyer des chevaux qu'il emploie.

Aigle, 1321, 24 octobre.

An. J. de Rivaz, Opera hist., XII, 675, ex arch. oppidi S. Mauricii.

Amedeus comes Sabaudie suo castellano Sancti Mauricii Agaun., qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, salutem et dilectionem sinceram. Ex parte proborum hominum burgensium nostrorum et communitatis ville Sancti Mauricii nobis fuit conquerendo monstratum quod cum ipsi de communi voluntate omnium communitatis eiusdem fecerint exennam seu collectam pro omnibus missionibus dicte ville faciendis, ipsique castellano Sancti Mauricii, videlicet dno Petro Sariodi militi donum fecerant ut compelleret homines aliquos dicte communitatis qui recusant contribuere in collecta predicta; ipse tamen castellanus ipsos compellere recusavit et nichilominus syndicos dicte communitatis compellit per suorum pignorum captionem ad reddendum Jaqueto de Lydes burgensi dicte ville exenam seu collectam per ipsum solutam anno nuper preterito, non obstante quod dicti syndici offerant se paratos cavere de faciendo dicto Jaqueto in curia nostra justicie complementum, non obstante etiam mandato nostro alias castellano Sancti Mauricii facto pro ipsis exenis recuperandis, que mandata nostra facere recusavit. Item exposuerunt nobis quod quandoque idem dnus Petrus castellanus aliquibus pauperibus cadrigeriis dicte ville roncinos suos pro equitatura sue familie abstulit violenter et absque satisfactione aliqua eisdem facienda in grave damnum ipsorum, cum non habeant victum

suum querere aliunde. Quare fuit nobis ex parte dicte communitatis supplicatum ut sibi provideremus de remedio opportuno. Unde nos, volentes eorum supplicationi rationabiliter providere, mandamus vobis quatenus pignora capta communitati seu syndicis Sancti Mauricii occasione predicta reddi et restitui integre faciatis, et quod de cetero compellatis dictum Jaquemodum de Lydes ad contribuendum ex nunc in antea in omnibus exenis seu collectis communitatis predicte, tam ratione hereditatis et bonorum Perrete uxoris sue, quam etiam ratione aliorum bonorum que acquisivit ibidem, vel que acquiret in posterum ullo modo. Mandamus etiam vobis ut si aliquos roncinos ceperitis charrotonis seu cadrigariis predictis pro vecturis aliquibus faciendis vel equitatura vestre familie ullomodo, ipsis charrotonis loggiam ipsorum roncinorum integre persolvatis et a captione huius modi roncinorum abstineatis vestrum quilibet de cetero qui ibidem pro tempore fuerit castellanus, nisi in quantum et prout ipsorum charrotonum et burgensium fuerit voluntatis. Datum apud Allium, die sabbathi, XXIIII die mensis octobris, anno Dni M°CCC°XXI°.

Reddantur littere procuratori et syndicis dicte ville.

Adhucdum supersunt pendentis sigilli principis vestigia.

1435

Donation faite par Jean fils de Jacques, vidomne d'Orsières, à son épouse.

Leytrōn, 1321, 25 novembre.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Anno Dni M°CCC°XXI°, VIII kl. nouembris, apud Leytron, Jo. filius Jacobi vicedni de Orseres dedit Lyonete filie Petri



Symonis de Turre, vxori sue future, et heredibus quos susciperet ab ea, in auentagium aliorum liberorum, si quos ab alia vxore susciperet, XL sol. Maur. annui redditus.

1436

Faculté de rachat accordée aux enfants de François de Greysier pour deux vergers vendus par ce dernier.

Sion, 1322, 11 mars.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni MCCC°XXII°, indicione V^{a}, idus marcii, in domo episcopali Sedun., in presencia reuerendi in Christo patris et dni Ay. Dei gracia episcopi Sedun. ac mei notarii et testium subscriptorum, propter hoc specialiter constituti P. de Gresiaco domicellus, tutor et tutorio nomine liberorum Francisci quondam maioris Sedun., ex vna parte, et Willermus Manenber et Philippus de Nas, ciues Sedun., ex altera, dictus Willermus de gracia speciali concessit dicto P. stipulanti et recipienti nomine quo supra, ut ipse P. uel dicti liberi habere et reemere possint ab ipso Willermo uel eius heredibus, per spacium trium annorum incipiendorum in proximo futuro festo Purificationis beate Marie Virginis et continue subsequentium, quoddam viridarium situm extra portam de Malacuria, iuxta pratum dni Amedei, pro illo eodem precio pro quo ipsum emerat dictus W. a dicto Francisco quondam maiore Sedun., prout in quadam carta cancellarie Sedun. inde confecta plenius continetur. Et dictus Philippus modo et forma predictis concessit dicto Petro, nomine quo supra, quod idem P. uel dicti liberi habere et reemere possint ab ipso Philippo uel eius heredibus, per spacium temporis predicti, quoddam paruum

uiridarium situm ante torcular de Turre pro illo eodem precio pro quo dictus Philippus emerat dictum viridarium a dicto Francisco, prout in quadam carta cancellarie Sedun. inde confecta plenius continetur, vna cum expensis cartarum predictarum. Et hec omnia et singula predicta facta et acta fuerunt de laude et consensu dni episcopi predicti. Et predicti Willermus et Philippus voluerunt et concesserunt quod si prefatus P. uel dicti liberi non reemerent predicta duo viridaria infra predictum tempus, quod dictus dnus episcopus dicta duo viridaria habere et reemere possit pro dicto precio ab eisdem, per spacium vnius anni continui subsequentis. Qui P. de Gresiaco promisit et fideiussit in manu nostra de reemendis dictis viridariis infra predictum tempus per Petrum de Montana clericum jurisperitum, Cottinum de Verbier et Johannerodum de Yuorna. Qui P. nomine quo supra promisit fide sua prestita corporali ipsos fideiussores et eorum heredes obseruare penitus indempnes, sub obligacione omnium bonorum liberorum predictorum. Testes : Perronetus Merlins, Willermetus de Palatio, domicelli de Augusta, Giroldus filius naturalis quondam Aymonis de Gresiaco maioris Sedun., plures alii et ego Jo. Munmeliani, etc.

1437

Pierre de Greysier déclare avoir reçu le prix de l'amodiation des biens des enfants de François de Greysier, pour les deux années écoulées.

Sion, 1322, 16 mars.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°CCC°XXII°, indicione V, XVII kl. aprilis, in domo de Turre Sedun., in presencia mei notarii, etc., constituti vir

nobilis P. de Gresiaco domicellus, tutor et tutorio nomine liberorum quondam Francisci de Gresiaco maioris Sedun., ex una parte, et Cottinus de Verbier et Johannerodus de Yuorna, ex altera, idem P. nomine quo supra confessus fuit ex certa sciencia et publice recognouit se habuisse et recepisse a dictis Cottino et Jo. recipientibus quinquaginta lb. bon. Maur. de fructibus et recollecturis perceptis per ipsos Cottinum et Jo. apud Sedunum per duos annos seu per duas leuatas, a die accensacionis sibi facte per dictum P. nomine quo supra usque in diem presentem, scilicet pro primo anno XXX lb. solutas per ipsos Cottinum et Jo. in diuersis particulis inferius declaratis, scilicet relicte Johannis Frewar ciuis Sedun. XX lb. pro reemptione prati de Condemina, item dno Jo. Herpo canonico Sedun. VI lb., item Coborsinis de Seduno XL sol., item Johanni Anthonii de Vespia XL sol. Et pro secundo anno dicte accensacionis reliquas XX lb. solutas in diuersis particulis per eosdem Cottinum et Jo., scilicet heredibus seu assignatis Reynaldi Segnior LX sol., item Petro de Montano VI lb., item Henriodo de Vernamesia pellipario LX s., item pro torculari quod erat de accensacione ipsorum Cottini et Jo., quod fuit postmodum accensatum Giroldo filio naturali quondam Aymonis de Gresiaco maioris Sedun., XXX sol., item capitulo Sedun. XX sol. pro elemosinis censualibus, item Ardigo Lombardo Peccolerio ciui Sedun. XLII sol., VI den., item Martino Fouchier XVI sol. et IX den., item pro expensis factis in dicto hospicio de Turre pro ipso Petro usque in diem presentem XLII sol., item et residuum in pecunia mutuata per ipsos Cottinum et Jo. dicto Petro. Que omnia predicta soluta per eosdem Cottinum et Jo. confessus fuit dictus Petrus, ut supra, fuisse conuersa in vtilitatem liberorum predictorum, etc. Testes: Theobaldus filius naturalis dicti Petri, Willermodus Mauricii de Nas et dictus Pages famulus predicti P., et ego Jo. Munmeliani, etc.

1438

Faculté de rachat accordée aux enfants de François de Greysier par Ebal de Greysier, sacristain de l'église de Sion.

Sion, 1322, 19 mars.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°CCC°XXII°, indicione V, XIIII kl. aprilis, in domo episcopali Sedun., in presencia reuerendi in Christo patris dni Ay. Dei gracia episcopi Sedun. ac mei notarii et testium subscriptorum, propter hoc specialiter constituti vir ven. dnus Ebalus sacrista Sedun., ex vna parte, et vir nobilis P. de Gresiaco domicellus, tutor et tutorio nomine liberorum quondam Francisci de Gresiaco maioris Sedun., ex altera. Cum dictus tutor nomine quo supra vendiderit perpetue predicto dno sacriste V modios siliginis de blado terre Valesii ad mensuram Sedun. redditus pro precio XLV lb. Maur., de quibus dictus tutor nomine quo supra se tenuit pro soluto, quos V modios dicti bladi redditus dictus tutor nomine quo supra assignauit eidem dno sacriste annuatim percipiendos et habendos super rebus infrascriptis, videlicet super decima bladi de Monte ordei, item super prato de Condeminis sito iuxta pratum heredum Anthonii de Saxo, ex vna parte, et viam de Croseto, ex altera; item super tribus fischilinis siliginis redditus quos debent heredes Bertini custodis de Monte ordei; item super II fisch. siliginis redditus quos debent heredes Peiot; item super II fisch. siliginis redditus quos debet Cristinus li Burros; item super vno fisch. cum dimidio siliginis redditus quos debent heredes a la Vyoleta; item super vno fisch. cum dimidio siliginis redditus quos debent heredes Martini de Venthona; item super vno fisch. cum dimidio siliginis redditus



ad la pia quos debent heredes Arencii de la Mura; item super decima bladi et vini quam dicti liberi habent et percipiunt apud les Corbassieres, prout hec omnia in quadam carta cancellarie Sedun. inde confecta plenius continentur. Idem dnus sacrista volens dictis liberis et tutori predicto nomine eorumdem graciam facere specialem concessit dicto tutori, stipulanti et recipienti nomine eorumdem liberorum, quod ipse nomine quo supra uel dicti liberi predictos V modios bladi redditus habere et reemere possint ab ipso dno sacrista uel eius assignatis pro precio XLV lb. Maur. memorato, vna cum expensis carte supradicte, vsque ad sex annos in proximo futuro festo Annunciationis beate Marie Virg. incipiendos et continue subsequentes. Promittens idem dnus sacrista, etc. Testes: viri ven. et discreti dnus Ebalus Hubodi, Franciscus Benedicti, canonici Sedun., dnus Ansermus curatus de Letron, capellanus dicti dni episcopi, Jacobus de Olono clericus, Willermus de Aniuesio, Johannerodus de Yuorna et plures alii, et ego Jo. Munmeliani, etc.

1439

Accord entre l'évêque de Sion et le major de Moerel, au sujet de la majorie et du vidomnat de ce dernier lieu.

Sion, 1322, 23 mars.

Archives de l'église de Moerel, copie de M. Ferd. Schmid.

Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod vertente discordia seu questione inter rever. in Christo patrem dnum Aymonem Dei gracia episcopum Sedun., ex vna parte, et Jacobum dictum Buos maiorem de Morgia, Sedun. diocesis, ex altera super eo quod dictus dnus episcopus proponebat et asserebat quod prefatus maior in parochia de Morgia et infra limites

tocius maiorie sue nullas clamas recipere debebat, nullumque exercitium jurisdicionis alicuius habebat seu habere debebat, nullumque emolumentum ex ipsa jurisdicione proueniens percipere debebat in mensibus maii et octobris, affirmans dictus dnus episcopus se habere vicedomnatum in tota parochia de Morgia et in omnibus locis consistentibus infra limites maiorie supradicte, et quod racione dicti vicedomnatus omnimoda jurisdicio et ipsius exercicium dictorum locorum in dictis duobus mensibus ad ipsum episcopum solum seu ad alium, qui per ipsum dnum episcopum esset ad hoc specialiter deputatus, totaliter pertinebat; proponebat insuper prefatus dnus episcopus contra dictum maiorem, quod ipse maior in dicto vicedomnatu et exercicio jurisdicionis ad ipsum vicedomnatum pertinentis fuerat nuncius ipsius dni episcopi et vices eius quo ad hoc per spacium tredecim annorum gesserat in totum, receperatque omnes prouentus et emolumenta omnia dicti vicedomnatus ad vicedomnatum predictum pertinentia; quare petebat sibi assignari et restitui et liberari a dicto maiori dictos proventus et emolumenta. Ex aduerso dictus maior proponebat et dicebat quod prefatus dnus episcopus in locis predictis nullum vicedomnatum habebat, negabatque esse supradicta. Insuper asserebat se habere merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdicionem in homines qui fuerunt quondam Johannis Frowwen filii quondam Petri de Subvia de Morgia, quos ipse maior emit ab ipso Johanne; proponebat eciam et dicebat idem maior contra dictum dnum episcopum, quod homines vocati de Telle et homines qui fuerunt quondam Willelmi de Morgia, morantes infra limites dicte maiorie de Morgia, sunt et debent esse de maioria predicta, et quod super dictis hominibus et in eos habet eandem jurisdicionem et exercere potest, quam habet et exercere consueuit in ceteros homines maiorie supradicte. Dicto dno episcopo in contrarium asserente et dicente quod merum et mixtum imperium et juris-

dicio omnimoda hominum predictorum qui fuerant quondam dicti Johannis Frowwen, ad ipsum dnum episcopum integre pertinebat, et quod dicti homines contribuere debebant in leuis, talliis, collectis, missionibus et expensis cum ceteris hominibus maiorie supradicte; dicto maiore hec asserta per dictum dnum episcopum penitus denegante; attendente autem prefato dno episcopo quod intencionem suam plene probare non poterat in predictis, dicta discordia et questiones de consensu expresso dictarum parcium et de consilio peritorum sedate sunt et sopite taliter in hunc modum : Scilicet quod dictus dnus episcopus et sui successores singulis annis eligant vnam diem tantum in mense maii et vnam diem in mense octobris, quam voluerint, quibus diebus ipse dnus episcopus seu qui per eum fuerit deputatus teneat in dicta parochia de Morgia racione vicedomnatus predicti placitum generale pro causis, litibus, discordiis et negociis omnium hominum maiorie de Morgia tocius occurentibus in ipso placito, et in die ipsius placiti generalis et in dictis duabus diebus ad dictum dnum episcopum seu ab eo deputatum pertineat exercicium omnimode jurisdicionis infra limites tocius maiorie supradicte super omnes homines et in omnes, cuiuscumque condicionis existant, et omne emolumentum, omnesque prouentus prouenientes dictis duobus diebus ex mero et mixto imperio et quacumque jurisdicione, cessetque dictis duobus diebus tantum officium maioris, nullasque clamas recipiat, nullamque jurisdicionem exerceat, nullumque emolumentum ex jurisdicione qualibet proueniens valeat percipere vel habere. In ceteris autem diebus tocius anni habeat idem maior in homines qui vocantur de Telle, et in homines omnes qui quondam fuerunt dicti Willelmi de Morgia, ac in omnes homines infra limites dicte maiorie commorantes, cuiuscumque condicionis existant et cuiuscumque sint homines, illam jurisdicionem exerciciumque jurisdicionis cum juribus suis, indebita exactione cessante,

que habere et percipere tamquam maior hactenus consueuit. Et si in quacumque die tocius anni inmineat vidacio pascuorum vel aliorum negociorum, quod per vidacionem expediri solent, facienda infra limites dicte maiorie, dictus dnus episcopus seu ille qui per ipsum ad hoc fuerit deputatus, possit facere dictam vidacionem in qualibet parte anni et in quacumque die anni, et banna exercere que debebuntur vel euenient ibidem racione dicte vidacionis, sint dicti dni episcopi et mense episcopalis, et dictus maior habeat in dictis bannis et exchetis illam porcionem, quam in ipsis habere hactenus consueuit. Insuper idem dnus episcopus et eius successores habeant merum et mixtum imperium et omnimodam jurisdicionem in homines omnes qui olim fuerunt dicti Johannis Frowwon et nunc sunt dicti maioris, et maior habeat in eis exercicium talis jurisdicionis, qualem exercere consueuit tamquam maior in ceteris hominibus maiorie sue, et in bannis, freneriis et exchetis, quod de ipsis hominibus et super ipsis obueniens habeat dictus maior illam porcionem, quam habere hactenus consueuit in ceteris hominibus existentibus in maioria supradicta; quod exercicium vna cum juribus et racionibus suis habeat dictus maior nomine maiorie sue et sicut maior in omnes homines infra limites maiorie sue existentes, seu eciam aliunde venientes et ibidem delinquentes, cuiuscumque condicionis existant, per totum annum, sicut hactenus consueuit, exceptis dictis duobus diebus superius declaratis. Ceterum prefatus dnus episcopus quitauit et remisit eidem maiori quidquid habuit et recepit et minus juste retinuit de bannis et freneriis, si forte aliqua banna vel alia emolumenta racione franeriarum et maleficiorum et jurisdicionis obueniencia infra limites dicte maiorie per ipsum maiorem recepta dicto dno episcopo pro se et predecessoribus suis subtraxit, nec eis aliquatenus assignauit, seu eciam, si propter negligenciam ipsius maioris vel culpam, aliqua banna seu quecumque alia emolu-

menta racione jurisdicionis obueniencia essent deperdita vel minus bene recuperata, pro decem libris Maur. ab eodem maiore dicto dno episcopo, vt asseruit, datis integre et solutis. Insuper predictus maior promisit pro se et suis heredibus eidem dno episcopo pro se et successoribus suis recipienti soluere sibi in perpetuum singulis annis in festo Natiuitatis Dni quinque solidos Maur. seruicii et decem solidos placiti in mutacione dni et vaxalli, nomine et ob racionem pacis et concordie supradicte, vltra omnia alia seruicia et vsagia in quibus dictus maior tenetur alias dicto dno episcopo et eius mense episcopali. Que omnia et singula predicti dnus episcopus et maior laudauerunt, concesserunt, comprobauerunt et expresse consenserunt in eis ; et promisit vtraque pars altera alteri solempniter stipulanti predicta omnia inuiolabiliter obseruare et contra non facere vel venire. Ad hec fuerunt testes vocati et rogati Jac. de Olono, Petrus de Montana, clerici, Cono de Chastel, Willelmus de Aniuesio, domicelli, et ego Amedeus de Reyna clericus, qui iuratus super hoc hanc cartam leuaui et scripsi vice capituli Sedun. cancellariam tenentis. Cui si quis, etc. Actum Seduni in domo dicti dni episcopi, X kl. aprilis, anno Dni millesimo CCC.XX secundo, imperio vacante, predicto Aymone episcopante. Postmodum congregato pluries in ecclesia Valerie capitulo Sedun., serie omnium predictorum eidem capitulo diligenter exposita, tractatuque habito diligenti super hiis in capitulo supradicto, frequenter presente dicto dno episcopo et frequenter absente, dictoque tractatu sepius repetito, attento quod in predictis omnibus videbatur euidens vtilitas mense episcopalis et ecclesie Sedun., dictum capitulum predicta omnia et singula approbauit, laudauit et expresse consensit in eisdem, presentibus testibus viris ven. dnis Girardo decano Valerie, Johanne decano Theutonicorum, Thoma cantore, Joh. Boneti, Jac. de Augusta, Ebalo Hubodi, Petro Escot canonicis Sedun., et quam pluribus aliis canonicis tenentibus

ibidem kalendam, dno Johanne Muto, dno Aymone de Tarentasia, sacerdotibus beneficiatis in dicta ecclesia Valerie, Jacobo de Olono clerico, Johannodo clerico dicto Chaueber, et me Aymodeo de Reyna predicto, qui dictam laudacionem predicti capituli recepi, in choro ecclesie de Valeria, III kl. junii, anno quo supra.

1440

Partage de l'héritage de Pierre Symonis de La Tour entre ses deux filles.

Saxon, 1322, 1 avril.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Anno M°CCC°XXII°, inditione V, prima die mensis aprilis, in castro de Sassons, constituti Jo. filius quondam Ja. vicedni de Orseres et Lyoneta vxor eius, filia quondam P. Simonis de Turre, et P. de Rupe ciuitatis August., nomine suo et Fran. vxoris sue filieque dicti Petri; predicte partes heredes dicti P. super bonis et hereditate ipsius P. ad diuisionem dicte hereditatis deuenerunt in hunc modum, videlicet in prima parte possuerunt et assignauerunt de communi concordia res infrascriptas : primo apud Veysona Ro. dou Bouil et confratres eius, item Jo. lo Poul, item Mar. lo Julienan, Mar. nepotem eius et Vdricum fratrem eius, item P. de Pratis, item vsagia que debent illi dou Bouyl pro rebus de Campo Feurer, item II sol. et II d. seruicii quos debet Martinodus li Julienan, item dimidium fisch. silig. redditus et I d. seruicii quos debet Martinus li Julienan a la Pya, item I lb. piperis quam debet P. de Pratis, item I lb. cumini quam debet Jo. li Poul, item apud Nenda Ansermodum de Fey, relictam P. dou Coudrey, relictam Ay. Simonis de Brignon, item P. Lombardi, relictam Albi de Cirisier, item Giro. de Laley, item Ja. Bochu, item filium P.

de Verney quondam, item I lb. quam debebat Vdricus Agnetis de Nenda, item Thomam Arolliet, item heredes P. dou Crous, item P. Constantini de Brignon, item heredes Borcar de Intermontibus, item dimidium fisch. silig. quem debet Anthonius Albi, item dimidium fisch. fabarum quem debent heredes Anth. de Prato, item III d. seruicii debet W. Rubin, item apud Amagnoc Bertholetum et confratres eius, item W. de Coster de Vertro, item medietatem vinee site subtus viam qua itur versus Herdes a parte orientale et iuxta vineam dictorum Conigum Jo. et Ly., item apud Chamoson vinee de Plantatis et pratum de Glarey et medietas ochie ante domum eorum a parte superiori juxta viam. Item sciendum est quod domus eorum de Chamoson et omnia bona que dictus P. Simonis habebat apud Aserablo tam in blado quam in den. siue aliis redditibus bladi et grumallorum apud Chamoson et redditus vini et les myes ac decima quam percipiunt apud Amagnoc et Willermus mistralis de Veysona remanent commune et indiuisum inter dictas partes tam pro vna quam pro alia. Que quidem res et bona supradicta, exceptis communibus, de voluntate et consensu partium dictarum deuenerunt in partem dicti Perroneti et F. coniugum predictorum et ipsam partem dictus P. accepit in suam et acceptauit.

Le reste manque.

1441

Hommage prêté à l'évêque de Sion par Jean, vidomne d'Orsières.

Sion, 1322, 4 mai.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXII°, indicione V, IIII nonas maii, in domo episcopali Sedun., in presencia reuer. in Christo patris dni Ay. Dei gracia episcopi Sedun. ac mei notarii, etc., con-

stitutus Jo. filius quondam Jacobi vicedni de Orseriis, maritus Leonete filie Petri Symont de Turre domicelli, cum de rebus pluribus hereditatis dicti Petri Symont homagium ligium dicto dno episcopo et mense episcopali Sedun. debeatur, idem Jo. pro se et eius vxore predicta ac pro Perroneto de Ruppe, marito Francesie filie dicti Petri Symont, sororis predicte Leonete, ibidem presente, ac pro ipsa Francesia et heredibus ipsarum sororum dictum homagium manu et ore fecit predicto dno episcopo, recognoscens nomine et ex parte dictarum sororum tanquam auanterius dicti homagii et homo eiusdem plures res supradicte hereditatis dicti Petri et dictarum filiarum suarum fore et esse debere de feudo dicti dni episcopi et mense predicte homagii memorati, quas paratus erat dictus Jo. dicto dno episcopo viare, nominare et limitare loco et tempore competenti sibi per dictum dnum episcopum assignandis. Qui dnus episcopus facto sibi homagio predicto per dictum Jo., ut supra, ipsum Johannem recipientem nomine suo et dictarum sororum ac predicti Perroneti et heredum eorumdem per pollicem de dicto homagio corporaliter inuestiuit, saluo jure suo, mense predicte et alterius ratione. Testes : Willermus de Albignon, Willermus de Aniuesio, Perronetus Merlins, domicelli, Jacobus de Aragnon, Girardus de Dallion, notarii publici, et plures alii et ego Jo. Mummeliani, etc.

1442

L'évêque de Sion rend à Guillaume, sautier de la Soie, tous les biens qu'il lui avait confisqués à cause de ses méfaits.

Sion, 1322, 18 mai.

Liber instrumentorum de Seduno, Bramosio, etc., f. 198.

Nos Aymo miseratione diuina Sedun. episcopus notum faci-

mus quod cum Vallermus salterus de Seya, homo noster ligius, jam dudum homicidia et alia in jurisdictione et districtu nostro perpetrasset, propter que ipse Vullielmus erat corporaliter puniendus et omnia bona mobilia et immobilia nobis juxta consuetudinem patrie Sedun. commissa et excheta fuerunt, que bona tanquam commissa ad manum nostram posuimus, dictus Vullielmus qui de terra nostra a tempore dicti maleficii commissi se hactenus absentauit, nobis fecit per plures venerabiles, nobiles et arduas personas humiliter supplicari vt cum ipse de maleficiis per eum commissis contereret et integre peniteret, nos eidem in (l. non) judicium sed misericordiam vellemus impartiri, nos attendentes dictum Villielmum penitentem contrito animo de commissis et ad memoriam reducentes verbum Saluatoris dicentis : Nolo mortem peccatoris sed magis conuertatur et viuat, penam corporalem eidem Vullielmo de jure infligendam in pe(cu)nariam penam certis ex causis colligimus commutandam, ipsum Vullielmum in ducentis et septuaginta flor. auri nobis applicandis duximus condemnandum ; et tenetur et promisit idem salterus et ydonee fideiussit in manu nostra satisfacere pro predictis delictis ad arbitrium nostrum liberis et consanguineis et aliis de genere occisorum, dantes eidem Vullielmo et concedentes de gratia speciali saltheriam de Seya cum juribus et pertinentiis suis vniuersis et quicquid de bonis immobilibus que fuerunt dicti Vullielmi ante dicta maleficia commissa in nostris manibus tenemus, non autem illa bona que aliquibus personis in feudum concessimus seu aliquo alio tytulo vel alio modo in perpetuum tradidimus et duximus concédenda, ita tamen quod dicta bona que eidem damus et concedimus sint de feudo nostro homagii dicta maleficia ab eo erant commissa de feudo nostro homagii[1], et illa que erant de plano feudo

[1] Le copiste a probablement omis des mots de cette phrase, que je reproduis telle qu'elle est dans la copie.

nostro remaneant de plano feudo sicut ante erant, et dictus Vullielmus est et remanet homo noster ligius et ecclesie Sedun. Et jurauit super sancta Dei euangelia esse fidelis imperpetuum et legalis nobis et predicte ecclesie Sedun. Indulgentes etiam eidem quod omnia debita pecuniaria et redditus quosque que sibi debebantur tempore predictorum delictorum commissorum et ab ipso recuperata non fuerunt, nec a nobis seu ab alio a nobis deputato, et etiam omnes redditus que de bonis quondam suis nobis debentur ad presens, scilicet de illis que alicui in feudum nostrum concessimus vel alio tytulo nec tradidimus nec duximus assignanda, possit dictus Vullielmus dicta debita pecuniaria et redditus prefatos recuperare et habere, quos redditus et debita eidem concedimus et donamus, saluis semper vsagiis nostris in quibus nobis antea tenebatur. Volumus autem et concedimus eidem Vullielmo quod si bona que erant ipsius tempore dicti maleficii commissi, vel aliquid de eisdem bonis, que bona in feudum concessimus seu aliquo alio tytulo tradidimus vel aliter duximus assignanda, possit habere ab eisdem personis vel aliquo ipsorum tytulo emptionis, quod ipsa possit acquirere absque nostris laude, consensu vel successorum nostrorum, ita quod sint de feudo nostro homagii vel de feudo nostro plano, sicut erant tempore quo nobis fuerunt commissa. Hoc etiam addito quod precium quod pro dictis bonis dictus Vullielmus daret prefatis personis, soluere teneatur in manu illius de quo volumus ordinare, vt de ipso pretio emantur possessiones vel redditus perpetuos qui fiant et constituantur imperpetuum de feodo nostro homagii et predicte ecclesie Sedun. Et in predictorum omnium robur et testimonium presentes litteras eidem Vullielmo tradidimus sigilli nostri appensione munitas. Datum et actum Seduni, XVIII die mensis maii, anno Dni M°.CCC°.XX° secundo.

1443

Sentence arbitrale entre les communes d'Albinen et de Dorban, d'une part, et d'Inden, de l'autre, au sujet des pâturages et des forêts.

Louèche, 1322, 16 juin.

Archives de la commune de Louèche-les-Bains, X, 8, vidimus de 1567. Copie de M. Ferd. Schmid.

* Notum sit quod cum discordia moueretur inter communitates hominum de Arbiniong et Dorbong, ex vna parte, et communitatem de Indes, ex altera, super eo quod dicta communitas de Indes petebat a communitate hominum de Arbigniono et de Dorbong habere jus, dominium et rationem in pascuis, nemoribus et pasturagiis que sita sunt ab aqua de Dala superius ascendendo vsque ad villam de Arbiniong et Dorbong et per totam communitatem hominum de Arbiniong et Dorbong, dictis hominibus de Arbiniong et Dorbong negantibus et in contrarium dicentibus. Tandem placuit dictis partibus dictas questiones terminari per viam compromissi, et ideo se compromiserunt in arbitros qui pronunciauerunt quod dicte communitates hominum de Indes et de Arbiniong et de Dorbong debent pascere et pasturare communiter et nemus communiter accipere in loco vocato ou Frachier ab aqua de Dala vsque ad terminos uel metas positos uel positas sub Albis saxis ex transuerso vsque ad balmam de Frachier et vsque ad pedem uel finem de Lescheyry, et a pede de Leschereyx vsque ad dentem Volardt Lentrena Doubomattier. Item pronuntiauerunt quod nemora que sunt sita a predictis terminis superius ascendendo, sint et remaneant perpetue et eisdem vtantur omnes predicte partes et communitates eodem modo et statu in quibus fuerunt vsque ad diem confectionis huius presentis carte. Item pronuntiauerunt quod in nemore vocato nemus de Le-

schercheto quod situm est a termino posito in Nigri Coliri ascendendo vsque ad Bulliet dov Frachier, nulla predictarum partium uel communitatum aliquid accipiant, nec arbores scindant aliquas, nisi ad opus edificandi viam uel semitam de Lescherlettaz. Item pronunciauerunt quod homines communitatis de Indes non debeant facere pascere, nec vti vllo tempore anni in aliqua parte communitatis de Arbiniong et de Dorbong, nisi in loco supradicto dou Frachier. Item pronuntiauerunt quod si sint alique persone singulares dictarum partium que singulariter habeant in communitatem alterius communitatis aliquas terras uel possessiones, quod illis terris et possessionibus vtantur in futurum, prout ad presentem diem fuerunt vsi. Item pronuntiauerunt quod nulla dictarum partium debet ponere bannum in pascuis, terris, nemoribus supradictis, excepto nemore supradicto de Leschercheta. Item sciendum quod procuratores predictarum communitatum recognouerunt quod homines communitatis de Leuca in omnibus supradictis debent pascere, frui, vti et gaudere communiter vnacum communitatibus supradictis in nemoribus, pascuis et pasturagiis supradictis. Testes : Stephanus de Aent domicellus, Thomas Regis, etc., et magister Petrus de Canali de Leuca clericus qui, etc. Actum apud Leucam, sedecimo kl. jullii, de anno Dni millesimo tercentesimo vigesimo secundo, imperio vacante, Aymone episcopante.

1444

Confirmation des droits de l'abbaye d'Abondance, à Saint-Gingolph, au nom du comte de Savoie.

Villeneuve, 1322, 25 juin.

Original dans ma collection.

Nos Galesius de Balma miles, balliuus, et Borsio de la Marz,



judex in Gebennesio et Chablasio pro illustri viro dno (Amedeo) comite Sabaudie, notum facimus vniuersis quod ex parte religiosorum dni Girodi abbatis Habundancie et eiusdem loci conuentus nobis est quedam littera exhibita a dicto dno comite emanata, cuius tenor sequitur in hec verba : — Amedeus comes Sabaudie dilectis fidelibus nostris balliuo et judici Chablasii et Gebenn. salutem et dilectionem sinceram. Ex parte abbatis et conuentus domus Habundancie nobis extitit conquerendo monstratum quod cum ipsi habeant, ut asserunt, merum et mixtum imperium in villa et territorio Sancti Gingulphi super omnes delinquentes ibidem, et famulus dictorum religiosorum nuper cepisset quendam latronem in territorio predicto in quadam domo vbi furtum commiserat, ipsumque duxisset apud Habundanciam punimentum debitum recepturum, tu balliuus dictos religiosos compulisti ad remittendum tibi latronem predictum. Super quo vobis ambobus mandamus quatenus vocato procuratore nostro Chablasii super jure dictorum religiosorum vos taliter informetis quod dictis religiosis in predicto negocio nulla contrarietas irrogetur et jus nostrum ibidem seruetur illesum. Datum Chamberiaci, die VII septembris, anno Dni M°.CCC°. decimo nono. — Petentes a nobis dicti religiosi cum instancia ut secundum tenorem littere supradicte ad informacionem ipsorum recipiendam procederemus, prout nobis videretur debere faciendum. Huius igitur commissionis virtute ad requisicionem religiosorum predictorum ad villam Sancti Gingulphi accessimus, vocatis nobiscum ibidem dno Johanne Albi de Boteria, jurisperito, procuratore dicti dni comitis in partibus predictis, Johanne Reynardi, castellano Chillionis, et Petro de Prissie, mistrale Aquiani, et ibidem procedentes ad ipsam informationem recipiendam pluries vacauimus per plura temporum interualla, et quamuis nos judex predictus et Humbertus dnus Chiurionis, balliuus in partibus predictis tempore predicte littere obtente,

ante ipsius recessum de balliuia predicta, plures testes recepissemus per dictos religiosos productos, per quorum depositionem satis clare patebat intentio ipsorum religiosorum, tamen quia propter multas alias occupationes ipsius dni Chiurionis dictum negocium finem non habuit, nos balliuus et judex predicti nunc presentes ipsos eosdem testes et duodecim alios testes quos in nullo tangit negocium supradictum, per dictos religiosos coram nobis productos, in presencia predictorum procuratoris, castellani et mistralis examinauimus diligenter cum interrogatoriis opportunis, nichil de contingentibus obmittendo, et per ipsorum omnium dicta et depositiones clare inuenimus ipsos religiosos et predecessores eorum habere et ad ipsos pertinere merum et mixtum imperium et juriditionem omnimodam in villa, territorio et parrochia de Sancto Gingulpho, a nanto dicto de Loucon vsque ad pinetum de Aydie, et a summitate montium inferius, in quantum protenditur parrochia supradicta, et ipsos religiosos et predecessores eorum esse et fuisse in possessione pacifica juris exercendi merum et mixtum imperium et juriditionem omnimodam et corporis punimentum in parrochia supradicta, et plures facinorosos ibidem cepisse et ipsos apud Habundanciam duxisse, et in ipsos mutilationem membrorum et extremum supplicium intulisse; et si forte casu aliquo temporibus retroactis aliquis castellanus Aquiani uel Chillionis uel balliui ibidem commorantes aliquem malefactorem uel facinorosum in aliquo loco dicte parrochie ceperint uel captum duxerint, ipsum captum dictis religiosis postea remiserunt punimentum debitum recepturum, et de remissionibus predictis ipsi religiosi nobis in modum probationis plures litteras remissorias ostenderunt. Item produxerunt coram nobis in modum probationis quandam antiquam litteram, cuius tenor inferius continetur: — Notum sit omnibus quod nos Amedeus comes Sabaudie et in Ytalia marchio vidimus quandam cartam per dilectum nostrum

Johannem abbatem Habundancie nobis presentatam, cuius tenor talis erat: — Ne gestarum rerum memoria processu temporis euanescat et pereat, discretorum virorum prudencia solet eam per litteras eternare. Igitur ego Thomas Maurianensis comes et marchio Ytalie cunctis presentibus et futuris insinuo quod venerabilis abbas Habundancie quendam clamorem et querimoniam ad nostram sepissime curiam deportauit, quod castellanus meus de Alingio exactiones quasdam et iniurias in villula Sancti Gingulphi sue domui faciebat. Quidam tamen de meis hominibus exactiones illas, quas abbas iniurias appellabat, me ibidem de jure affirmabant habere. Ad inuestigandum igitur huius rei noticiam fideles meos patrie incolas ante meam feci venire presenciam, per fidelitatem illis precipiens quatinus super huius questione, timore et amore postpositis, pure veritati testimonia perhiberent. A quibus post talem preceptionem pro certo didici quod nichil penitus in eadem villa de jure habeo, preter vnius diei et noctis tractus ante Natale Dni, et quod tribus tantum hominibus qui ad leuandum tractus veniunt cibus necessarius debeatur. Et pro tali consuetudine a cunctis malefactoribus illos deffendere teneor et tueri. Vnde quoniam iniurias comprimere pocius debeo quam leuare, cunctis meis hominibus per fidelitatem precipio ne aliquam vexationem uel iniuriam deinceps ibidem faciant uel fieri ab aliquibus permittant, sed omnibus eos juribus protectionis sue studeant auxilio confouere. Hec recordatio facta est in media villa de Thonuns, multis presentibus et audientibus, anno ab incarnatione M°.CC°.III°, idus marcii. Huius ergo recordationis, ut firma et immobilis in posterum perduraret, cartam fieri precepi et tam testium quam sigilli mei munimine roboraui. Testes sunt Petrus de Compeis castellanus de Fisterna, Marchyo tunc temporis castellanus de Alingio, Vuillermus de Ceruenz, Vuiffredus marescalcus, Petrus del Touet, Vuillermus de Ayma, Stephanus de Rouerea,

Vuillermus Marcheys, Ansermus mistralis del Solsie, Girodus Desseuenay, Morandus de Alingio, Amedeus vicedognus Fisterne et Vuillermus frater eius, Lodouicus de Baiz, Lodouicus de Fisterna, Vuillermus abbas Habundancie et socii eius, Petrus sacrista et Petrus de Lausanna, Willermus prior Pelonis et prior de Thonuns et Odio (cancellarius) et plures alii[1]. — Et sciendum est quod nos Amedeus comes supradictus omnia suprascripta laudamus et concedimus et inuiolabiliter tenere et obseruare promittimus. Datum Auguste, anno Dni M°CC°XXXVIIII°, mense julio, inditione (decima). — Alia vero parte prefati procurator, castellanus Chillionis et mistralis Aquiani pro jure dni comitis, si quod ibidem haberet, inuestigando pluribus dilationibus et deliberationibus prehabitis per plura temporum interualla (testes) plurimos produxerunt, quorum dicta audiuimus et recollegimus, nec per attestationes ipsorum aliquam contrarietatem inuenimus, quin merum et mixtum imperium et omnimoda juridicio dictis religiosis pertineat in predicta parrochia infra limites supradictos. Quibus omnibus sic peractis predictos religiosos, procuratorem, castellanum et mistralem venire fecimus apud Villam nouam ad diem veneris presentem, ad quam diem consilium dicti dni comitis pro aliis negociis dni ibidem conuenire debebat, et dicta die, presentibus ibidem viro venerabili dno Bartholomeo abbate Sancti Mauricii, dno Rodulpho de Chastenay priore Allii, Jacobo Albi de Viuiaco et Guillermo de Castellione, relationem fecimus pro utraque parte de informationibus supradictis et de dictis et attestationibus testium hinc et inde productorum et multa deliberatione prehabita, participato et interueniente consilio omnium predictorum consilium dicti dni comitis ibidem facientium, pronunciauimus et pronunciamus predictos religiosos de jure suo meri et mixti imperii supra-

[1] Cet acte a déjà été publié dans le premier vol. de nos *Documents*, pag. 153, mais d'après une copie peu exacte.



dicti bene et ydonee informasse et predictum latronem eis, ut in commissione continetur, extortum eisdem fore remittendum, ad hoc quod ipsum puniant secundum quod justicia suadebit. Mandantes et precipientes tenore presentium ex vi commissionis predicte castellano Aquiani, quatinus predictum latronem eisdem religiosis aut mandato eorum remittat, nullo alio mandato super hoc expectato. Nomen uero ipsius latronis, prout per inquisitionem nostram reperimus, est Johannes Reynaudi de Allio. Datum Ville noue, cum appositione sigilli curie dicti dni comitis et sigilli nostri balliui predicti, die veneris post natiuitatem beati Johannis Baptiste, anno Dni millesimo tercentesimo vicesimo secundo.

Sceaux tombés.

1445

Extrait du testament d'Aymon de Saint-Léonard, donzel, et donation qu'il fait à Jean de Saillon, donzel.

Saint-Léonard, 1322, 8 août.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 707, ex arch. Valer.

* Anno Dni M°.CCC°.XXII°, inditione V, VI idus augusti, apud Sanctum Leonardum in domo Aymonis filii quondam Nantermi de Sancto Leonardo domicelli, predictus Aymo infirmus corpore suum fecit testamentum. Heredem suum instituit universalem Anthoniam eius sororem. Testes : dnus Henricus curatus de Sancto Leonardo, Johannes de Sallione domicellus, etc.

Anno, die et loco quibus supra predictus Aymo, consideratis seruitiis et curialitatibus sibi sepius impensis a Johanne de Sallione ejus consanguineo, dedit titulo pure donationis facte

inter vivos, laudatione Anthonie sororis sue, predicto Johanni de Sallione domicello totam et universam partem suam alti dominii de Sancto Leonardo et quidquid in dicto dominio juris, rationis, dominii, proprietatis et excheyte ad ipsum Aymonem in dicto dominio spectat ad presens et in futurum, ita tamen quod dicta Anthonia semper sit libera ab omnibus clamis et bannis in quibus incidi posset. Testes qui in precedenti instrumento, et ego Johannes Montismelliani notarius, etc.

1446

Hommage prêté au doyen de Valère par Pierre d'Eyholz.

Sion, 1322, 24 août.

Archives de Valère, Extractus instrum. decanatus Valerie.

Anno Dni M°CCC°XXII°, IX kl. augusti, Petrus de Eischoltz parrochie de Vespia confessus fuit totam decimam quam habet in monte de Sisicz, in dem Ryede et in dem Esche, ab aqua que vocatur Vespia superius vsque ad montem predicti montis, quas decimas solebat tenere Johannes Aspere de Staldon, et quidquid juris et rationis habet idem Petrus in quibuscumque decimis quas habuerit uel acquisierit a Johanne predicto, esse de feodo homagii ligii dni decani Valerie, videlicet de illo feudo de quo est homo ligius dicti dni decani Peterlinus filius Walteri An den Buele de Staldon, et confessus fuit quod predictas decimas et quicquid juris habet in eis, tenet in feudum a dicto dno decano, et pro dictis decimis debet eidem dno decano annuatin XVI modios siliginis seruicii ad mensuram de Vespia. Actum in Seduno



1447

Pontonage de Riddes.

Sion, 1322, 30 octobre.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Anno M°.CCC°.XXII°, inditione VI^a^, III° kl. nouembris, in aula dni episcopi apud Sedunum, constituti Ja. de Anisio et P. de Ponte de Rida et P. dictus Chapuis de Sancto Mauricio. Cum discordia verteretur inter partes predictas super hoc quod dicti Ja. et P. pontonarii petebant dicto P. Chapuis quod ipse duxerit plures mercaturas per viam de Sallyon versus Sedunum, viam pontis de Rida vitando in eorum magnum preiudicium et grauamen, et nunc specialiter duxerit quandam quantitatem castronum pedagium et pontonagium eorum vsurpando. De quibus sibi petebant fieri restitutionem et emendam congruentem. Dicto P. Chapuis in contrarium dicente quod ad predictam emendam non tenebatur, pro eo quod ipse burgensis Sallionis, licet ibi moram non faciat quo ad presens, et plures alias allegationes opposuerit, quare ad predicta non tenebatur, vt dicebat. Tandem post plures altercationes hinc et inde habitas dictus P. Chapuis de jure suo bene certificatus, volens parcere liti et expensis, supposuit se penitus predictorum Ja. et P. bone voluntati et misericordie de predictis, si quid ratione euitationis pontis de Rida eos defraudauerat vsque ad presentem diem, et eis de predicta quantitate castronum obtulit et soluit II sol. VI den., et pro hiis remiserunt sibi quicquid possent petere vsque ad presentem diem ratione predicta. Testes : Ay. et Gonteret de Curia majori, fratres, Stephanus de Sassons clericus, Nicolaus Varifinus ciuis Sedun., et ego Ja., etc.

1448

Statut du chapitre de Sion au sujet des distributions de vin.

Valère, 1322, 3 novembre.

Archives de Valère, G, 18, copie.

Nos Girardus decanus Valerie in ecclesia Sedun., Johannes decanus Sedun., Ebalus sacrista, Thomas cantor, Johannes de Romano monasterio, Ebalus Hubodi, Johannes Boneti, Petrus Falconis, Franciscus de Yporrigia, Petrus Eschot, Petrus de Augusta, Anthonius Hubodi, Johannes de Drona, Petrus de Venthona, Franciscus Benedicti et Aymo Etavaye, canonici ecclesie Sedun., ad sonum campane, prout moris est, congregati in ecclesia Vallerie, in die mensis nouembris qua die consueuimus annis singulis capitulum celebrare, et ibidem capitulum facientes ac affectantes cultum diuinum augeri et vt in ecclesia Sedun. Deo laudabiliter seruiatur, attendentesque quod canonici ecclesiarum, licet in eisdem deseruire teneantur, tamen propter distributiones quothidianas victualium que illis qui certis horis canonicis intersunt, tribuuntur, ad seruicium ecclesie continuum facilius inducuntur, ne illi canonici Sedun. qui eidem ecclesie Sedun. in diuinis officiis imposterum deseruient, distributione vini careant in futurum, in quantum nostre suppetunt facultates, statuimus et ordinamus quod vinum capituli Sedun. in singulis vindemiis colligendum seu aliqua pars ipsius uini non distribuatur de cetero canonicis ecclesie Sedun. seu personis eiusdem ecclesie pro seruicio seu residentia quod vel quam facient in prefata Sedun. ecclesia ante collectionem dicti vini, sed distribuatur tantum illis canonicis qui in dicta ecclesia deseruient et residebunt post collectionem dicti vini, juxta modum et formam retroac-

tis temporibus obseruatam in quantitate consueta diebus singulis distribui vel minori aut maiori, secundum quod nobis dicto capitulo annis singulis collecto vino nostris in vindemiis videbitur faciendum. Et vt hoc presens statutum nostrum firmius imposterum obseruetur, prefatus dnus Girardus decanus Vallerie, de mandato nostro expresso dicti capituli, singulorumque nostrorum predictorum, jurauit super sancta Dei euangelia in animas omnium et singulorum nostrorum quod nos presens statutum inuiolabiliter obseruabimus et firmiter tenebimus, ac obseruari ab omnibus faciemus. Et ad maioris roboris firmitatem hoc prefatum nostrum statutum in hiis scriptis redigi fecimus, sigillique nostri scilicet dicti capituli appensione muniri. Datum et actum in choro dicte ecclesie Vallerie, anno Dni M°.CCC°.XXII°, dicta die tercia mensis nouembris.

1449

Perception d'une dîme papale.

Sion, 1322, 4 novembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXII°, inditione VI^a^, II° nonas nouembris, in camera depicta domus episcopalis Sedun., in presencia reuer. in Christo patris et dni dni Aymonis Dei gracia episcopi Sedun. ac mei notarii, etc., constitutus dnus Dyonisius de Thora canonicus August., procurator destinatus a dno episcopo predicto ad infrascripta, confessus fuit et publice in veritate recognouit se recepisse a dicto dno episcopo et a dno Petro Falconis canonico Sedun., subcollectore prefati dni episcopi decime papalis, quatercentum et triginta quinque flor. boni auri puri et legitimi ponderis et IX lb. et IIII^or^ sol. gros-

sorum Turon. cum vno Turone grosso et XII den. Maur., computato floreno eidem dno Dyonisio VII sol. et IX den. Maur. et solido grossorum Turon. VII sol. et II den. Maur. De qua quantitate flor. tradidit dictus dnus episcopus dicto dno Dyonisio XL flor. auri, quos ipse dnus Dyonisius recepit nomine dicti dni episcopi ab Herodo Lombardo mercatore ciue Sedun. per manum dni Ansermi capellani dicti dni episcopi, et residuum dicte quantitatis auri et totum argentum predictum recepit prefatus dnus Dyonisius a predicto dno P. Falconis, prout ibidem dnus Dyonisius confitebatur et recognoscebat. Et est sciendum quod de dictis quantitatibus flor. et Turon. receperat dictus dnus P. a curato de Aragnon nomine dicti dni episcopi pro decima ipsius dni episcopi XXV lb. Maur., et a Johanne de Drona canonico Sedun. ex parte dni Johannis de Romanomonasterio XXV lb. et X sol. Maur. de decima papali quam ipse Jo. collegerat. Quam summam auri et argenti idem dnus Dyonisius promisit, bona fide prestita corporali in manu dicti dni episcopi recipientis nomine suo et ad opus dni pape et receptorum suorum decime papalis ac sub obligatione omnium et singulorum bonorum suorum, integre persoluere et deliberare nomine et ex parte prefati dni episcopi receptoribus decime papalis predicte super hoc deputatis, et de solutione predicta litteras dictorum receptorum decime papalis eidem dno episcopo impetrare ab eisdem et aportare uel mittere dicto dno episcopo litteras predictorum de receptione et solutione pecunie supradicte. Testes : dnus Ansermus curatus de Letrono predictus, dnus Pelerinus capellanus dni episcopi August., dnus Martinus curatus de Vila, dnus Ay. de Tarentasia, capellani dicti dni episcopi Sedun., magister Petrus de Cognia phisicus et plures alii. Et ego Jo., etc., rogatus a dictis dno episcopo, dno P. Falconis et dno Dyonisio hoc instrumentum, etc.

1450

Guillaume de Platea et Antoine Richard reconnaissent devoir à l'évêque de Sion 50 sols pour le plaid de Poncirro (Baltschieder).

Sion, 1322, 9 novembre.

Archives de Valère.

Nos Aymo Dei gracia Sedun. episcopus notum facimus quod coram nobis in iudicio Willermus de Platea et Anthonius Richardi de Simplono confessi fuerunt se debere quilibet ipsorum dno Jacobo Hubodi, curato de Heruens, mistrali nostro, et ad opus nostri quinquaginta sol. Maur. ratione placiti nostri generalis de Poncirro pro rebus nostris feodalibus emptis per dictum Willermum ab Anthonio predicto. Quos quinquaginta sol. in quibus nobis tenetur dictus Willermus et alios quinquaginta sol. in quibus nobis tenetur dictus Anthonius, promiserunt soluere eidem dno Jacobo in proximo festo Purificationis B. Marie Virg. Pro quibus solucionibus certius perficiendis Willermus de Aniuesio domicellus pro dicto Willermo et Johannes de Mulimbasc domicellus pro dicto Anthonio se fideiussores constituerunt. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Seduni, V idus nouembris, anno Dni M°.CCC°.XXII°.

1451

Barthélemi Grandi, maître de l'hôpital de Saint Jean de Jérusalem de Salquenen, reçoit au nombre des frères Jean de la Souste, de Brigue.

Salquenen, 1322, 4 décembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 711, ex arch. communitatis Sarqueni.

In nomine Dni, Amen. Anno Dni M.CCC.XXII, indictione V^a^,

die vero sabbathi ante festum B. Nycolai, in domo Sancti Johannis de Jerusalem apud Sarqueno, in presentia Johannis Matricularii levatoris constitutus venerabilis vir frater Bartholomeus Grandi preceptor et magister dicti hospitalis, ex una parte, et Johannes de Susta de Briga, ex altera. Cum idem Johannes hanc devotionem bonam habeat ad ordinationem dicti hospitalis et subire ipsum ordinem, ut vitam duceret honestam et contemplativam, idem frater Bartholomeus preceptor, videns et attendens suam bonam voluntatem quam ad ordinem habet, precibus et cum magna requisitione dicti Johannis, ipsum Johannem in dicto ordine recepit tanquam fratrem et redditum dicti ordinis una cum rebus infrascriptis. Volens et concedens quod quandocumque placuerit dicto Johanni intrare dictum ordinem et ibidem mansionem facere, quod percipiat victum et vestitum, prout unus frater ipsorum in ordine supradicto. Cui hospitali, receptione predicta facta per dictum Bartholomeum preceptorem ut supra, idem Johannes, laude et consensu Franchini de Crista tútoris sui, dedit et contulit donatione pura et mera facta et habita inter vivos et ex nunc in antea perpetue valitura octo fichillinos siliginis annui redditus mensure de Briga; de quibus octo fichillinis debentur sex fichil. apud Guywoys in parrochia de Morgia... alios autem duos fichil. contulit percipere super omnibus bonis suis. Quos quidem octo fichil. annui redditus hospitale Sancti Jacobi de Collibus montis de Briga annuatim percipiat ad opus hospitalis de Jerusalem et recuperet redditum supradictum. Item actum est inter dictum preceptorem et dictum Johannem quod, si contingeret dictum Johannem vestes dicti ordinis assumere et habitum et perpetue ibidem permansurum, ipse Johannes voluit et concessit quod postquam dictum habitum tenere vellet et remanere in dicto ordine, quod predictum hospitale Beati Jacobi de Collibus, ad opus ut supra, post decessum ipsius Johannis habeat et percipiat centum sol. Maur.

annui redditus super omnibus bonis suis una cum blado nunc perpetue concesso supradicto. Pro quibus octo fichilinis redditus datis nunc et concessis, ut supra, dictus frater Bartholomeus preceptor fecit gratiam specialem dicto Johanni pro supradicto ordine assumere; de quo si dicto Johanni melius placeret dictum ordinem intrare et habitum ordinis assumere, quandocumque voluerit, ex nunc in antea et ibidem permanere, vel si melius placeat ipsum relinquere, sit ad arbitrium sue voluntatis intrandi et exeundi, prout sibi melius videbitur expedire, antequam habitum prefati ordinis accipiat supradictum; quod si frater receptus ordinis ut supra, dictus vero redditus bladi dicto hospitali ex nunc in antea permaneat; sed dicti centum solidi perpetue post eius mortem concessi cessarent, si ipsum contingeret secularem permanere et ab ordine recedere supradicto, ut superius est expressum. Que omnia promiserunt, etc. Ad hec fuerunt testes vocati et rogati qui sic vocantur: Frater Berengerius ordinis predicti, Warnerius de laz Berclaz de Sarqueno, Petrus de Lapide de Riede, Petrus de Rubre et ego Johannes filius Martini Fabri de Leuca clericus, etc.

Le dit Jean de la Souste se maria avec Béatrice de Gignot, d'Aoste; peu après ils divorcèrent et enfin se réconcilièrent en 1324.

1452

Le curé d'Anniviers est cité à comparaître devant l'évêque de Sion au sujet de l'interdit de sa paroisse.

Sion, 1322, 17 et 20 décembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Ay. Dei gracia Sedun. episcopus vicario de Aniuesio salutem in Dno. Citetis peremptorie coram nobis Sedunni ad diem lune

proximam dnum Willermum curatum de Aniuesio petitionibus viri nobilis Johannis dni de Aniuesio, super eo quod iniuriose in preiudicium et grauamen dicti dni longo tempore cessauit et adhuc cessat a diuinis in ecclesia parrochiali de Aniuesio, prout asserit dictus dnus, nec non super aliis petitionibus quas facere voluerit dictus dnus, responsurum quantum fuerit rationis. Datum Seduni, die veneris proxima ante festum beati Thome apostoli, anno Dni M°.CCC°.XXII°. R(edde) litteras sigillatas.

Continuatio dicte citationis

In causa que uertitur coram nobis Ay. Dei gracia episcopo Sedun. inter Johannem dnum de Aniuesio, ex vna parte, et dnum Willermum curatum dicti loci, ex altera, est continuata presens dies ad diem mercurii proximam sub spe pacis et concordie de consensu parcium predictarum, causa manente in eodem statu in quo erat die presenti, et ad procedendum ulterius ut ius erit. Datum Seduni, XIII kl. januarii, anno Dni M°.CCC°.XXII°.

1453

L'évêque de Sion charge son chapelain Anselme de juger la cause qui existe entre le donzel Jean d'Anniviers et le curé de ce lieu.

Sion, 1322, 22 décembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Aymo miseratione diuina Sedun. episcopus dilecto nostro dno Ansermo capellano nostro, curato de Letron, salutem in Dno sempiternam. Causam seu questionem coram nobis uertentem inter nobilem virum Johannem de Aniuesio domicellum, ex vna parte, et dnum Willermum curatum de Aniuesio, vobis

tenore presentium committimus audiendam, discernendam et fine debito terminandam, donec ipsam ad nos duxerimus reuocandam. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Seduni, die mercurii proxima ante festum Natiuitatis Dni, anno eiusdem M°.CCCXXII°.

1454

Le curé d'Anniviers et le chapitre de Sion ne veulent pas reconnaître le curé Anselme comme juge délégué dans la cause qu'ils soutiennent contre le donzel Jean d'Anniviers.

Sion, 1322, 22 décembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

In causa que uertitur seu uerti speratur coram nobis Ansermo curato de Letron, commissario in hac parte dato a reuer. in Christo patre dno Ay. Dei gracia Sedun. episcopo, inter Johannem de Aniuesio domicellum, ex vna parte, et dnum Willermum curatum de Aniuesio et capitulum Sedun., ex altera, presenti die dictis partibus presentibus coram nobis protestati fuerunt dicti curatus et capitulum quod per ea que dicerent, proponerent et facerent coram nobis, non intendunt in nos tanquam in iudicem consentire, siue interloquutoria ferretur per nos contra ipsos siue pro ipsis. Quam protestationem volunt intelligi et esse repetitam quociens comparebunt in iudicio coram nobis et pro repetita haberi. Et est assignata dictis partibus per nos dies sabbati post Epiphaniam Dni ad deliberandum ex parte dicti curati super petitionibus dicti Johannis de Aniuesio, nobis per X dies ante tradendis in scriptis non in forma libelli sed simplicis petitionis et in actis curie nostre redigendis et per nos dicto curato vel capitulo si pecierint. Et est sciendum quod facta fuit copia dicto curato

commissionis nobis facte citationis et memorialis presentis diei, super qua commissione assignata fuit dies sabbati predicta ad deliberandum ex parte dicti curati. Datum Seduni, die mercurii ante Natiuitatem Dni, anno Dni M°.CCC°.XXII°.

1455

Réclamation de Jean d'Anniviers contre le curé de ce lieu au sujet de l'interdit ecclésiastique.

Sion, 1322, 30 décembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Petitio dni de Aniuesio in forma simplicis petitionis.

Coram vobis reuer. in Christo patre ac dno dno Aymone Dei gracia episcopo Sedun. dicit et in aure proponit nobilis vir Johannes dnus de Aniuesio contra dnum Willermum curatum ecclesie dicti loci, quod cum idem Jo. esset in possessione uel quasi juris audiendi in dicta ecclesia diuina officia ac percipiendi ecclesiastica sacramenta, cum sit parrochianus dicte ecclesie, dictus curatus cessauit per XX menses elapsos et ad huc cessat in dicta ecclesia, in qua beneficiatus est, a diuinorum officiorum celebratione sine causa manifesta et rationabili in dicti nobilis iniuriam, preiudicium et grauamen, dictoque nobili, vxori atque familie sue parrochianis suis subtraxit indebite et requisitus denegauit diuina officia et alia sacramenta ministrare, non admittendo ipsos ad predicta, sed eosdem a predictis omnibus excludendo, dictum nobilem sua possessione uel quasi juris predicti audiendi et percipiendi predicta indebite spoliando. Quare agit dictus nobilis contra dictum curatum tanquam ille cuius interest, petens ipsum curatum sententialiter condempnari ad hoc quod ipsum nobilem

in pristinam possessionem uel quasi juris predicti et percipiendi predicta restituat et reducat, compellique per vos celebrare modo debito ac more solito in predicta ecclesia diuina officia, ut tenetur, ac ministrare eidem nobili parrochiano suo ecclesiastica, prout decet et conuenit, sacramenta, nec non et desistere ab iniuriosa cessatione predicta. Hec dicit et petit dictus nobilis in forma simplicis petitionis, vestrum officium implorando in hiis in quibus fuerit implorandum, saluo sibi in omnibus juris beneficio addendi, mutandi, minuendi et alterius petitionis, si necesse fuerit, faciende, non astringens se ad probandum nisi ea tantum que sibi sufficient de premissis, petens expensas iam in lite factas, super faciendis vestrum officium implorando. Protestatur etiam de dampnis, iniuriis, interesse et expensis petendis et prosequendis loco et tempore competenti eidem nobili competentibus ob iniuriosam cessationem predictam. Datum Seduni, die jouis post festum Natiuitatis Dni, anno Dni M°.CCC°XXII°.

1456

Taille due à Jean de La Tour, chevalier, dans les paroisses de Saint-Martin d'Hérens et de Saint-Romain d'Ayent.

1322.

Archives de Valère. — Furrer, *Urkunden*, 105 [1].

Hee sunt particule tallie albergamenti de Turre facte per nobilem virum dnum Johannem de Turre, militem, super homines suos talliabiles parrochie Sancti Martini de Heroens et

[1] La copie publiée par P. Furrer ne contient pas l'indication de ce qui est dû par chaque taillable, et les noms de ces derniers sont disposés dans un ordre différent.



parrochie Sancti Romani de Ayent. Que tallia facta fuit per ipsum dnum Johannem anno currente M°CCC°XX° secundo. Que tallia fuit extimata per ipsum dnum Johannem ad quater viginti lb., de quibus homines de Heroens debent soluere duas partes et homines parrochie de Sancto Romano de Ayent aliam terciam partem, tam in descendendo quam ascendendo. De quibus duabus partibus dicte tallie homines de Heroens soluunt et soluere debent perpetue tam descendendo quam ascendendo particulariter per casamenta vt sequitur in hunc modum.

Primo feudum de Syrro VIII s., VII d.
Item feudum de Heremencia IX s., IX d.
Item feudum Brunicardi IX s., IX d.
Item feudum Symonis IX s., IX d.
Summa XXXVII s. et X d.
Item Giroldus Butodi de Soen X s.
Item Johannes Fontaneis pro feudo Alereter VI s.
Item Albertus Fontaneis X s.
Item Bertholdus dEysons pro feudo a Lagnesola X s.
Item Durandus de Coster pro feudo eis Costergiers XXXVII s.
Item li Col de Tragnyes X s.
Item li Mellereis XLVII s.
Item li Pastoreis XLIIIII s.
Item Johannes de la Lueth IIII s., VI d.
Item Mauricius de Mascherel XVII s.
Item Willermeta dou Colot XVII s.
Item Johannodus filius Johannis Benedicti XXIIII s.
Item Willermus Daylleis pro feudo eys Daylleis XXIIII s.
Item Willelmus Falqueis XLI s.
Item Johannes li Chaugnos et li Dus XVIII s.
Item li Dontz Bornous X s.
Item li Cristineis XLI s.
Item li Barbuz V s.

Item li Pas V s.
Item Cristinus de Prato Lunyn XXIIII s.
Item li Mahencheis XXIIII s.
Item Alba dou Larsey XXII d.
Item li Jaugna dou Larsey XXII d.
Item Petrus filius Fortis pro sua responderia IX lb. et XVII s.
Item Petrus Grumeil X s.
Item Johannes Glacier IIII s.
Item Mauricius Giraldi X s.
Item Albertus Branyour XXVII s.
Item li Bramyers XXXVII s.
Item li Martiners XXXVII s.
Item Martinus Rubelin pro feudo Walandi de la Jour VI s.
Item Willermus de Marthemos CXVIII s.
Item Rodulphus mistralis pro sua mistralia VIII lb., XII s.
Item Willermus de Saxo VII s.

1457

Le procureur du chapitre de Sion demande à être admis comme défenseur du curé d'Anniviers dans la cause de l'interdit de cette paroisse.

Sion, 1323, 8 janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Protestatio capituli et petitio eius quod admittatur ad defensionem dicte cause pro dicto curato.

Coram vobis discreto viro dno Ansermo curato de Leytron, cappellano reuerendi in Christo patris dni Ay. Dei gracia episcopi Sedun., commissario, ut dicitur, a dicto dno episcopo in causa que uertitur seu uerti speratur inter nobilem virum Johannem vicednum de Aniuex domicellum, ex vna parte, et

dnum Willermum curatum de Anines, ex altera, super petitione dicti nobilis que talis est. (V. N° 1455, pag. 364.)

Proponit dnus Ebalus Hubodi canonicus Sedun., sindicus et procurator capituli Sedun., nomine dicti capituli, saluis suis exceptionibus et defensionibus declinatoriis, dilatoriis, peremptoriis et mistis et aliis quibuscunque, quod cum ad instanciam dicti capituli in ecclesia de Aniuesio diuinorum organa sint interdicta et interdictum generale obseruatum per XXIII menses elapsos uel circa, pretextu quarumdam constitutionum episcopalium et synodalium, et eorum intersit ne aliquid fiat per dictum curatum nisi in quantum de jure permittitur, propter quod dictum interdictum in toto vel in parte eneruetur uel inutile dicto capitulo reddatur, quod fieret si dictus curatus compelleretur per vos ad faciendum ea que in dicta petitione continentur, petit dictus procurator et sindicus, nomine quo supra, per vos, dne judex, se admitti primo ad defensionem dicte cause, cum sua intersit defendere dictam causam et posset dicto capitulo fieri preiudicium, si se non opponeret defensioni cause predicte, cum sciat eam moueri, et si dictum curatum permitteret experiri, cum dicti capituli intersit se ad defensionem dicte cause admitti, petit per vos se dictum sindicum ad defensionem dicte cause debere admitti et super hoc petit dictus sindicus dictum nobilem interrogari et prestari debere per ipsum calumpnie juramentum. Et si forte post prestitum per ipsum nobilem calumpnie juramentum idem nobilis negauerit dicti capituli interesse se defensioni dicte cause opponere, negata se offert probaturum dictus sindicus incontinenti uel infra dilationem a jure concessam seu vestro arbitrio concedendam et juris permissionem. Datum Seduni, die sabbati post Epiphaniam Dni, anno Dni M°.CCC°XXIII°.

1458

L'évêque de Sion établit Guillaume de Lutry, official de Lausanne, pour juger la cause de la chancellerie d'Anniviers.

Sion, 1323, 21 janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°XXIII°, ind. VIa, die veneris ante festum beati Vincencii, in camera episcopali Sedun., in presencia mei notarii et testium subscriptorum, commisit verbotenus reuer. in Christo pater dnus Ay. Dei gracia Sedun. episcopus ven. et discreto viro dno Willermo de Lustriaco, officiali Lausan., presenti et recipienti, vices suas totaliter super imploratione sui meri officii facta eidem dno episcopo per Willermodum de Sala et Johannodum Vouter parrochianos de Aniuesio, vt dictus officialis possit facere omnia quecumque faceret aut facere posset seu deberet super facto supplicationis et officii implorationis Willermodi et Johannodi predictorum, si presens esset. Ad hoc fuerunt testes vocati et rogati vir ven. et discretus dnus Aymo de Turre canonicus Sedun., curatus de Leuca, et viri nobiles Franciscus Albi de Granges, Willermus de Aniuesio, Johannes de Valle pelina et plures alii, et ego Jo. Munmeliani, etc.

Anno et die quibus supra, reuer. in Christo pater dnus episcopus predictus commisit uerbotenus ven. et discreto viro dno officiali Lausan. predicto causam uertentem inter nobilem virum Johannem de Aniuesio domicellum, ex vna parte, et ven. virum dnum Ebalum Hubodi canonicum Sedun., procuratorem seu syndicum capituli Sedun. defensoris curati de

Aniuesio, ex altera, audiendam et fine debito terminandam, donec ipsam ad se duxerit reuocandam. Testes: vir ven. dnus Aymo de Turre canonicus Sedun., Willermus de Aniuesio, F. Albi, P. Merlini, domicelli, et plures alii.

1459

Articles produits par le procureur de Jean d'Anniviers contre le curé de ce lieu au sujet de l'interdit, avec les réponses du chanoine Ebal Hubodi comme défenseur du curé.

Sion, 1323, 24 janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Hee sunt positiones quas coram vobis dno officiali Lausan., commissario in hac parte reuer. in Christo patris et dni dni Ay. Dei gracia Sedun. episcopi, facit et, si negentur, probare intendit dnus Jo. Giroldi legum professor, procurator et procuratorio nomine nobilis viri Johannis dni de Aniuesio, in causa que coram vobis uertitur inter ipsum, nomine quo supra, et dnum Ebalum Hubodi canonicum Sedun., defensorem et nomine defensorio dni Willermi curati de Aniuesio.

In primis ponit idem dnus Jo. nomine quo supra quod dictus nobilis audiuit diuinum officium matutinarum in ecclesia de Aniuesio. — Dubitat.

Item ponit quod per plures vices audiuit predictum officium.

Item quod est parrochianus de Aniuesio. — Credit.

Item quod fuit semper a decem annis citra.

Item quod dictus dnus Willermus est curatus dicte ecclesie de Aniuesio. — Credit.

Item quod fuit curatus quindecim anni sunt elapsi. — Credit.

Item ponit descendendo de tempore.

Item quod dictus curatus celebrauit et dixit dictum officium matutinarum in dicta ecclesia pluries presente dicto Johanne dno de Aniuesio. — Credit ante cessationem de qua agitur.

Item a decem annis citra.

Item quod dicto curato dictum officium solempniter celebrante, clero et populo, dictus nobilis audiuit dictum officium in ecclesia predicta. — Credit ut supra.

Item ponit quod pluries audiuit dictum officium.

Item ponit quod dictus curatus celebrauit missarum solempnia in dicta ecclesia presente dicto Jo. — Credit quod ante cessationem.

Item quod dictus Jo. audivit in dicta ecclesia missam a curato predicto. — Credit ut supra.

Item quod a X annis citra.

Item ponit quod pluries audiuit diuinum officium misse in dicta ecclesia.

Item ponit et eadem de quolibet diuino officio cuiuslibet hore diei, videlicet prime, tercie, meridiei, none, vesperarum et completorii, et interrogetur singulariter et sigillatim de qualibet hora diei predicta. — Credit quod aliquociens ante cessationem.

Item ponit quod dictus nobilis confessus fuit peccata sua dicto curato suo de Aniuesio. — Credit ut supra.

Item ponit quod pluries.

Item ponit quod a X annis citra.

Item ponit quod dictus curatus eidem nobili penitenciam salutarem iniunxit. — Credit ut supra.

Item ponit quod dictus curatus ministrauit eidem sacramentum eucharistie. — Credit ut supra.

Item ponit quod pluries.

Item quod a X annis citra.

Item ponit quod dictus curatus predicauit pluries in dicta ecclesia uerbum Dei. — Credit.

Item ponit quod presente dicto nobili. — Credit.

Item ipso dictam predicationem audiente. — Credit ut supra.

Item ponit quod de predictis est vox et fama publica in loco predicto. — Credit ut supra.

Item ponit quod dictus curatus requisitus super hoc denegauit eidem nobili diuina officia predicta celebrare in dicta ecclesia presente dicto Jo. — Dubitat.

Item quod a XX mensibus citra.

Item ponit quod quando dictus curatus celebrauit diuina officia in dicta ecclesia, quod dictum nobilem recusauit admittere ad ipsa.

Item quod januas dicte ecclesie clausit.

Item quod claudi fecit. — Dubitat.

Item ponit quod predicta fecit a XX mensibus citra. — Credit quod durante dicta cessatione.

Item quod presente dicto nobili in ecclesia dicere uel celebrare noluit predicta diuina officia. — Credit ut supra.

Item quod ipsum exire fecit tunc temporis de ecclesia dicendo eidem : Dne, exeatis de ecclesia, quia non celebrarentur in vestra presencia diuina officia. — Dubitat.

Item ponit quod dictus curatus recusauit audire confessionem dicti Jo. nobilis a XX mensibus citra. — Dubitat.

Item quod dictus nobilis ipsum super hoc requisiuit.

Item quod predicare uel penitenciam dicto Jo. iniungere pro peccatis suis recusauit. — Dubitat.

Item quod super hoc fuit pluries requisitus.

Item ponit quod sacramentum eucaristie dicto nobili ministrare recusauit parrochiano suo. — Credit durante cessatione.

Item ponit quod dictus curatus fuit tempore debito super hoc requisitus.

Item ponit quod a XX mensibus citra fuit super hoc requisitus.

Item ponit quod dictus curatus cessauit a diuinis officiis et ecclesiasticis sacramentis in ecclesia predicta per XX menses nuper elapsos. — Credit, nisi quando fuit suspensus.

Item ponit quod adhuc cessat. — Credit.

Item quod ad requisitionem tantum uel denunciationem dnorum de capitulo asserencium dictum capitulum spoliari uel turbari.

Item ponit quod sine causa manifesta. — Non credit.

Item ponit quod sine iusta causa. — Non credit.

Item quod hec predicta fecit indebite. — Non credit.

Item quod cessauit propria auctoritate. — Non credit.

Item quod sine dni episcopi mandato cessauit. — Credit quod cessauit auctoritate statuti synodalis.

Item ponit quod recusauit vxorem dicti nobilis admittere ad diuina officia in ecclesia predicta.

Item quod debito tempore requisitus denegauit dicte vxori parrochiane sue ministrare sacramentum penitendi. — Dubitat.

Item sacramentum eucaristie. — Dubitat.

Item ponit quod a XX mensibus citra.

Item ponit quod recusauit familiam dicti nobilis admittere ad diuina officia. — Dubitat.

Item quod recusauit eiusdem familie ad sacramentum penitencie admittere.

Item quod recusauit eidem familie a qualibet persona, postquam specialiter et singulariter requisitus fuit, ministrare tempore debito sacramentum eucaristie.

Item ponit quod a XX mensibus citra.

Item ponit quod predicta fecit in iniuriam dicti nobilis. — Non credit.

Item quod predicta cessatio uertitur in preiudicium dicti nobilis.

Item ponit quod predicta sunt publica et notoria. — Credit quo ad confessata.

Item quod cessauit et cessat in dicta ecclesia dictus curatus ad requisitionem seu denunciationem dnorum canonicorum de capitulo, videlicet Petri de Venthona et Francisci Benedicti, asserencium capitulum spoliari uel turbari in jure suo chartrarum et cancellarie predicte per factum sigillationis dicti Jo. ut dicebant. — Credit quod cessauit quia constabat tunc dicto curato de spoliatione et turbatione manifesta facta dicto capitulo.

Nec astringit se ad probandum omnia predicta dictus procurator, nisi in quantum sibi sufficient de predictis coniunctim uel diuisim.

Ces articles ont été produits dans une séance du lundi avant la fête de saint Charlemagne (24 janvier) 1323; le même jour le procureur du chapitre fit les réponses qui suivent la plupart des articles.

1460

Information sur le droit de chancellerie que le chapitre de Sion possède dans le Val d'Anniviers.

1323, janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Informatio iudicis ex parte capituli de jure suo ad tractandum de concordia inter partes.

Episcopus Sedun., qui est princeps in maiori parte episcopatus sui, habebat merum et mixtum imperium in quadam valle sui principatus, habebat eciam in eadem cancellariam, id est dicere quod suum cancellarium constituit per cuius manum seu per deputatos per ipsum cancellarium conficiuntur omnia instrumenta super omnibus alienationibus perpetuis et testamentis que fiunt in illa valle, que instrumenta

de consuetudine approbata et prescripta legitime vim habent instrumentorum publicorum, et ad dictum cancellarium pertinet omnis utilitas proueniens ex dicta cancellaria et ex confectione dictorum instrumentorum. Capitulum ecclesie Sedun. habuit et optinuit antiquitus in feudum ab episcopo Sedun. dictam cancellariam et officium eiusdem, omneque emolumentum ex dictis cancellaria et officio proueniens, dictumque capitulum ab antiquo consueuit reddere dicto episcopo vnum canonicum, qui dicto episcopo fecit et facit homagium ligium pro dicto feudo, illoque decedente dictum capitulum vnum alium canonicum reddere consueuit, et fuit dictum capitulum in possessione dicti feudi tanto tempore cuius contrarii memoria non existit. Nunc de nouo episcopus Sedun. qui nunc est, dedit in feudum Johanni de Aniuesio jurisditionem temporalem dicte vallis, retentis sibi bonis, rebus, seruiciis, homagiis et feudis que ibi alias habebat. Dictus Johannes videns se habere juriditionem temporalem fecit fieri sigillum sub nomine proprio et ad inductionem suam homines dicte vallis faciunt super contractibus suis confici litteras sub sigillo dicti Johannis, quo sigillo dictus Johannes vtitur sicut autentiquo. Attendens autem dictum capitulum quod homines dicte vallis desinunt recurrere ad dictam cancellariam, consideransque emolumentum consuetum sibi deperire, conqueritur dicto principi de prefato Johanne, dicens quod sibi non licet habere sigillum quo utatur in illa valle in alienationibus perpetuis et testamentis, cum de cancellaria illius vallis et de emolumento exinde prouenienti sint infeudati a dicto dno episcopo ab antiquo, dictus autem Johannes sit infeudatus de nouo de iuriditione temporali tantum, et proponit se turbari per dictum Jo. atque impediri in officio cancellarie predicte, cum per vsum dicti sigilli perdat emolumentum ex dicta cancellaria prouenire consuetum et per consequens feudum suum redditur inutile et exinanitum. Et supplicat dictum capitulum

dicto dno episcopo ut sibi manuteneat feudum et defendat et compellat dictum Jo. ad hoc quod desistat uti dicto sigillo suo, maxime cum in infeudatione facta dicto Johanni dictus episcopus retinuerit expresse feuda que in dicta valle habebat, de quibus cancellaria de qua agitur erat vnum. Dictus Jo. respondet quod est paratus stare juri coram principe et quod per predicta non iniuriatur dicto çapitulo, cum ipse non prohibeat hominibus dicte vallis, quin pro instrumentis suis conficiendis recurrant ad cancellariam supradictam. Queritur utrum dictus Johannes iniurietur dicto capitulo et utrum dictus episcopus debeat compellere dictum Johannem ad desistendum quod dicto sigillo non vtatur in alienationibus perpetuis et testamentis.

Au revers : Ven. viris dnis Ebalo,
Vbodi et Johanni Boneti canonicis ecclesie Sedun.,
G. decanus Valerie.

1461

Points proposés par deux paroissiens d'Anniviers dans la cause de la chancellerie de cette vallée.

1323, janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Intentio Willermodi de Sala et Johannodi Vouter parrochianorum de Aniuesio super eorum supplicatione.

Intendunt probare coram vobis reuer. in Christo patre ac dno dno Aymone Dei gracia Sedun. episcopo, vel coram commissariis super hoc legitime deputatis Willermodus de Sala et Johannodus Vouter, parrochiani de Aniuesio, assistente eisdem nobili viro Johanne de Aniuesio domicello, contra Ebalum

Hubodi canonicum Sedun., procuratorem seu sindicum capituli Sedun. et defensorem et defensorio nomine dni Willermi curati de Aniuesio, in causa supplicationis que uertitur inter ipsas partes coram vobis, articulos infrascriptos.

I. Primo probare intendunt dicti W. et Jo. quod quondam Willermus vicednus de Aniuesio et dnus Jacobus eius filius, pater dicti nobilis, quondam habuerunt et tenuerunt in valle de Aniuesio jurisditionem omnimodam ac merum et mixtum imperium, et ipsam exercuerunt publice in homines dicte vallis et alios quoscunque infra dictam vallem contrahentes uel delinquentes per se uel per nuncios suos, quando casus occurrit, puniendo malefactores et delinquentes et ius reddendo cuilibet conquerenti in causis ciuilibus, pecuniariis et criminalibus, tanto tempore de quo testes deponent, et a dicto tempore citra usque ad tempus mortis ipsorum.

II. Item quod quondam dna Guigona, mater dicti Johannis, tanquam usufructuaria, mortuo dicto dno Jacobo eius viro, habuit et exercuit merum et mixtum imperium et omnimodam jurisditionem in dicta valle publice et per nuncios suos, ius reddendo et delicta puniendo, banna et clamas leuando et marciando, a XL annis citra continue usque ad tempus mortis sue.

III. Item quod dictus Jo. habet et habuit et exercuit per se et per nuncios suos omnimodam jurisditionem in valle de Aniuesio a XII annis citra.

IIII. Item quod predicti auus et pater dicti Jo. nobilis et dna Guigona predicta, mater dicti Johannis, usi fuerunt publice temporibus suis sigillis suis in contractibus perpetuis et temporalibus inter subditos suos, sigillando litteras super dictis contractibus inter volentes ad ipsos decurrere pro dicta sigillatione.

V. Item quod dictus Jo. nobilis a duobus annis nuper preteritis supra usque ad XII annos usus fuit publice sigillo suo et

fuit in possessione uel quasi pacifica et adhuc est utendi in valle predicta et alibi ubi habet jurisditionem et dominium, sigillo suo in signum testimonii inter homines jurisditionis sue uti volentes, sigillando litteras super perpetuis contractibus et temporalibus, apponendo sigillum suum in signum testimonii in litteris predictis sibi per dictos contrahentes oblatis, pacifice et quiete, nemine contradicente, sciente et paciente dicto curato de Aniuesio nuncio dicti capituli, et inde recepit commoda dictus Jo. nobilis gratanter oblata ab utentibus sigillo suo predicto.

VI. Item quod comes Sabaudie habet sigillum quo utitur et usus est a XXX annis citra in testamentis et contractibus perpetuis et temporalibus in terra jurisditionis sue infra dyocesim Sedun., publice et notorie, sciente et paciente capitulo Sedun. uel eius nunciis, et inde recepit emolumentum.

VII. Item quod Petrus de Turre et Johannes eius filius usi fuerunt publice sigillis suis in perpetuis contractibus temporalibus et testamentis in locis jurisditionis sue infra dyocesim Sedun. spacio XXX annorum, tam vnus quam alter successiue, et adhuc vtitur dictus Jo. sigillando litteras per quemcunque sibi oblatas sciente et paciente capitulo Sedun. vel...

1462

Réponse du chapitre de Sion contre les plaintes de deux paroissiens d'Anniviers au sujet de l'interdit de cette paroisse.

Sion, 1323, janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Responsio capituli super supplicacione facta per W. de Sala et Jo. Vouter, parrochie de Aniuesio.

Supplicationi querelose oblate et tradite, ut dicitur, vobis reuer. in Christo patri ac dno dno Ay. miseratione divina Sedun. episcopo per Willermodum de Sala et Johannodum Vouter, parrochianos ecclesie de Aniuesio, presente, ut dicitur, nobili viro Johanne vicedno de Aniuesio et assistente eisdem, contra dnum Willelmum curatum dicte ecclesie super eo quod asserunt dictum curatum longo tempore, sicut dicunt, cessauisse et adhuc cessare sine iusta causa et manifesta a diuinis officiis celebrandis, ac si dicta ecclesia esset interdicta, et subtrahendo eisdem, ut dicunt, diuina officia et ecclesiastica sacramenta, etc., respondet dnus Ebalus Hubodi canonicus Sedun., sindicus et procurator capituli Sedun., ad quod spectat defensio dicte cause, necnon et defensor et defensorio nomine dicti curati, premissa protestatione per ipsum de nullitate seu ineptudine dicte supplicationis et omnibus causis, rationibus, juribus, exceptionibus et defensionibus juris et facti et remediis quibuscunque competentibus et competituris dicto capitulo et ipsi sindico, necnon et curato predicto tam contra personas dictorum supplicancium quam contra tenorem dicte supplicationis et contenta in ipsa et super iusticia dicti capituli et curati predicti, respondet, inquam, dictus sindicus et defensor, sindicario et defensorio nominibus quibus supra, quod sicut tradunt canonica instituta propter delictum uel offensam dni temporalis terra eius seu eius subditi supponi possunt ecclesiastico interdicto, et cum ita sit quod olim ab antiquo dnus episcopus Sedun., qui in sua terra jura principis noscitur oblinere, dederit in feudum dicto capitulo ecclesie Sedun. cancellariam seu auctoritatem cancellarie per totam terram ecclesie predicte, id est quod auctoritate et vice dicti capituli confecte fuerunt chartre inter contrahentes super contractibus perpetuis necnon et super testamentis et vltimis voluntatibus moriencium, que chartre obtinuerunt et optinere consueuerunt vim publici instrumenti

in curia Sedun., et dicta cancellaria dictum capitulum titulo infeudationis predicte vsi fuerunt et in quasi possessione fuerunt vniuersaliter et generaliter per terram predictam, et maxime in valle de Aniuesio, et dandi seu commitendi auctoritatem conficiendi dictas chartras clericis et litteratis et ab ipsis plura proinde percipere emolumenta, et adeo quod nulli alii licuit nec licet chartras huiusmodi uel alias litteras uel publica instrumenta conficere super contractibus perpetuis et testamentis, ut supra, nisi habentibus auctoritatem ab ipso capitulo, nec quisquam alius confecit temporibus retroactis, nisi qui auctoritatem a dicto capitulo habuerunt. Dictusque Jo. de Aniuesio a IIII[or] annis citra uel circa sigillo proprio et preter auctoritatem et voluntatem dicti capituli usus fuit publice et utitur sigillando litteras confectas et que conficiuntur inter extraneos super contractibus perpetuis et testamentis, ad illum finem quantum in eo est ut eamdem vim obtineant et habeant sicut dicte chartre que Seduni, quod refertur, communiter eamdem vim obtinent et fidem faciunt inter contrahentes sicuti dicte chartre, et pro quibus sigillis in dictis litteris appositis et que apponit emolumenta recepit et recipit sicut dictum capitulum ex chartris predictis que auctoritate ipsorum conficiuntur. Que predicta cesserunt et cedunt in graue preiudicium dicti capituli et in derogationem, detractionem et diminutionem jurisditionis, honoris dicti capituli et cancellarie eorum predicte et emolumenti soliti percipere ex eadem, cum gentes in valle predicta super contractibus suis perpetuis et testamentis sigillo dicti Johannis vtantur et ad ipsum decurrunt, obmittendo auctoritatem et solitum usum conficiendi chartras, ut supra, auctoritate dicti capituli, et per que apparet dictum Johannem aduersari et detrahere jurisditioni et cancellarie dicti capituli et auferre solita commoda et emolumenta percipi ex cancellaria predicta, et per que non quasi possidet perfecte et libere dictam cancellariam, sicut ante,

prout predicta sunt manifesta et notoria in valle predicta et que nulla possunt tergiuersatione celari. Hinc est quod dictum capitulum videns per factum dicti Johannis et sigillationes ipsius jus, auctoritatem et emolumentum dicte ecclesie Sedun. et dicti capituli eneruari et vsurpari, auctoritate quorumdam statutorum sinodalium et episcopalium editorum contra eos qui bona seu jura alicuius ecclesie, vniuersitatis, seu collegii, aut singularis persone ecclesiastice occupant uel usurpant, videns etiam iniuriam et vsurpationem dicti Johannis fore manifestam et notoriam, requisierunt cessari a diuinis officiis celebrandis et ecclesiasticis sacramentis, secundum formam statutorum predictorum, quibus statutis idem curatus tanquam filius obediencie et dicte ecclesie, cum predicta sciuerit esse notoria et manifesta, cessauit secundum formam statutorum predictorum et cessat a diuinis officiis et ecclesiasticis sacramentis.

Que quidem cessatio facta fuit et fit legitime et cum causa, ut supra, et que cessatio seu interdictum amoueri non debet, nisi dictus nobilis cessauerit a predictis et satisfecerit de occupatis et usurpatis per ipsum, ut supra, et dampnis illatis per ipsum et occasione eius sigillationis predicte.

Quare idem sindicus et defensor negat petita per parrochianos predictos fieri debere et veritate carere plura que sunt proposita per eosdem.

Et si forte per partem aduersam negetur predicta usurpata in preiudicium dicti capituli non esse manifesta uel notoria, dictus sindicus et defensor se offert probaturum infra breue terminum a iure statutum uel alias, prout vobis videbitur legitime faciendum. Verum quoniam ad vos spectat jura dicte vestre ecclesie defensare, supplicat vobis dictus sindicus et defensor, nominibus quibus supra, quatinus dictum Johannem coherceatis et censura ecclesiastica et remediis quibus poteritis, compellatis, ut ipse desistat ab occupatione et vsur-

patione predictis et a turbatione iuris et jurisditionis dicti capituli circa exercicium et emolumentum cancellarie predicte, maxime quia, si omitteretur, ceteris nobilibus dicte terre cederet in dicte ecclesie perniciosum exemplum. Et protestatur quod se seu dictum capitulum et curatum non astringit ad predicta omnia et singula probanda, nisi ad ea que poterit et sibi sufficient de premissis.

1463

Compromis entre le chapitre de Sion et Jean d'Anniviers, donzel, au sujet du droit de chancellerie.

Sion, 1323, 1 février, — 18 juin.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXIII°, inditione VI, kl. februarii, in camera depicta domus episcopalis Sedun., in presencia reuer. in Christo patris dni Aymonis Dei gracia episcopi Sedun. ac mei notarii et testium subscriptorum, capitulum Sedun., ex vna parte, et Johannes de Aniuesio domicellus, ex altera, compromiserunt in predictum dnum episcopum et dnum Amedeum priorem de Megeva, Gebenn. dyocesis, in magistrum Jacobum de Mentone decanum de Auentica, Lausan. dyocesis, et Stephanum de Albona canonicum Lausan., uel alterum dictorum trium vna cum dicto dno episcopo, super questionibus cancellarie de Aniuesio et sigillatione qua vtitur dictus Johannes in litteris illorum qui ad eum recurrunt in parrochia de Aniuesio pro litteris super suis contractibus perpetuis et testamentis sigillandis, et promiserunt dicte partes sibi ad inuicem tenere quicquid dictus dnus episcopus, recepta summaria informatione, super jure utriusque partis vna cum altero

dictorum trium jure uel concordia hinc ad proximum festum beati Johannis Baptiste duxerint ordinandum. Hoc acto inter partes quod quam cito alter dictorum trium venerit cum dicto dno episcopo et promiserint tam ipse quam dictus dnus episcopus bona fide sua, quod ipsi dictas questiones jure uel concordia, simpliciter et de plano, sine strepitu iudicii et figura, infra dictum tempus terminabunt et in dni episcopi predicti sit voluntate et arbitrio tollere et amouere interdictum seu cessationem a diuinis quod et quam seruauit et seruat vsque ad diem presentem curatus de Aniuesio in parochia eiusdem, preterea dictus dnus episcopus suspendit in omnem euentum ex nunc predictum interdictum seu cessationem ex officio et de consensu dicti capituli et curati usque ad proximum festum Ascensionis Dni [1], ita quod interim vsus sigilli dicti Johannis seu sigillatio litterarum, si quas interim fecerit, non afferat seu tribuat eidem Johannni aliquam utilitatem in proprietate uel possessione dictarum questionum, nec dicto capitulo preiudicet quo ad proprietatem seu possessionem supradictas. Et hoc acto inter partes predictas quod durante dicta suspensione dictus Johannes et parrochiani dicti parrochie a dicta cessatione seu interdicto nequeant appellare. Dictus autem dnus episcopus fide sua prestita promisit dictis partibus quod ipse faciet obseruari firmiter quicquid ipse vna cum altero dictorum trium super dicta questione jure vel concordia duxerint ordinandum. Item actum est inter partes predictas, presente et consenciente dicto dno episcopo et hoc expresse dicente, quod per suspensionem predictam factam per ipsum circa interdictum et cessacionem predictas, modo et forma quibus supra, dicto capitulo uel curato nichil plus juris, quam antea haberent seu habere deberent, acquiratur nec preiudicetur, nec preiudicari possit dicto Johanni de Aniuesio uel parrochianis dicte ecclesie finita dicta suspensione, sed saluum sit

[1] 5 mai.



eis omne jus et omnis via salua sit impugnandi dictum interdictum uel cessum sicut nunc est, nec per hanc suspensionem intendat dictus dnus episcopus de nouo approbare dictam cessationem seu interdictum. Que omnia dicte partes, scilicet dictus Johannes de Aniuesio, pro se et pro omnibus parrochianis de Aniuesio, et dnus Ebalus Hubodi sindicus dicti capituli, de mandato dicti capituli, promiserunt bona fide sua attendere et seruare et facere et curare per alios dicte parrochie obseruari. Ad premissa fuerunt testes vocati et rogati viri discreti dnus Willermus de Sancto Mauricio curatus Sancti Germani, dnus Ansermus capellanus dicti dni episcopi, dnus Jo. de Nas, dnus Willermus de Villanoua dictus de Allio, sacerdotes, Jacobus de Olono clericus, Jacodus de Aragnon notarius publicus, Franciscus Albi, Willermus de Aniuesio, Johannes de Sassons, domicelli, et plures alii, et ego Jo. Munmeliani, etc.

Postmodum, anno, inditione et loco quibus supra, die sabbati proxima ante festum Natiuitatis beati Jo. Bapt., in curia episcopali Sedun., in presencia dni episcopi predicti et magistri Jacobi de Mentone decani de Auentica, predictorum arbitrorum, constituti Johannes dnus de Aniuesio predictus, ex vna parte, et dnus Ebalus Hubodi et Johannes de Drona, canonici Sedun., procuratores et sindici capituli Sedun. predicti, ex altera, presentibus et consencientibus ven. viris dno G. decano Valerie, dno Jo. decano Sedun., dno Ebalo sacrista, dno Jo. Boneti, dno Jo. Herpo, dno P. Farconis, dno P. Escot, Anthonio Hubodi, Jacobo de Augusta, dno F. de Yporrigia, P. de Venthona, F. Benedicti, Ay. de Estauaye, canonicis Sedun., vice et nomine dicti capituli, dictum compromissum, prout superius continetur, prorogando partes predicte, videlicet dictus Jo. nomine suo et predicti sindici nomine suo et

dicti capituli ac dicti canonici nomine suo et capituli predicti dederunt dno episcopo et magistro Ja. predictis potestatem pronunciandi, diffiniendi jure, concordia uel voluntate super questionibus contentis in compromisso predicto, ut superius in eodem continetur, usque ad festum Assumpcionis beate Marie Virginis proxime venturum. Promiseruntque, etc. Ad hec fuerunt testes vocati et rogati dnus Ja. Gayor, Mermodus de Clarens, Fran. Albi, Willermus de Aniuesio, P. Lyonet et plures alii, et ego Jo. Munmeliani, etc.

1464

Le chapitre de Sion autorise le chantre Thomas à prendre ses repas dans sa maison de Plan-Champ.

Valère, 1323, 1 mars.

Archives de Valère.

Nos capitulum Sedun. notum facimus vniuersis quod nos damus et concedimus per presentes viro ven. dno Thome cantori ecclesie Sedun. licenciam et liberum arbitrium comedendi, prandendi et cenandi continue uel quocienscunque sibi placuerit, in domo sua de Plan Chan, cum operariis suis uel sine operariis, ut sibi videbitur expedire, hinc ad festum Ascensionis Dni proximo venturum et vlterius etiam quantum nobis placuerit et sibi voluerimus tolerare, non obstante aliquo statuto habito inter nos dictum capitulum et vallato. Datum Valerie, cum appositione sigilli nostri, kl. marcii, anno Dni M°.CCC°.XX tercio.

Nos uero Aymo Dei gracia Sedun. episcopus dictam concessionem et graciam factam a dicto capitulo dno cantori predicto, ut superius continetur, laudamus et etiam approbamus. Datum ut supra cum munimine sigilli nostri.

1465

Réclamation de l'évêque de Sion contre ses mansars de Viège.

Sion, 1323, 9 mars.

Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°CCC°XXIII°, indicione VIª, VIII° idus marcii, in curia episcopali Sedun., in presencia reuerendi in Christo patris ac dni dni Ay. Dei gracia episcopi Sedun., ac mei notarii, etc., idem dnus episcopus posuit in curiam suam contra mansuarios de Vespia, scilicet viros ven. et discretos dnum G. decanum Valerie, dnum Jo. Boneti canonicum et officialem Sedun., dnum Willermum de Sancto Mauricio curatum Sancti Germani et Franciscum Albi de Granges, contra quos mansuarios Willermus de Hospitali clericus, nomine dicti dni episcopi, peciit in judicio ibidem quod ipse dnus episcopus uel eius predecessores consueuerunt exigere et recuperare a dictis mansuariis, hominibus suis talliabilibus, quandoque XL lb. et quandoque L lb. de tallia, et hoc anno nuper preterito fecerit dictus dnus episcopus dictis mansuariis et non soluerunt eidem dno episcopo de dictis L lb. X lb. Peciit dictus Willermus ab eisdem, nomine quo supra, X lb. predictas. Testes : dnus Ansermus capellanus dicti dni episcopi, dnus Marcus (Martinus) curatus de Fullie, dnus P. de Nas, sacerdotes, Richardus de la Bastia, Willermus de Aniuesio, Johannes de Valle Pelina, domicelli, et plures alii, et ego Jo. Munmeliani, etc.

1466

Convention entre les syndics de Sion et Guillaume de la Croix, au sujet de l'entretien des fontaines de la ville.

Sion, 1323, 24 mars.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXIII°, inditione VI, IX kl. aprilis, in ciuitate Sedun., ante domum magistri Jo. silorgici, in presencia mei notarii, etc., propter hoc specialiter constitutis Jaquemodo de Gissine, magistro Johanne silorgo predicto, Willermo Barsel et Jorio Cordonat, ciuibus Sedun., procuratoribus et sindicis ciuitatis et communitatis Sedun., nomine procuratorio seu sindicario eiusdem communitatis, ex vna parte, et Willermo de Cruce et Anthonia eius vxore, ex altera, predicti procuratores seu sindici, nomine quo supra, dederunt et concesserunt dictis coniugibus refectionem et manutenenciam bornellorum ciuitatis Sedun., ita quod ipsos bornellos et aqueductum ipsorum cum suis pertinenciis debeant reficere et manutenere bene et decenter pro I den. de quolibet foco ciuitatis Sedun. soluendo annuatim in festo sancti Martini, uel pro XL sol. Maur.[1], quod sit in electione dictorum procuratorum utrum velint soluere predictos XL. s. uel quod quilibet focus ad solucionem dicti denarii teneatur. Concedentes dicti procuratores seu sindici dictis coniugibus quod reuerendus in Christo pater dnus Ay. Dei gracia episcopus Sedun., qui nunc est uel

[1] Ces quarante sols devaient correspondre approximativement au nombre des feux de la ville, en comptant un denier par feu ; ce qui donne 480 feux. Si, selon l'estimation commune, on admet 4 ½ comme nombre moyen de personnes pour chaque feu, on trouve 2160 habitants pour Sion, en 1323. Ce n'est que la moitié de la population actuelle.

pro tempore fuerit, possit et mittere debeat aliquem familiarem suum, ad requisitionem dictorum coniugum uel alterius ipsorum, ad recuperandum predictum den. a quolibet foco uel a quolibet focum tenente, si predicti procuratores seu rectores ipsius ciuitatis predictos XL sol. anno quolibet in dicto festo sancti Martini soluere recusarent. Acto expresse inter partes predictas quod si predicti coniuges in refectione seu manutencia dictorum bornellorum sufficienti deficerent, predicti ciues ad solucionem dicte pensionis minime tenerentur. Que predicti coniuges promiserunt ex certa sciencia, per fidem suam prestitam corporalem et sub expressa ypotheca bonorum suorum, etc., ipsos bornellos et aqueductum eorum cum eorum pertinenciis bene et decenter reficere atque manutenere, ad vitam tamen ipsius Willermi; post mortem autem ipsius Willermi sit in electione heredum suorum utrum predictas conuentiones voluerint obseruare; inuiti autem minime compellantur ad obseruationem predictorum. Renunciantes, etc. Testes: Petrus de Montana jurisperitus, Jo. de Cruce et plures alii, et ego Johannes Munmeliani, etc.

Que omnia et singula predicta reuer. in Christo pater dnus Ay. Dei gracia episcopus predictus laudauit, ratificauit et approbauit, suam auctoritatem et decretum interponendo.

1467

Plait tenu à Chamoson.

Chamoson, 1323, 12 mai.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Anno Dni M°CCC°XXIII°, IV idus maii, in platea Sancti Andree apud Chamoson, ibidem placitum tenente, contradixit

Jonodus Salteri publice omnibus qui non habent suum ergeres per pratum suum dou Desert, quod ipsi non ducant aquam per dictum pratum. Testes : Franciscus vicednus, Goth. de Nons, Nantermus de Columberio, Jo. de Mar.

1468

Supplique présentée à l'évêque de Sion et au doyen d'Avenches par le syndic du chapitre de Sion, pour le maintien des droits du chapitre contre les prétentions de Jean, vidomne d'Anniviers.

(1323).

Archives de Valère. — *Mém. et Docum. Rom.*, XVIII, 447.

Coram vobis reuerendo in Christo patre ac dno, dno Ay., miseratione diuina episcopo Sedun., et magistro Jacobo de Mentone, decano de Auentica, compromissariis in hac parte, proponit Ebalus Vboudi, canonicus Sedun., sindicus et procurator capituli Sedun., ad intentionem dicti capituli et ad iuuandam et fondandam et in causa seu negocio que seu quod vertitur seu agitur coram vobis, inter dictum sindicum, nomine dicti capituli, ex una parte, et nobilem virum Johannem, vicedominum de Aniuesio, ex altera, ad ipsius Johannis intentionem elidendam et repellendam et ad conseruationem juris dicti capituli et ecclesie Sedun.

In primis quod antiquissimo tempore iam transacto, beatus Karolus, tunc Romanorum imperator, donauit pure et libere beate Marie ecclesie Sedun. et ipsi ecclesie comitatum et prefecturam cum regalia Vallensem, cum omnimoda juriditione et honore, ita quod dicta ecclesia et prelati eiusdem gauderent in terra predicta vtroque gladio, scilicet spirituali et temporali.

Et quod ratione donationis predicte episcopi et prelati qui pro temporibus fuerunt, necnon et vos idem dnus episcopus, optinuerunt et exercuerunt, per se et per suos officiarios, juriditionem omnimodam et merum et suppremum imperium, et in tantum optinuerunt et exercuerunt quod non potest nec consueuit a sentenciis latis ab ipsis episcopis et prelatis auctoritate temporalis juriditionis ad aliquem alium appellari. Et quod predicta sunt notoria in ciuitate Sedun. et terra Vallensi.

Et ad hoc probandum et ostendendum, producit idem sindicus libros antiquos ecclesie Sedun. fideliter custoditos, in quibus continetur et inscripta est, ad fidem et probationem et ad eternam rei memoriam, donatio predicta a sancto Karolo predicto facta ecclesie Sedun., quibus libris consueuit fides plenaria adhiberi, et que donatio, prout in dictis libris inscripta est, scilicet tam in legenda dicti beati Karoli, quam in legenda beati Theodoli, antiquitus et tunc temporis episcopi Sedun. [1], in dicta ecclesia cum aliis diuinis officiis legi et recitari consueuit, et in multis aliis catedralibus et collegiatis ecclesiis.

Et super hiis petit et supplicat idem sindicus per vos dnum episcopum de hiis que nouistis, et a vestris maioribus et aliis audiuistis, et quibus de predictis vsus fuistis vos et vestri predecessores, perhiberi testimonium veritati, et per vos causam predictam siue negocium informari ad conseruationem juris, honoris et juridicionis dicte vestre ecclesie Sedun., ne a dicto Johanne diminutionem et lesionem paciatur.

[1] Le volume dont il est ici question se trouve encore aux archives de Valère; c'est un grand in-folio, sur parchemin, contenant des vies de saints, parmi lesquels saint Charlemagne et saint Théodule. Il est de plusieurs écritures, et le passage ci-dessus prouve qu'il est antérieur au XIV[e] siècle; d'un autre côté l'écriture montre qu'il est postérieur au XII[e]; on ne peut donc le placer qu'au XIII[e] siècle. Les Bénédictins ont publié, dans le *Gallia christ.*, XII, instr. 447-451, des extraits de ces vies de Charlemagne et de saint Théodule d'après deux *vidimus* de l'année 1477.



Item proponit idem sindicus quod auctoritate juridicionis predicte a prelatis episcopis ecclesie Sedun. et capitulo eiusdem, antiquo tempore de cuius memoria in contrarium non existit, fuit instituta cancellaria, id est auctoritas conficiendi chartras vniuersaliter in ciuitate et dyocesi Sedun., a Morgia supra, super contractibus perpetuis et testamentis, et qua cancellaria tam persone seu canonici dicte ecclesie quam ipsum capitulum auctoritate et concessione dnorum episcoporum, qui pro temporibus fuerunt, et vestra vsi fuerunt, tenuerunt et per suos juratos et commissarios exercuerunt per tanta tempora quorum in contrarium memoria non existit.

Et ad hoc probandum producit libros antiquos, qui vulgariter appellantur registra, in quibus chartre supra contractibus perpetuis et testamentis confecte auctoritate dicte chancellarie ad perpetuam et eternam conseruationem et memoriam consueuerunt registrari et inscribi, et quibus registris et chartis que extrahuntur de ipsis consueuit fides plenaria adhiberi.

Producunt etiam ad hoc plures chartras auctoritate cancellarie predicte factas, jam coram vobis productas.

Et predicta fore vobis dicto dno episcopo et in ciuitate et dyocesi predictis notoria petit et supplicat idem sindicus per vos dnum episcopum, ad conseruationem juris, honoris et juridicionis dicte vestre ecclesie, perhiberi super hiis testimonium veritati et causam predictam instrui de hiis que temporibus vestris vidistis et a vestris maioribus audiuistis et ab aliis et qualiter extitit obseruatum.

1469

Articles produits par le chapitre de Sion contre Jean d'Anniviers, donzel, au sujet du droit de chancellerie, avec les réponses du procureur de ce dernier.

Sion, 1323, 21 juin.

Archives de Valère.

Hec sunt ea que proponit et probare intendit coram vobis reuerendo in Christo patre dno Ay. miseratione diuina episcopo Sedun. et vobis dno Jacobo de Mentone decano de Auentica, dyoc. Lausan., accessore seu adiuncto assumpto per dictum dnum episcopum in causa infrascripta, Ebalus Hubodi canonicus Sedun., procurator et sindicus capituli ecclesie Sedun., procuratorio et sindicatorio nomine eiusdem, necnon et procurator et procuratorio et defensorio (nomine) curati de Aniuesio, contra nobilem virum Johannem de Aniuesio domicellum et contra Willermodum de Sala et Johannodum Vouter in causis vertentibus coram vobis inter partes predictas.

I. Articulus. In primis quod dictum capitulum habuit et optinuit in feudum seu beneficium a predecessoribus dicti dni episcopi et adhuc habet et optinet a predicto dno episcopo cancellariam vniuersaliter in ciuitate et dyocesi Sedun. ab aqua Morgie supra.

Credit dnus Willelmus de Sancto Mauricio de voluntate dicti Jo. et ut procurator ipsius Johannis; tamen vidit aliquos notarios qui faciunt instrumenta.

II. Item quod officium et autoritas dicte cancellarie consistit et esse consueuit in confectione chartrarum super contractibus perpetuis et testamentis vniuersaliter in ciuitate Sedun. a Morgia de Contegio supra.

Credit ut in precedenti.

III. Item quod dictum capitulum ex causa predicta exercuerunt et in quasi possessione exercendi dictam cancellariam fuerunt vniuersaliter per commissarios deputatos ab ipso capitulo in dicta ciuitate et dyocesi Sedun., scilicet a Morgia supra, maxime in valle de Aniuesio spacio decem, viginti, triginta annorum et amplius.

Credit, sed tamen dnus de Aniuesio inter suos homines sigillauit litteras a XIIII annis et citra, sicut audiuit dici.

IIII. Item quod dictum capitulum per tempora predicta consueuit percipere in valle predicta de Aniuesio ab illis quibus vice ipsorum exercicium dicte cancellarie commiserunt, nomine census et emolumenti annis singulis quinque modios frumenti.

Credit de quatuor vel de quinque.

V. Item quod uulgi opinio et publica fama in ciuitate et dyocesi predictis se habuit et habet quod nullus alius potuit facere chartras vel litteras super contractibus perpetuis et testamentis nisi auctoritate dicte cancellarie.

Credit, sed vidit quod notarii conficiunt aliqua instrumenta et audiuit de dno de Aniuesio ut supra.

VI. Item quod quia idem Jo. de Aniuesio a quinque annis citra nouum sigillum et nouum officium sigillationum litterarum in contractibus perpetuis et testamentis in valle predicta constituit et frequenter vsus fuit et vtitur, quod gentes diuerterunt a confectione chartrarum et diminutum est quasi totum emolumentum solitum percipi ex dicta cancellaria in valle de Aniuesio predicta.

Credit sed tamen audiuit dici quod pater Jo. dni de Aniuesio et mater ipsius sigillabant aliquas litteras et eciam ipse Johannes.

VII. Item quod antequam curatus de Aniuesio cessaret seu cessare cepisset a celebratione diuinorum, de qua cessatione conqueritur idem Johannes, quod eidem curato constitit tam

per euidenciam facti et famam publicam quam per denunciationem sibi factam per Franciscum Benedicti et Petrum de Venthona canonicos ecclesie Sedun., nomine dicti capituli, quod dictus Jo. fecerat et faciebat preiudicium eidem capitulo in exercicio sigillationum in litteris contractuum perpetuorum, ad quas sigillationes gentes communiter decurrebant, et a confectione chartrarum auctoritate dicte cancellarie diuertebant, et de eo quod propter sigillationes dicti Johannis diminutum erat quam plurimum emolumentum percipi solitum ex cancellaria predicta in valle de Aniuesio.

VIII. Item quod si reperiatur dictum dnum episcopum dedisse in feudum dicto Johanni vicedominatum de Aniuesio, quod ante dictam infeudationem dictus dnus episcopus et eius predecessores habebant et exercere consueuerant per se uel alium merum et mixtum imperium in valle de Aniuesio predicta.

Credit quod per nuncios exercebant seu per infeudatos.

IX. Item quod illi qui in valle predicta ante infeudationem dicti vicedominatus exercuerunt merum et mixtum imperium, ipsum exercuerunt nomine dicti dni episcopi et predecessorum suorum.

X. Item quod in dicta concessione dicti vicedominatus idem dnus episcopus sibi retinuit et specialiter excepit omnia feuda que habebat in dicta valle de Aniuesio.

Credit.

XI. Item quod fama publica tunc erat et adhuc est de predictis et singulis predictorum apud Sedunum, in valle de Aniuesio et in locis circumuicinis.

Non astringens se dictus procurator et sindicus ad omnia et singula predicta probanda, nisi ad ea tantum que poterit et sibi et dicto capitulo et curato prodesse poterunt et ex quibus releuari et iuuari poterunt in causa presenti.

Ex quibus concluditur et apparet dictum Johannem nouum



et illicitum actum et iniustum actum seu offensam, quantum in eo est, constituisse, absorbendo officium chartrarum vniuersaliter solitum exerceri in valle de Aniuesio auctoritate dicte cancellarie ad dictum capitulum pertinentis, auferendo et diminuendo emolumenta solita percipi per dictum capitulum ex cancellaria predicta, et diminuendo jurisditionem dicti capituli, et graue preiudicium et perpetuum inferendo eidem, nisi juris remediis arceatur, et de predictis eidem curato legitime constitisse antequam a diuinis cessaret, et cessasse uirtute et auctoritate quorumdam statutorum synodalium et temporalium editorum et factorum per duos episcopos ecclesie Sedun., qui pro temporibus fuerunt, contra inuasores et occupatores bonorum et jurium dicte ecclesie facientes et contra inferentes dampna et preiudicium in bonis uel juribus dicte ecclesie facientes, que statuta innituntur a jure, dictumque curatum bene et legitime cessasse, ipsumque Jo. per vos prohiberi debere ut de cetero non vtatur sigillationibus predictis et ut dampna resarciat eidem capitulo sibi illata ex sigillationibus antedictis.

Petit eciam dictus sindicus dictum Jo. per vos prohiberi et juris remediis coherceri, ut de cetero non vtatur sigillationibus predictis et ut desistat ab inferendo preiudicio capitulo predicto.

Parchemin attaché au précédent.

In causa que uertitur coram nobis Ay. miseratione diuina episcopo Sedun. et Jacobo de Mentone decano de Auentica, dyocesis Lausan., assessore seu adiuncto per nos assumpto, uirtute compromissi in nos facti per partes infrascriptas et potestatis nobis date per ipsas, inter Johannem de Aniuesio domicellum, ex vna parte, et dnum Ebalum Hubodi canonicum Sedun., sindicum et procuratorem capituli Sedun., sindicario uel procuratorio nomine eiusdem, ex altera, fuit hodie coram

nobis et assessore nostro predicto responsum articulis seu intentionibus dicti sindici, ipso sindico presente, hic annexis, per dnum Willelmum de Sancto Mauricio presbiterum de mandato dicti Johannis et ad hoc ab ipso Johanne specialiter constitutum, presentibus et assistentibus dno Johanne Giroldi legum doctore et Willelmo de Aniuesio, de voluntate dicti Jo., prout in fine cuiuslibet articulorum seu intentionum continetur. Deinde nos ordinauimus et assignauimus eidem sindico diem crastinam ad respondendum articulis seu intentionibus dicti Johannis et ad procedendum in dicta causa quantum fuerit rationis. Datum Seduni, die martis ante festum beati Johannis Baptiste, anno Dni M°CCC°XXIII°.

1470

Hommage prêté au doyen de Valère par Pierre et Mathieu Aspère.

Sion, 1323, 23 juin.

Archives de Valère, Extractus instrument. decanatus Valeriæ, Z, 6.

Anno Dni M°CCC°XXIII, IX kl. julii, Petrus Aspere de Vespia et Matheus Aspere eius nepos confessi fuerunt se tenere in feudum homagii a dno G. decano Valerie, sub homagio quod debet dno decano Petrus de Staldon, videlicet decimam quam tenent in monte et in territorio de Grenke et de Golpotram in parrochia de Vespia, et illam partem decime animalium nascencium quam percipiunt in dictis locis ; recognoueruntque dicti Petrus et Matheus dicto dno decano pro dictis decimis XVI modios siliginis seruicii annuatim soluendos. Actum in Seduno.

1471

Sentence arbitrale entre le chapitre de Sion et Jean d'Anniviers au sujet du droit de chancellerie.

Sion, 1323, 30 juin.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXIII°, indicione VI, in crastino festi apostolorum Petri et Pauli, in ciuitate Sedun., in camera reuer. in Christo patris dni Aymonis Dei gracia episcopi Sedun., in presencia mei notarii et testium subscriptorum constituti nobilis vir Johannes dnus de Aniuesio, ex vna parte, et dnus Ebalus Hubodi et Johannes de Drona canonici Sedun., procuratores seu sindici capituli Sedun., necnon et viri ven. dnus Jo. decanus Sedun., dnus Ebalus sacrista, dnus Jo. Boneti, dnus Jo. Herpos, dnus P. Farconis, dnus P. Escot, dnus F. de Yporrigia, Anthonius Hubodi, Petrus de Venthona, Franciscus Benedicti, Ay. de Estauaye, ex altera, cum questio, lis seu discordia verteretur inter dictum Jo. et predictos sindicos ac dictos canonicos capitulum facientes, vice et nomine ipsius capituli, coram dno episcopo predicto et discreto viro magistro Ja. de Mentone decano de Auentica, Lausan. dyocesis, arbitris compromissariis a partibus electis, sicut in publicis instrumentis manu mei notarii infrascripti confectis continetur, super eo quod dictus nobilis sigillabat et consueuerat sigillare ipse et predecessores sui litteras super perpetuis contractibus in valle de Aniuesio sigillo suo, sindici vero predicti capituli Sedun., ex aduerso, dicebant quod dictum capitulum erat in possessione exercendi cancellariam chartrarum in valle predicta et conficiendi chartras per nuncios suos super perpe-

tuis contractibus spacio triginta annorum et plus, quare dicebant dictum Jo. prohiberi debere ab vsu dicti sigilli sui pro eo quod, ut asserebant, amittebat dictum capitulum commodum eidem ex dicta cancellaria peruenire consuetum propter sigillationes dicti Jo. Dictus vero Jo. nobilis dicebat se prohiberi non posse eo quod jure suo uteretur, cum tam ipse quam predecessores sui consueuerint sigillare litteras super contractibus perpetuis et testamentis a LXX annis et citra seu infra, et in possessione sigillandi dictas litteras extitissent, quare dicebat partem aduersam compesci debere ab omni inquietatione et turbatione eidem super hoc illata uel inferenda per capitulum predictum. Tandem predicti arbitri compromissarii, ex potestate eisdem a partibus predictis concessa, auditis et intellectis juribus, rationibus et allegationibus utriusque partis, receptis eciam informationibus super eisdem quas utraque pars facere voluit coram ipsis, presente et consentiente dicto Jo. nobili ac presentibus et consentientibus sindicis et aliis canonicis predictis ad pacem et pronunciationem per predictos arbitros fieri petentibus super questionibus et discordiis predictis, dixerunt, pronunciauerunt et arbitrati fuerunt arbitri predicti quod cancellaria et chartre quam exercuit et exercere consueuit capitulum predictum in valle predicta et ius et auctoritas conficiendi dictas chartras remaneat perpetuo dicto Jo. et heredibus suis, ita quod ipsas chartras, si voluerit, fieri faciat nomine suo per commissarium suum ydoneum ad hoc specialiter per ipsum deputatum et ipsas registrari faciat in cancellaria Sedun., expensis capituli predicti pro duabus partibus et expensis dicti Jo. pro tercia parte. Et si contingeret contradici aliquas chartras que conficerentur in valle predicta, sicut est fieri consuetum, quod tunc de contradictionibus predictis cognosceret capitulum predictum seu ille qui in futurum teneret cancellariam Sedun. Et pro predictis chartris ac jure predicto olim competenti dicto capitulo

in cancellaria et chartris in valle predicta, dicto Jo. et heredibus suis in futurum perpetuo remanenti, ex forma composicionis et arbitrii predicti dictus Jo. et heredes sui debent et tenentur perpetue annis singulis in dedicatione ecclesie Sedun. soluere IIII[or] modios frumenti receptibilis ad mensuram Sedun. capitulo Sedun. Si vero dictus Jo. vel heredes sui, obmissa confectione chartrarum predictarum, uti voluerint sigillis suis super perpetuis contractibus et testamentis, hoc possit et eis liceat et litteris eorum sigillis sigillatis credatur et fidem faciant in judicio et extra tanquam publicis instrumentis. Si vero dictus Jo., eius heredes crederent se grauari in solutione dicti frumenti, ita quod vellent dimittere dicto capitulo dictas chartras et dictum ius chartrarum eis competens, ut premittitur ex forma arbitrii predicti, tunc in eo casu non debent dictus Jo. uel heredes sui uti sigillis suis super perpetuis contractibus, nisi in feudis suis et in iudiciis. Quam pronunciationem factam sic per dictos arbitros dictus Jo. et sindici ac alii canonici predicti ipsam pronunciationem statim emologauerunt, ratificauerunt et approbauerunt, et inde pecierunt dicti sindici ac alii canonici predicti a me notario infrascripto sibi chartram fieri cancellarie Sedun.; dictus vero Jo. nobilis a me notario predicto peciit de predictis sibi fieri publicum instrumentum. Ad hec fuerunt testes vocati et rogati Jacodus de Olono, Ay. eius frater, Aymonetus de Anissie, Jacodus de Aragnon, notarii publici, Franciscus Albi de Granges domicellus, Anthonius elemosinarius dicti dni episcopi, Willermodus magistri Martini, Perrodus de Mostruiz et plures alii, et ego Jo'. Munmeliani, etc.

1472

Réclamation des chanoines de Sion contre la sentence arbitrale prononcée au sujet de la chancellerie d'Anniviers.

Moûtiers, 1323, 30 juin.

Archives de Valère, D, 7.

Nos Nycholaus prior ecclesie regularis Sancti Petri de Musterio et Johannes Jordani canonicus ecclesie secularis dicti loci, commissarii in hac parte specialiter deputati a rev. in Christo patre dno V. Dei gracia Thar(entas.) archiepiscopo, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod nos vidimus et de verbo ad verbum legimus quoddam instrumentum factum manu Johannis de Ylletis, dyocesis Sedun., notarii, coram nobis in iudicio productum ex parte cappituli Sedun., sanum et integrum, non viciatum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte abolitum uel corruptum, cuius tenor talis est:

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°.CCC°.XXIII°, indicione sexta, pridie kl. iulii, in domo episcopali Sedun., in presentia mei notarii et testium subscriptorum, rev. in Christo pater dnus Aymo episcopus Sedun. et discretus vir dnus Jacobus de Mentone decanus de Auentica, Lausanen. dyocesis, asserentes fuisse compromissum in eosdem tanquam arbitratores seu amicabiles compositores super questione et discordia que vertebantur inter ven. capitulum Sedun., ex vna parte, et nobilem virum Johannem de Aniuesio, ex altera, super cancellaria parrochie de Aniuesio ad dictum capitulum pertinente ac iuribus eiusdem, ac super impedimento et turbacione quod et quam asserebat dictum capitulum sibi inferri super iuribus

dicte cancellarie per vsum sigilli dicti Johannis tanquam auctentici imperpetuis contractibus ac testamentis et modis aliis quibuscunque, super eo quod dictum cappitulum dicebat debere cessari a diuinis in dicta parrochia quamdiu prefatus Johannes predicta impedimenta et turbaciones prestabat et faciebat, pronunciauerunt et ordinauerunt. Cuius pronunciacionis, prout in quadam cedula dicte pronunciacionis continebatur, tenor talis est. Ordinamus in questione vertente inter ven. cappitulum Sedun., ex vna parte, et nobilem virum Johannem de Aniuesio ex altera, primo quod iniurie et rancure, si que sint illate a parte parti, siue super cessacione a diuinis, siue super cancellaria et chartris cappituli predicti, siue super sigillationibus dicti Johannis, siue super turbacione chartrarum et diminucione officii, sint quitte et remisse hinc et inde. Item quod pro bono pacis et concordie prefatus Johannes f(ieri faci)at nomine suo chartras in parrochia de Aniuesio ipse et heredes ipsius et inde recipiat emolumentum, et dictum officium comittat alicui ydoneo qui dictas chartras recipiat, et propter hoc dictus Johannes tenetur dare et soluere eidem cappitulo aput Sedunum quatuor modios frumenti receptibilis quolibet anno, et dictas chartras faciat registrari, ut consuetum est, apud Sedunum, et illas expensas que debent fieri ratione ingrosature chartrarum teneatur subire cappitulum pro duabus partibus et dictus Johannes pro tercia; et si contradicatur, per cancellarium, ut consuetum est, lis dirimatur, et si dictus Johannes velit vti litteris in dicta parrochia et sigillo suo proprio sigillari super contractibus perpetuis, hoc possit facere et dictis litteris credatur in futurum etiam in aliis locis. Et si contingeret in futurum quod dictus Johannes diceret se grauari in censa predicta, quod possit dimittere chartras predictas predicto cappitulo et emolumentum earumdem; ex tunc dictus Johannes non debet vti dicto suo sigillo

super contractibus perpetuis nec [1] super feudis suis et in causis in iudicio coram ipso. Item ordinamus quod expense hinc inde facte sint quitte et remisse. Item quod dictos quatuor modios frumenti teneatur dictus Johannes assetare dicto cappitulo, ita quod dictum cappitulum sit contentum. Item pronunciamus diffinitiue predictum cappitulum nos inuenisse in possessione uel quasi iuris exercendi usque ad hec tempora chartras et recipiendi comodum dictarum chartrarum in dicta parrochia et eciam longa consuetudine et iusto titulo, et per sigillationem litterarum super perpetuis contractibus et testamentis per dictum Johannem uel predecessores ipsius dictum cappitulum uel commissarii ipsius non debuerunt in chartris predictis uel emolumento prouenienti ex eis impediri seu perturbari vtendo dicto sigillo. Et in predicta pronunciacione facta per predictos arbitratores interfuerunt presentes infrascripti canonici, videlicet dnus Johannes decanus Sedun., dnus Ebalus sacrista, dnus Johannes Boneti, dnus Ebalus Vbodi, dnus Petrus Falconis, dnus Franciscus de Yporrigia, dnus Anthonius Vbodi, Jacobus de Augusta, Johannes de Drona, Petrus de Venthona, Franciscus Benedicti, Aymo de Estanaye et Peronetus de Claromonte, canonici Sedun., qui predicti canonici predictam pronunciacionem..... [2] reclamauerunt, dicentes eam cedere in eorum lesionem cappituli et ecclesie Sedun., et de predictis omnibus et singulis preceperunt michi notario infrascripto sibi fieri publicum instrumentum et de presencia..... arbitratores commoti et irati, prout prima facie apparebat, recesserunt. Facta fuit predicta pronunciacio per dictos arbitratores anno, die, mense, indicione et loco quibus supra, presentibus..... dno Johanne de Nas, presbiteris, Jacodo dicto de Olono de Seduno clerico, Roleto de Curia ma-

[1] Dans la rédaction du notaire telle qu'elle se trouve dans le registre original (voy. le numéro précédent), il y a *nisi* au lieu de *nec*.

[2] Trou au parchemin, qui a été rongé.



iori, August. dyocesis, clerico et pluribus aliis. Et ego Johannes de Ylletis Sedun. dyoc. clericus, etc. Nos vero predicti commissarii quod vidimus hoc testamus, et facta diligenti collatione de instrumento originali predicto ad presens transcriptum in premissis sigilla nostra duximus apponenda ad memoriam rei geste, et ipsum instrumentum in hiis scriptis redigi fecimus et scribi manu Anthonii Medici auctoritate imperiali notarii suo signo signatum. Datum et actum apud Musterium, die mercurii V^a^ mensis februarii, anno Dni M°.CCC°XXVI. Et ego vero Anthonius Medici, etc.

Sceau du prieur Nicolas.

1473

Protestation de quelques chanoines de Sion contre la sentence arbitrale prononcée au sujet de la chancellerie d'Anniviers.

Sion, 1323, 1 juillet.

Archives de Valère, D, 62.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem millesimo CCC°XXIII°, indictione VI, prima die mensis julii, per hoc presens publicum instrumentum cunctis appareat euidenter quod constitutis in presentia reuerendi in Christo patris dni Aymonis miseratione diuina episcopi Sedun. et discreti viri magistri Jacobi de Mentone decani de Auentica, viris venerabilibus dnis dno Johanne decano ecclesie Sedun., dno Thoma cantore dicte ecclesie, dno Guidone de Montagnie, dno Johanne Herpo et Petro de Ventona, canonicis dicte ecclesie Sedun., proposuerunt prenominati canonici contenta in quadam cedula, cuius cedule tenoren legi fecerunt et exponi per discretum virum dnum Johannem de Meyriaco, judicem Chablasii et Geben.

pro illustri viro dno Amedeo comite Sabaudie, in presentia predictorum dni episcopi, magistri Jacobi, mei notarii et testium subscriptorum. Tenor vero dicte cedule de verbo ad verbum sequitur in hunc modum : Vobis reuerendo in Christo patri ac dno dno Ay. miseratione diuina episcopo Sedun. et magistro Jacobo de Mentone decano de Auentica, compromissariis in causa que ventilata extitit coram vobis inter nobilem virum Johannem vicedominum de Aniuesio, ex vna parte, et capitulum ecclesie Sedun., seu Ebalum Hubodi canonicum dicte ecclesie, sindicum et procuratorem dicti capituli, ex altera, conquerendo exponunt Johannes decanus ecclesie Sedun., Thomas cantor dicte ecclesie, Guido de Montaygnie, Johannes Herpos et Petrus de Ventona quod cum vos in causa predicta, pretextu potestatis vobis date generaliter a sindico predicto et quibusdam aliis canonicis dicte ecclesie, ut dicitur, arbitrati fueritis quod Johannes de Aniuesio et sui heredes chartris, litteris suo sigillo sigillandis in perpetuis contractibus et testamentis de cetero vti possit suo nomine in valle de Aniuesio inter contrahentes ibidem et emolumenta exinde prouenientia habeat et percipiat et sigillo suo tanquam auctentico credatur, et si forte eidem Johanni uel suis heredibus quandoque placuerit uel videbitur expeditum, possint dictam cancellariam et vsum chartrarum et litterarum dimittere, et plura alia dixeritis et arbitrati fueritis, sequendo pocius voluntatem vestram quam judicium rationis, exponunt, inquam, predicti canonici nominibus suis et ceterorum canonicorum qui absentes sunt et fuerunt temporibus potestatis vobis date et dicti arbitramenti per vos facti, et eorum qui sibi adherere voluerint, quod ecclesia Sedun. predicta et dictum capitulum enormiter sunt grauati et lesi in pronunciatione seu arbitramento predicto, tum ex eo quod cancellaria, id est auctoritas conficiendi chartras super contractibus perpetuis et testamentis in ciuitate et dyocesi Sedun. et in valle de Aniuesio pertinet ab anti-

quo et pertinere debet ad dictum capitulum plene, libere et vniuersaliter in tantum quod ad nullum alium tam jure suo quam ex priuilegio et concessione episcoporum Sedun. qui pro temporibus fuerunt, quam ex antiqua consuetudine, tum ex eo quod per dictam vestram pronunciationem, ordinationem seu arbitramentum immutatur et patitur substractionem vniuersalis juridicio et auctoritas dicte cancellarie ad dictum capitulum ratione dicte ecclesie ex causis quibus supra pertinentis, tum ex eo quod pretextu dicte vestre inique ordinationis ceteri nobiles in diocesi predicta circa turbationem, diminutionem et eneruationem dicte cancellarie et emolumentorum eiusdem in preiudicium eiusdem ecclesie similiter poterunt attemptare, tum quod per eà que coram vobis recitata fuerant et probata sufficienter, vobis liquebat de jure dicti capituli, ut superius est premissum. Preterea potestas vobis a dicto sindico et aliis data fuit data ex arrepto non habito tractatu conuocato capitulo, nec ipsis uocatis uel presentibus, sed ipsis absentibus et neglectis. Et preterea potestas predicta secundum justiciam et probata intelligi debuit, vnde cum vos in graue et enorme preiudicium dicte ecclesie et capituli predicti predicta ordinaueritis, idcirco videntes et sentientes ex predictis dictam ecclesiam et se fore lesos, in quantum faciunt contra ipsos nominibus suis et eorum qui sibi adherere voluerint, petunt et supplicant vobis quatinus predictam pronunciationem vestram, ordinationem, arbitramentum seu dictum, in quantum tangunt lesionem ecclesie, capituli et cancellarie predicte, reuocare curetis et in debitum statum, equitatem et justiciam reducere. Protestantur etiam specialiter et expresse quod vestre ordinationi, arbitramento seu dicto cedunt vel cedere possunt in preiudicium dicte ecclesie, cancellarie et ipsorum, non consentiunt nec consentire intendunt, sed eis contradicunt expresse et ab ipsis reclamant et se opponunt et opponent, et justiciam dicte ecclesie et suam circa predicta

pro viribus prosequentur. Item requirunt vos predicti canonici, nominibus quibus supra, vos scilicet dnum episcopum tanquam judicem ordinarium et superiorem quatinus predicta facta, dicta et arbitrata in lesionem dicte ecclesie, capituli, cancellarie et ipsorum reuocare velitis et in debitum statum rationi et equitati consonum reducere, corrigere et emendare et indempnitati dicte ecclesie prouidere. Et de predictis requisierunt predicti canonici et Johannes de Aniuesio per me notarium infrascriptum sibi fieri publica instrumenta. Actum Seduni, in camera dni episcopi predicti, vbi ad hoc fuerunt testes vocati et rogati dnus Johannes de Meyriaco predictus, dnus Johannes Giraudi, Petrus de Montana, jurisperiti, Jacobus de Olono clericus, Aymo eius frater, Jaquetus Mistralis habitator Seduni, Johannes Monmeliant clericus.

Et ego Stephanus Alamandi de Amisiaco Gebenn. diocesis, auctoritate imperiali et dni comitis Sabaudie publicus notarius, hiis omnibus interfui vocatus et rogatus, hanc cartam scripsi, signoque meo solito signaui et tradidi fideliter canonicis antedictis.

Amoueatur.

Sequitur littera sindicatus et procuratoris capituli Sedun.

1474

Quelques membres du chapitre de Sion nomment un procureur pour demander à l'archevêque de Tarentaise la révocation de la sentence arbitrale relative à la chancellerie d'Anniviers.

Sion, 1323, 5 juillet.

Archives de Valère.

* Anno Dni M°.CCC°. vicesimo tercio, inditione VI^a^, III nonas julii, in ciuitate Sedun., in choro magno ecclesie inferioris, in

presencia mei notarii et testium subscriptorum viri venerabiles et dni Johannes decanus Sedun., Thomas cantor tanquam canonicus in hac parte, Johannes Herpos sacerdos, Guydo de Montagnyaco et Petrus de Venthona, canonici dicte ecclesie Sedun., pro se et sibi adherentibus et adherere volentibus, suum constituerunt procuratorem specialem Franciscum Benedicti concanonicum eorum Sedun. jurisperitum ad presentandum quamdam supplicacionem et officium implorandum reuer. in Christo patris dni archiepiscopi Tharentasien. super contradicione et reuocacione facienda quorumdam grauaminum illatorum contra capitulum Sedun. et ecclesiam Sedun. per reuer. in Christo patrem dnum Aymonem episcopum Sedun. et magistrum Jacobum de Menthone decanum de Auentica, arbitratores super quibusdam questionibus existentibus inter dictum capitulum, ex vna parte, et nobilem virum Johannem de Aniuesio, ex altera, etc. Dantes dicto procuratori, etc. Testes dnus Johannes Muçços, dnus Walterus de la Volta, dnus Aymo de Salqueno, presbiteri, seruitores ecclesie Sedun., Jabus de Vespia mistralis capituli et ego Johannodus dictus de Auborenges clericus, etc.

1475

Le chapitre de Sion établit des procureurs chargés de présenter à l'archevêque de Tarentaise une supplique pour pouvoir poursuivre la cause de la chancellerie d'Anniviers, malgré le serment que les chanoines ont prêté d'accepter la sentence arbitrale qui serait prononcée par l'évêque de Sion et le doyen d'Avenches.

Valère, 1323, 5 juillet.

Archives de Valère, D, 63.

* Nos capitulum Sedun. congregatum ad sonum campane, vt moris est, notum facimus vniuersis presentes litteras inspec-

turis quod nos constituimus syndicos et procuratores nostros dnum Ebalum Hubodi, dnum Franciscum de Yporregia, dnum Petrum Escot, Johannem de Drona, Petrum de Verbona, Franciscum Benedicti, canonicos nostros Sedun., Jacobum de Olono clericum, quemlibet ipsorum in solidum, in omnibus causis nostris coram quibuscunque judicibus et specialiter ad presentandum et prosequendum quandam supplicacionem rev. patri archiepiscopo Tharent. super relaxacione quorumdam juramentorum prestitorum per dnum Ebalum predictum procuratorem nostrum, quam eciam per aliquos canonicos nostros de obseruando arbitramento quod pronunciaretur per dnum Aymonem episcopum Sedun. et magistrum Jacobum de Mentone decanum de Aduentica, arbitratores electos super questionibus vertentibus super cancellaria chartrarum vallis de Aniuisio inter nos dictum capitulum, ex vna parte, et nobilem virum Johannem vicednum de Aniuisio domicellum, ex altera, et ad supplicandum, agendum, deffendendum et etiam adherendum, si necesse fuerit, supplicacioni facte uel faciende dicto dno archiepiscopo per alterum eorumdem nomine dnorum Johannis decani Sedun., Thome cantoris, tanquam canonicorum in hac parte, Johannis Herpo, Guidonis de Montagnie, Petri de Venthona, concanonicorum nostrorum, prout in supplicacione et reclamacione grauaminum illatorum per dictos arbitratores contra dictum capitulum plenius continetur, ac eciam contradicioni facte per eos adherendi, et post relaxacionem juramenti dicti syndici et aliorum canonicorum qui jurauerunt attendere dictum arbitramentum prosequendi dictum negocium coram dno archiepiscopo predicto. Dantes eisdem plenam potestatem, etc. Datum et actum in choro ecclesie Valerie presentibus in nostro capitulo dno G. decano Valerie, dno Johanne decano Sedun., dno Ebalo sacrista et dno Thoma cantore, dnis Johanne Herpo, Johanne Boneti, Petro Farconis, Anthonio Hubodi, Guigone de Montagnie et Aymone



de Estauaye, canonicis, procuratoribus supradictis, tercio nonas julii, anno Dni M°.CCC°XXIII°. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum duximus presentibus litteris apponendum.

Et nos officialis curie Sedun. ad requisicionem dicti capituli auctoritatem nostram presenti procuratorum constitucioni interposuimus et decretum. In quorum robur et testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Fragment du sceau de l'official.

1476

Girold de Greysier vend à son cousin Théobald de Greysier tout ce qu'il possède à Bons, en Chablais.

Sion, 1323, 6 juillet.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

* Anno Dni M°.CCC°XXIII°, inditione VI, II nonas julii, in ciuitate Sedun., iuxta capellam Sancti Mychaelis uersus turrim maioris Sedun. Cum Giroldus naturalis filius quondam Aymonis de Gresiaco maioris Sedun. alias, bene sunt elapsi IIII^or anni, vendiderit Theobaldo filio naturali nobilis viri Petri de Gresiaco domicelli, fratris quondam dicti Ay., omnes terras et possessiones quas habebat in tota parrochia de Bons, dyocesis Gebenn., excepta vna ochia quam tenet mater dicti Giroldi, quam in dicta vendicione retinuit dictus Giroldus, pro precio sex lb. Gebenn. veterum semel dicto Giroldo solutarum, licet inde instrumenta facta non fuissent, volens dictus Giroldus, ad ipsius Theobaldi requisitionem, dictam vendicionem per instrumentum ratificari, dictam vendicionem ibidem predictus Giroldus innouauit et confirmauit, promittens, etc.



Quam venditionem, cum predicte possessiones sint de feudo homagii ligii dicti Petri de Gresiaco, idem P. laudauit.

1477

Supplique présentée au nom de quelques membres du chapitre de Sion à l'archevêque de Tarentaise, pour demander la révocation de la sentence arbitrale relative à la chancellerie d'Anniviers.

Clery, 1323, 8 juillet.

Archives de Valère.

Anno a natiuitate Dni millesimo CCC° vigesimo tercio, indicione sexta, die octaua intrante julio, per hoc presens publicum instrumentum omnibus appareat euidenter quod in presencia mei notarii publici et testium infrascriptorum constitutus personaliter venerabilis et discretus vir dnus Franciscus Benedicti canonicus Sedun., procurator et procuratorio nomine capituli ecclesie Sedun., vt asseruit et se obtulit incontinenti de procuratione fidem facere per publicum instrumentum, presentauit reuer. in Christo patri dno B.[1] diuina prouidentia Tharentas. archiepiscopo quandam supplicationem, cuius tenor infra sequitur: Ad vos reuer. in Christo patrem ac dnum dnum B. prouidentia diuina Tharen. archiepiscopum, tanquam ad superiorem metropolitanum in Christo patris dni Ay. diuina gratia episcopi Sedun., recurrit propter ea specialiter que secuntur et conquerendo supplicat et exponit Franciscus Benedicti canonicus Sedun., procurator venerabilium virorum dnorum Jo. decani Sedun., Thome cantoris, Johannis Herpo, Petri de Ventona et Guidonis de Montagnye, canoni-

[1] Bertrandus de Bertrandis.



corum Sedun., nomine suo et procuratorio nomine eorumdem et adherere volentium eisdem, quod cum ab antiquissimo tempore ecclesia Sedun. obtinuerit titulo largitionis seu perpetue donationis a bone memorie beato Karolo magno, serenissimo imperatore et principe Romanorum quondam, comitatum seu prefecturam terre Valesii, vt sic dicta ecclesia gauderet perpetuo gladio bisfortaito, scilicet spirituali et temporali, et ex causa predicta dicta ecclesia seu episcopi qui ibidem pro temporibus fuerunt, mero et mixto imperio suppremo vsi fuerint et vtantur, et ab antiquo per episcopos qui pro temporibus fuerunt ibidem et capitulum eiusdem ecclesie fuerit instituta cancellaria, id est auctoritas conficiendi chartras vniuersaliter super contractibus perpetuis et testamentis in ciuitate et dyocesi Sedun., potissime a Morgia supra, et quam quidem cancellariam auctoritate et concessione episcoporum qui pro temporibus fuerunt tam alique persone dicti capituli quam ipsum capitulum tenuerunt, exercuerunt et ea vsi fuerunt plene et vniuersaliter per tanta tempora quod in contrarium memoria non existit, et emolumenta magna percipere et habere ex ea, et quam tenuerint et adhuc tenet dictum capitulum de feudo dnorum episcoporum predictorum, et pro qua consueuerunt eisdem ministrare vnum hominem ligium de canonicis dicti capituli et adhuc ministrant. Modernis autem temporibus, scilicet a tresdecim annis citra, contigerit quod idem dnus episcopus motus affectione carnali magis quam vtilitate ecclesie Sedun...[1] in feudum nobili viro Johanni de Aniuesio domicello nepoti ex sorore dicti dni episcopi [2] vicedominatum vallis de Aniuesio [3], tunc pleno iure ad dictam ecclesiam pertinentem,

[1] Le côté droit du parchemin a été mouillé et le commencement des lignes manque.

[2] Cette sœur de l'évêque Aymon de Châtillon est Guigone, épouse de Jacques d'Anniviers et mère du vidomne Jean.

[3] Acte du 13 mars 1311, publié plus haut, pag. 209.

cum consensu dicti capituli, hinc... Johannes pretextu vicedominatus predicti sigillum proprium fabricari fecit et ipso vti in valle predicta, que sita est infra dictam dyocesim et terminos supradictos, in contractibus perpetuis et testamentis qui ante consueuerunt... et commissarios et iuratos dicti capituli in valle predicta auctoritate dicte cancellarie vniuersaliter expediri, et in tantum vti cepit sigillo predicto publice in valle predicta in dictis contractibus perpetuis (et testamentis), et ex ipsis sigillationibus emolumenta percepit et percipit idem Johannes quod, quantum in eo est, idem Johannes in curia sua plenam fidem adhibeat litteris suo sigillo sigillatis et fidem et probationem faciant... et valle predicta et eas executioni demandet, per quas sigillationes et factum dicti Johannis effectum est quod gentes in valle predicta, qui generaliter antea vti consueuerunt chartris auctoritate dicte cancellarie... ipsis chartis diuertantur, et officium, auctoritas seu vsus dicte cancellarie eneruatur et quasi totum diminuitur et absorbetur propter sigillationes predictas, et a tribus annis citra nullum emolumentum... ex ipsa cancellaria dictum capitulum habuit vel percepit in valle predicta, cum quinque frumenti modia ex ipsa cancellaria in valle predicta a commissario deputato ab ipso ad faciendum dictas... auctoritate dicte cancellarie annis singulis consueuisset percipere et habere. Que cum primum ad noticiam dicti capituli deuenerunt per relationem curati de Aniuesio tenentis cancellariam ibidem vice... dicti capituli, volens et intendens dictum capitulum deffendere iurisdicionem dicte ecclesie et cancellarie predicte et vti auctoritate statutorum synodalium et episcopalium editorum in ecclesia Sedun. contra predones... et contra eos qui occupant, turbant vel impediunt iura et bona ecclesie, capituli vel conuentus, ita quod ecclesia, capitulum vel conuentus vti non possunt ita libere sicut ante, requisierunt dictum curatum de... propter iniuriam et preiudicium dicti Johannis, quam et quod faciebat

dicto capitulo in vtendo sigillo in actibus supradictis, quod cedebat in eneruationem et diminutionem dicte cancellarie et per quod ab... emolumentum eiusdem non posset ea vti plene, fructuose vel libere, sicut antea consueuerant, vt a diuinis cessaret, vt sic idem Johannes ad conscienciam et iusticiam reuersus desisteret a predictis... auctoritate dictorum statutorum a diuinis cessauit, quam cessationem idem Johannes perseuerando in dictis suis sigillationibus et preiudicio dicti capituli substinuit spacio viginti mensium vel... predictum curatum cessantem, vt supra, traxit in causam coram dicto dno episcopo, et contra ipsum proposuit quod idem curatus ipsum Johannem et eius vxorem et familiam spoliauerat diuinis officiis et ecclesia(sticis) sacramentis cessando ab ipsis, petendo se restitui ad ipsa et de inuria protestando contra curatum predictum. Cuius curati deffensioni se opposuit Ebalus Vbodi canonicus Sedun., syndicus et... nomine dicti capituli, cuius principaliter intererat et ad eum pertinebat deffendere dictum curatum et causam predictam, que pertinebat ad ipsum capitulum ex causis predictis, et qui syndicus iustas... et deffensiones opposuit, quod a cessando idem curatus desistere non debebat, seu eundem Johannem admittere ad diuina officia et ecclesiastica sacramenta, cum ligatus esset sta(tutis synodalibus) et episcopalibus predictis, donec cessaret a preiudicio inferendo dicto capitulo et ab vsurpando sibi ea que ad iurisdicionem et cancellariam dicte ecclesie et dicti capituli noscebantur, et erat... scilicet sigillationibus predictis in contractibus perpetuis et testamentis. Lite igitur contestata coram dicto dno episcopo super predictis et pluribus accitatis et propositis et responsis hinc et inde, dicte partes, scilicet... ex vna parte, et dictus syndicus, nomine dicti capituli, consentientibus pluribus de dicto capitulo et presentibus, in dictum dnum Sedun. episcopum et magistrum Jacobum de Menthone decanum de Auentica... dicto negocio compromiserunt et compro-

missum iuramentis vallauerunt. Quo compromisso recepto per dictos dnum episcopum et magistrum Jacobum et plenaria potestate a partibus sibi data, antequam ad... dicti negocii procederent et ipso Johanne in dictis sigillationibus et preiudicio dicti capituli perseuerante, ad amotionem dicti cessus et iubendo in ecclesia de Aniuesio celebrari diuina et... ecclesiastica sacramenta, in preiudicium dicti capituli et contra predicta dicti dni episcopi statuta faciendo, eidem Johanni voluntate precipiti proruperunt, et deinde probationes et informationes dictarum p(artium) pro principali negocio receperunt, ipsisque receptis pronunciando necnon arbitrando, tanquam compromissarii, idem dnus episcopus et magister Jacobus arbitratores predicti diffinitiue pronunciauerunt... capitulum inuenisse in possessione vel quasi iuris exercendi cancellariam in ciuitate et dyocesi a Morgia supra in valle de Aniuesio ex iusto et legitimo titulo et ex antiqua consuetudine, ipsum... non debuisse impedire cancellariam dicti capituli et emolumenta consueta percipi ex eadem per suas sigillationes predictas, inhibentes eidem ne litteras imposterum sigillaret alibi ali... in preiudicium capituli supradicti. Deinde dictus dnus episcopus et magister Jacobus tanquam arbitratores seu ex voluntate propria pronunciauerunt et dixerunt et ordinauerunt quod dictus Johannes... heredes haberent et de cetero exercerent suo nomine dictam cancellariam in valle predicta, et quod in contractibus perpetuis et testamentis vteretur chartris vel litteris sigillatis eius sigillo tanquam auten... seu publico, et emolumenta inde prouenientia perciperet et haberet, et quod pro predictis daret eidem capitulo ex causa permutationis quatuor modia frumenti annui redditus assignanda et assetanda... certis rebus, addiciendo eciam quod quandocunque dicto Johanni vel suis heredibus displiceret vel videretur expedire, quod possit et sibi liceat dimittere dictam cancellariam et ex tunc dicta quatuor modia ad eum reuertantur,

etc., cum pluribus aliis in dicta pronunciatione contentis. Que predicta sic voluntarie, immo pocius temerarie pronunciata, arbitrata seu dicta ad effectum perduci contingeret quod... cedant et cedent euidenter in graue et enorme preiudicium et lesionem dicte ecclesie Sedun. et capituli predicti et eciam episcopi, tam ex eo quod non est dubium quin per hoc fieret alienatio et translatio iuris et iurisdicionis ecclesie predicte et capituli eiusdem, tum ex eo quod per hoc fieret sectio integralis iurisdicionis dicte cancellarie, quam habuit, obtinuit et exercuit ab antiquo dicta ecclesia seu persone et capitulum dicte ecclesie in ciuitate et dyocesi predictis a Morgia supra vniuersaliter, infra quam dyocesim et terminos est vallis predicta, et immutaretur vniuersalis et generalis status auctoritatis et iurisdicionis cancellarie predicte, tum quod eciam diminueretur redditus dicte cancellarie et capituli predicti, cum maiorem redditum, scilicet quinque modia, percipere consueuerit ex cancellaria predicta in dicta valle, tum quod si concedatur vti sigillo proprio in contractibus perpetuis et testamentis, verisimiliter dubitatur ne ceteri nobiles exemplo dicti Johannis similia attentare presumant, et valde difficile esset, immo quasi impossibile dicto capitulo iura sua et dicte ecclesie circa predicta contra ceteros nobiles deffensare, cum iam in presenti negocio et pro deffensione iuris ecclesie predicte et sui contra dictum Johannem et causam et occasionem prebentem multas et magnas expensas substinuerit et labores, et frequenter dicti canonici diuerti et abstrahi necesse habuerint a diuinis officiis et insistere prosecutioni et deffensioni cause predicte, pro conseruatione jurisdicionis et honoris ecclesie predicte, tum quod eciam in predicta ordinatione et arbitramento non occurrit aliqua necessitas vel vtilitas ex parte dicte ecclesie, immo graue dampnum et preiudicium, nec aliqua pietas ex parte dicti Johannis, nec aliqua dubietas seu obscuritas de iure dicte ecclesie, immo sufficienter et legitime

probauerat et informauerat dictum capitulum seu eius syndicus tam per priuilegia, testes, litteras, chartras, instrumenta et alia legitima documenta de iure suo et ecclesie predicte, quod dictus Johannes debuisset de iure condempnari, vt perpetuo desisteret a sigillationibus predictis et ad emendam dampnorum et iniurie que intulit capitulo predicto et expensarum. Quibus perperam actis, vt supra, plures canonici dicte ecclesie qui dicto compromisso non fuerunt presentes, nec suum accomodauerunt consensum predictis sic inique dictis, arbitratis seu ordinatis, videntes predicta cedere posse in grauamen sui et dicte ecclesie lesionem, nominibus suis et dicte ecclesie et ceterorum absentium et sibi adherere volentium, in quantum cedere possunt in lesionem predicte ecclesie, contradixerunt, reclamauerunt et se opposuerunt contra ea, et a dicto dno episcopo cum magna instancia petierunt quatenus predicta attemptata in lesionem et preiudicium dicte ecclesie et dicti capituli iure ordinario reuocaret, quod tamen facere non curauit. Ne igitur carnalis affectio quam habet et habuit idem dnus episcopus erga dictum Johannem eius nepotem, cui nimis fauet et fauit in presenti negocio contra dictum capitulum, et cui eius nepoti idem dnus episcopus in graue preiudicium et lesionem dicte ecclesie a tresdecim annis citra dedit in feudum vicedominatum de Aniuesio ad dictam ecclesiam pertinentem, et qui Johannes et eius predecessores multos redditus et multa bona a dicta ecclesia habuerunt, et cuius ecclesie fuerunt eius predecessores vassalli et adhuc est idem Johannes, et ne dictum vicedominatum quod recepit in feudum et beneficium et cuius occasione tenetur dicte ecclesie ad ea que in fidelitatis articulis continentur, contra dictam ecclesiam et in ipsius lesionem conuertat, qui cum dictam ecclesiam aduersus alios tenetur deffensare, multo fortius debet in se ipso ab omni iniuria et preiudicio inferendo dicte ecclesie abstinere. Et cum de predictis sit paratum dictum capitulum suo

loco et tempore facere promptam fidem; idcirco dictus procurator ad vos dnum reuerendum archiepiscopum recurrit et vestrum implorat officium eo modo et forma quibus melius potest, et vobis humiliter supplicat procurator eorum predictus, quatenus predicta dicta, pronunciata, arbitrata, ordinata, qualimodo dici debeant, in quantum cedunt vel cedere possunt in lesionem et preiudicium dicte ecclesie et capituli predicti, nulla fore declaretis et viribus carere, vel si aliqua sint ipsa reuocetis et infirmetis, corrigatis et emendetis, et super predictis dignemini facere et statuere quod vobis ad conseruationem, reformationem honoris et iurisdicionis et status predicte ecclesie reformanda et statuenda videbuntur et in melius reformetis, et indempnitati dicte ecclesie et predicti capituli prouidere remediis oportunis, dictumque Johannem vassallum dicte ecclesie ab vsurpatione et occupatione predictis et ab inferendo iniuriam et preiudicium dicto capitulo et cancellarie predicte per sigillationes eius predictas et vsum sigilli desistere faciatis, vt sinat dictum capitulum vti plene et libere dicta cancellaria, sicut alias consueuit, iuris remediis compellatis, cum super hiis idem dnus episcopus a dicto capitulo requisitus, fauendo dicto eius nepoti, negligens fuerit et remissus, licet dicta cancellaria de suo feudo existat, et per vos super predictis fieri petit et supplicat procurator predictus quod de iure fuerit faciendum. Non adstringens se ad omnia et singula probanda, nisi ad ea tantum que poterit et que sibi sufficient. Et ante omnia petit et supplicat dictus procurator, habens super hoc speciale mandatum, quatenus ante omnia syndicum et canonicos qui in dicto compromisso et in dando tam dicto dno episcopo quam dicto dno Jacobo plenariam potestatem dicto negocio finem imponendi iuris concordia vel eciam voluntate, vt ipsos a iuramentis predictis, si et in quantum viderentur extendi ad ea que pronunciata sunt seu arbitrata in lesionem dicte ecclesie, absoluatis et dicta iuramenta

relaxetis, vt absolutione et relaxatione obtentis iusticiam dicte ecclesie prosequi valeant coram vobis, vel denuncietis non ligatos iuramentis predictis, cum nunquam cogitauerint nec intentionis eorum fuerit alienationem fieri per compromissarios predictos de iure ecclesie predicte, et maxime quod nunquam eorum intentionis fuerit quod dictus Johannes sigillo suo vti posset in contractibus perpetuis et testamentis, immo principaliter vt ipsum a sigillando et vsu sigilli cessari facerent et desisti principaliter presens negocium fuerint prosecuti, ne ad consequenciam per alios nobiles traheretur, et quod salua eorum reuerencia male pronunciauerunt et inique, cum per eorum pronunciationem euidenter appareat quod dictum capitulum bene et legitime probauerit tam titulum quam eciam consuetudinem et alia que sibi erant necessaria, sic quod in dicta pronunciatione debet contineri quod ipsi inhibent dicto Johanni ne in futurum suo sigillo vtatur in contractibus perpetuis in preiudicium capituli memorati, contra quam pronunciationem sibi concedunt quod vtatur sigillo suo in dicta valle in contractibus perpetuis et in feudis suis et quod credatur sigillo suo tanquam publico vel autentico, prestando auctoritatem et dando eidem quam nullus habuit in terra Valesii retroactis temporibus, nisi episcopus et ecclesia Sedun. et dictum capitulum in contractibus perpetuis in chartris cancellarie supradicte, per quod patet euidenter quod dicta pronunciatio iniqua et sibi ipsi contraria et quod facta est in lesionem episcopi et capituli manifeste. Ita igitur dicta presentatione petiit dictus dnus Franciscus, nomine quo supra, super dictam supplicationem a dicto dno archiepiscopo apponi remedium opportunum, supplicans et reclamans vt in ipsa continetur. Cui siquidem dno Francisco predicto dnus archiepiscopus respondit quod circa examinacionem et deliberacionem supplicationis predicte vsque ad diem mercurii proxime venturam vacare non poterat, propter quedam ardua negocia sibi a

summo pontifice commissa, quam diem sibi assignauit apud Cleriacum ad examinandum et deliberandum per ipsum dnum archiepiscopum super dicta supplicatione et ad faciendum circa predicta ea que de iure facere posset et deberet. Precipiens michi notario infrascripto videlicet dictus dnus archiepiscopus vt de predictis faciam predicto dno Francisco, si habere voluerit, publicum instrumentum. Actum Cleriaci, in camera prefati dni archiepiscopi presentibus testibus ad hoc vocatis et rogatis dno Hugone de Saxo canonico seculari Tharentasien., curato Bosellarum, dno Petro curato Montis Girodi, dno Willermo de Chabannis capellano, Johanne Bertrandi de Chamosseto, et ego Jacobus de Megeua imperiali auctoritate et dni comitis Sabaudie publicus notarius predictis omnibus presens interfui et rogatus et requisitus a dicto dno Francisco scribere predicta omnia scripsi et in publicam formam redegi, signisque meis signaui.

1478

Le chapitre de Sion s'oppose à la mise à exécution de la sentence arbitrale relative à la chancellerie d'Annivers.

Sion, 1323, 9 juillet.

Archives de Valère.

In nomine Dni, Amen. Euidenter pateat vniuersis hoc instrumentum publicum inspecturis quod anno Dni M°CCC° vicesimo tercio, indicione sexta, VII° idus julii, in ciuitate Sedun., in camera episcopali domus episcopalis Sedun., ante conspectum reuer. in Christo patris dni Aymonis Dei gracia episcopi Sedun. ac presente ibidem me notario publico infrascripto, vna cum testibus infrascriptis, propter hoc specialiter



constituto venerabili viro Johanne de Dronna canonico Sedun., sindicoque et procuratore ac sindicario et procuratorio nomine ven. capituli Sedun., idem sindicus et procurator, nomine quo supra, dixit, protulit in scriptis et proposuit infrascripta vt sequitur in hunc modum : Reuerende pater, cum ad presentem diem citari feceritis capitulum Sedun. coram vobis et me procuratorem et sindicum dicti capituli ad recipiendum assectamentum quatuor modiorum frumenti quod paratus est facere Johannes de Aniuesio domicellus, ratione compositionis per vos et magistrum Jacobum de Mentone facte, sciatis quod non tenemur recipere assectamentum predictum, quia sicut scitis dnus Johannes decanus, dnus Thomas cantor, dnus Johannes Herpo, Petrus de Venthona et Guydo de Montagnyaco, canonici Sedun., contra dictam compositionem, pronunciationem et arbitrium reclamauerunt et contradixerunt, in quantum tangit alienationem juris jurisdicionis dicti capituli, lesionem, diminutionem bonorum ecclesie Sedun., petentes dictam compositionem et pronunciationem reduci ad arbitrium boni viri, cui contraditioni, reclamationi dnus Ebalus sindicus dicti capituli adhesit, nomine procuratorio dicti capituli, et ego nomine sindicario et procuratorio dicti capituli adhereo, adhesi et adherere intendo, et dictum capitulum in quantum tangit dampna, diminutionem, alienationem et lesionem juris, honoris dicti capituli et ecclesie Sedun. Quare dictum assectamentum recipere ad presens ego vel dictum capitulum non intendimus, sed pocius prosequi reuocationem dicte pronunciationis coram superiore vestro et facere reduci ad arbitrium boni viri pronunciationem predictam, tanquam iniquam et in enormem lesionem et diminutionem bonorum, juris et honoris ecclesie Sedun. prolatam. Huic autem prolationi et propositioni sic facte per dictum Johannem sindicum, nomine quo supra, fuerunt testes presentes vocati et rogati videlicet dnus Ansermus, dnus Martinus, capellani dicti dni episcopi, Ame-

deus de Reyna notarius auctoritate imperiali publicus, Roletus de Curia maiori clericus.

Et ego Johannodus de Auboreynges de Viuiaco clericus, etc.

1479

L'archevêque de Tarentaise déclare que le serment par lequel les chanoines de Sion se sont engagés à accepter la sentence arbitrale relative à la chancellerie d'Anniviers, ne les empêche pas de travailler à obtenir la révocation de cette sentence.

Cléry, 1323, 18 juillet.

Archives de Valère.

B. diuina miseratione Tharent. archiepiscopus karissimis suis et dilectis in Christo decanis, sacriste, cantori et ceteris canonicis ecclesie Sedun. salutem in salutis actore. Cum intellexerimus et viderimus contineri in instrumentis et scripturis quibusdam quosdam et quam plures ex vobis promisisse jurando tenere et obseruare arbitramentum seu prononciationem quod seu quam vellent facere reuer. pater in Christo dnus Ay. episcopus Dei gracia Sedun. et magister Jacobus de Menthoue decanus de Auentica, super questione que vertebatur inter vos, ex vna parte, et nobilem virum Johannem de Aniuesio domicellum, ex altera, super cancellaria et chartris sigillandis in valle de Aniuisio, et dictum et prononciatio facta per eos cedant in dicte vestre ecclesie et capituli lesionem, vt prima facie nobis apparet per scripturas predictas, vobis tenore presentium intimamus quod nobis non videtur vos teneri ad obseruationem dictorum juramentorum, per que jura ecclesie vestre et capituli lederentur, quominus jura dicte ecclesie et capituli vestri in agendo et defendendo agitare, deffendereque possitis in predictis et circa predicta. Et si forte

rellaxatione aliqua juramenti in eis indigeritis, ipsam rellaxationem, in quantum possumus, vobis indulgentes per presentes vobiscum super hiis dispensamus. Datum Cleriaci, cum appositione sigilli nostri, die XIII mensis julii, anno Dni millesimo CCC°XXIII°.

1480

Guillaume de la Clève libère Jean du Château de l'hommage que ce dernier lui devait.

Les Vignes, 1323, 18 juillet.

Archives de Valère.

* Notum sit quod ego Willermus de Cliuo domicellus, landatione Johannete vxoris mee et Perrodi filii mei, alii pueri mei erant impuberes, solui, finaui et quittaui Johanni filio quondam Michaelis de Castro et fratribus suis et Petro Sutori de Castro filio quondam Amoudrici de Castro de totali homagio et fidelitate in quibus michi tenebatur Johannes predictus ratione quondam Ysabelle de Chaleyr et hospicii de Chaleyr et de omnibus vsagiis, etc. Actum apud les Vignes, in domo dicti Willermi, XVIII julii, anno Dni M°.CCC°.XXIII°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1481

Statuts synodaux du diocèse de Sion.

1313-1323.

Archives de la paroisse d'Ernen, copie de M. Ferd. Schmid.

Quoniam maliciis hominum est obuiandum, idcirco prouide duximus statuendum vt curati et vicarii in exequendis litteris

apostolicis et legatorum seu delegatorum aut subdelegatorum eiusdem solerter intendant et ne ob eorum negligenciam siue impericiam eorum subditi pregrauentur, idcirco prouide duximus statuendum, ne quis curatus siue vicarius, prior aut alius presumat aliquas litteras citacionis uel excommunicacionis, suspensionis uel interdicti seu processus sigillare aut execucioni mandare contra tenorem constitucionum nouelle que incipit: *Statutum* sub titulo de *Rescriptis*, Libro sexto[1]. Et contingat quod hii qui contra dictam constitucionem aliquos citari uel excommunicari mandant, in ipsos curatos uel vicarios, priores uel alios non exequentes eorum litteras aliquas sentencias excommunicacionis uel suspensionis seu interdicti promulgent, non pareant eis et ipsas in aliquo non formident, cum sint nulle ille siue ipso iure tamquam ab illis promulgate qui in dictis casibus nullam iuridictionem habere noscuntur. Qui autem contra inhibicionem nostram aliquas litteras sigillauerint in casibus predictis, adiutores esse parti lese condempnentur, et nichilominus per nos pena debita castigentur.

Tenor autem dicte constitucionis sub compendio talis est, vt melius possitis informari: Statutum, etc. Cause a sede apostolica non debent committi nisi personis in dignitate constitutis aut personatum obtinentibus seu ecclesiarum cathedralium canonicis, nec debent audiri nisi in ciuitate uel in locis insignibus vbi possit copia peritorum haberi. Cum vero actor et reus sint eiusdem dyocesis, tunc non potest citari nec conueniri reus a suo aduersario extra episcopatum uel dyocesim. Et si citetur extra, non valet citacio nec debet sigillari nec exequucioni mandari, nisi in casibus sequentibus, scilizet quum episcopus mouet causam contra aliquem, uel aliquis contra eum, aut aliqua vniuersitas ciuitatis, uille aut castri

[1] Sexti decretalium Lib. I, tit. III, cap. XI (anno 1302).



mouet causam contra aliquem, aut aliquis contra eam, aut quum impetrans timet potenciam aduersarii, aut non est ausus ciuitatem intrare et de timore sit mencio in litteris proprie; tunc in hiis casibus sunt littere sigillande, licet actor et reus sint eiusdem dyocesis, dummodo non citetur extra dyocesim suam reus vltra vnam dietam vulgalem, scilizet XX milliaria, uel secundum consuetudinem istius regionis X leucas tantum. Vbi autem actor et reus sunt dyocesium diuersarum, tunc actor non potest conuenire reum, et si citet, non valet, vt supra, sed in dyocesi rei vel in tercia dyocesi potest eum conuenire, in loco qui non distet vltra vnam dietam a fine dyocesis rei, vt in alio casu supra posui. Si forsan vltra in aliquo dubitauerint sacerdotes, dnum episcopum aut eius officialem consulant, antequam litteras reddant sigillatas.

Statutum autem laudabile Viennensis concilii[1] immitantes duximus irrefragabiliter statuendum, quia sunt non nulli clerici et laici qui litteras (l. litteris) dni pape vel legatorum ipsius nequiter abutuntur, idcirco auctoritate presentis synodi excommunicamus presentibus omnes qui litteras obtentas aliis eiusdem nominis ad abutendum tradunt et eos qui eas recipiunt tali modo; item omnes illos qui super vno et eodem negocio coram diuersis iudicibus faciunt euocari; item omnes illos qui ad loca equiuoca aliquem citari faciunt, vt fraudulenter et maliciose vexent et decipient sic citatum laboribus et expensis; item omnes illos qui per litteras dni pape uel legatorum suorum personas non comprehensas in rescriptis per excogitatam maliciam, litem vbi non est famulantes (l. simulantes?), citari faciunt uel procurent ad prohibendum testimonium veritati; item omnes illos qui litteras apostolicas uel legatorum eiusdem sedis ad futuras trahunt controuersias, que nundum fuerant tempore impetracionis exorte; item omnes

[1] Le concile de Vienne a été ouvert le 16 octobre 1311 et terminé le 6 mai 1312.

illos qui per litteras (ad) ea que de bonis pro suo prioratu uel sua ecclesia impetratas ad instanciam aliquorum alios citari faciunt, cum quibus ipsi racione prioratus seu ecclesie quorum nomine est littera impetrata, non habent aliquid questionis, et de littera poscatur acceptum et ea predicto modo abutentibus. Idem per omnia statuentes necnon de omnibus illis qui per quasdam litteras apostolicas aliquos citari faciunt contra quos non habent aliquid questionis; si vero super rebus ad dotem spectantibus litteram apostolicam impetrauerit, et illius auctoritate aliquem uel aliquos cum quibus racione dotis non habet aliquam questionem, fecerit fatigari, auctoritate presentis synodi eam sentenciam quam supra nominati nouerit se ligatum; et illos vero qui falso modo se cruce signatos asserunt (l. asserentes) litteras apostolicas impetrant, per quas aliquos fatigant laboribus et expensis. Item de illis qui priuilegium cruce signatorum impetrant sub illa forma : « Postquam iter arripuerunt transmarinum, » et ante iter areptum per illud priuilegium impetratum aliquos faciunt fatigari, presenti approbante synodo, idem per omnia statuentes, videlizet quod eadem excommunicacionis sentencia sint ligati, aliis penis a iure statutis eis nichilominus infligendis. Hec autem contra abusores litterarum dni pape et legatorum ipsius auctoritate presentis synodi duximus statuenda, eiusdem sedis apostolice et legatorum ipsius auctoritate in omnibus semper salua. Et nichilominus statuentes quod predicti abusores falsarii reputentur et vt falsarii per episcopum qui pro tempore fuerit. puniantur, eodem modo qui consensum, auxilium et assensum prebuerint in hoc facto. Quia eius interpretari cuius est condere, idcirco statutum synodale quod incipit : « Item statutum quod quamdiu predo uel preda, » etc., sic duximus declarandum quod predo non solummodo intelligitur in hoc casu quum quis bonis mobilibus uel immobilibus, iuribus uel actionibus spoliatur uel quasi, sed eciam habet locum dictum statutum

cum bona alicuius ecclesie, vniuersitatis seu collegii ecclesiastici aut capituli uel singularis persone ecclesiastice occupantur, uel ita detinentur violenter quod hii quorum sunt bona ipsis bonis (gaudere) propter occupacionem, sesinam uel detencionem (et) ipsa bona libere, vt prius, habere non possunt, nec in vtilitatem suam conuertere, vt prius faciebant. Ad noticiam autem cuiuslibet sacerdotis et rectoris intelligimus dictam predam deuenisse tunc demum cum is qui spoliatus est uel quasi, id denunciat per se uel per alium sacerdoti et de veritate spoliacionis, sesine uel detencionis fidem faciat per proprium sacramentum uel nuncii fide digni, asserens se sine sentencia iudicis ordinarii uel delegati ecclesiastici fore spoliatum uel quasi, non obstante si spoliatores, occupatores, sesientes uel aliter detinentes res ecclesie uel persone ecclesiastice, vt superius continetur, rem propriam occupasse uel se vsos fuisse suo iure dicant, nisi ostenderent per iudicem ecclesiasticum sibi fuisse concessum, cum nemini liceat sibi ius dicere in re sua, uel auctoritate propria alium pignorare. Erga exemptos se habeant nostri subditi in premissis casibus, prout ipsi se gesserint in casibus predictis quum nostris subditis casus occurrerint supradicti. Idcirco prouide duximus statuendum, sub pena excommunicacionis, vt quilibet curatus siue vicarius omnes excommunicatos sue parochie in scriptis habeat et recepto mandato in scriptis redigat sine mora, vt super hoc magis ac magis formidetur sentencia et excommunicati ab aliis euitentur; qui excommunicati singulis diebus dominicis, prout excommunicati fuerint, a prima aggrauacione vlterius in ecclesia publicentur. Item statuimus vt fraudi aliquorum malignancium obuietur, ne citacio que emanauerit a curiis Sedun. sigilletur a curatis siue vicariis post terciam diem a die date in ipsa littera contente, nec monitiones que *nisi* vocantur, sigillentur nisi per VIII dies ante diem prefixam, qua debet fieri satisfactio impetrantis, curato

uel vicario ostendantur. Que locum habere uolumus in parochiis a Grangiis superius et a parochiis de Vertro infra ; in aliis autem obseruetur quod actenus extitit obseruatum. Item statuimus contra illos qui litteras excommunicacionis siue monicionis contra aliquos latas impediunt et reseruant in fraudem, vt quum eis placuerit, prebent illas contra quos faciunt littere excommunicacionis sentencia innodatos, vt ex quo illi qui dictas litteras habent sine impedimento legitimo aggrauaciones siue reaggrauaciones dictarum litterarum non impetrauerint sed sustinuerint per mensem integrum siue vltra, presumatur de fraude, et si is contra quem impetrate fuerint dicte littere, homo fuerit bone fame, fide dignus et opinionis approbate, pro eo presumatur cum non sustinuerit dictam sentenciam, nisi per alium aliter quam per litteras quos ostendit, aliter comprobetur. Id statutum precipimus sepe et sepius in ecclesiis publicari.

Explicantur constituciones synodales
dni Ay. episcopi Sedun.

Statutum quod circa iudices a sede apostolica deputandos nuper edidimus, cum quedam contenta in eo que pro communi vtilitate edebantur, inducta, sicut experiencia edocuit, tandem dinoscantur ad noxam, sanctione presenti quam irrefragabiliter obseruari mandamus, swadente vtilitate in melius duximus reformandum. Statuimus igitur vt nullis nisi in dignitate preditis (l. positis) aut personatum obtinentibus seu ecclesiarum cathedralium canonicis cause auctoritate litterarum sedis apostolice uel legatorum eiusdem de cetero committantur, nec audiantur alibi quam in ciuitate uel in locis insignibus, vbi possit commode copia peritorum haberi. Cum vero eiusdem ciuitatis seu dyocesis fuerit actor et reus, extra ipsas causa non committatur, nec conueniatur aliquis eorum, nisi ab episcopo contra aliquem de sua dyocesi, uel ab aliquo contra eum aut contra eius capitulum, seu contra vniuersita-

tem ciuitatis, ville aut castri fuerit actio dirigenda, vel nisi actor eandem ciuitatem uel dyocesim intrare non audens, aut sui aduersarii potenciam perhorrescens, eum infra ipsas nequeat conuenire facere. In hiis quippe casibus extra dictas ciuitatem et dyocesim possit contra predictos causa committi; nullus tamen, etc., vltra vnam dietam a fine sue dyocesis valeat conueniri; sed in duobus casibus vltimis, nisi impetrans de predicto timore quem in litteris commissionis exprimere teneatur, primo fidem iudici faciat saltem per proprium iuramentum, iudex ipse nullatenus in causa procedat, sed partes a sua juridictione dimittens impetrantem eumdem in expensis legitimis alteri parti condempnet. Cum autem idem actor et reus ciuitatum uel dyocesium fuerunt diuersarum, si actor in ciuitate uel dyocesi rei iudicem habere recuset, ipsum non in sua sed in alia ciuitate uel dyocesi libere impetrare valeat, reumque contrahere ad eandem, dummodo locus ad quem traxerit vltra vnam dietam, vt in alio casu premittitur, minime sit remotus. In nullo quoque casuum premissorum iudex extra ciuitatem uel dyocesim in quibus deputatus fuerit, citet partes, nec de causa sibi commissa agnoscat (l. cognoscat), nisi ad id expressus accesserit earumdem assensus, nec alibi quam infra illas, et personis dumtaxat designatis superius committat qualibet vices suas. Insuper vt gratis et cum omni puritate iudicium coram ipso procedat, nullum munus uel quidquid aliud, nec forte esculentum uel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis possint consumi diebus, uel nisi cum propter causam sibi commissam contingerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque presumat, prouisurus attente quod in ipsis expensis modus nequaquam excedat, nec plus ab vna parte quam ab alia exigat, cum commune gerat negocium vtriusque, quodque vbi cause sunt commisse, vtilitas uel necessitas non exegerit occasionem propter habendas expensas proficiscendi

extra domicilium non assumat. Sed et vbi notabiliter fuerint pauperes litigantes, tunc pro expensis nil prorsus exigat ab eisdem. Assessorem autem, vtquumque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod consciencie relinquatur eiusdem, sibi nequaquam adiungat; alioquin de suo proprio prouidere tenetur eidem; si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario prouidere moderando ab eo faciat communiter a partibus prouideri. Notarium vero uel notarios in causa sibi commissa scribentes, qui vt plurimi in exigendo salario metas omnes excedunt, vt ad ipsius spectat officium, prudenter refrenet, ne cum ipsis aut cum assessore pro pertrato ludum (l. lucrum) participet vllo modo. Si quid autem contra constituciones presentes receperit, ad ipsius restitucionem integram teneatur, nulla eorum quibus restitucio facienda fuerit remissione vllatenus eidem preferendo, quoque quorum testimonio pretextu aliqui aliquos fraudulenter interdum a iudicibus euocari procurant, vt eos laboribus et expensis fatigant aut extorquant, antequam ab eisdem nullum vllatenus conuocet, nec cuius condicionis et status esse requiret, sed nunc tunc non a producente vocatos pro testimonio comparentes ueniendo, stando et redeundo faciat ministrari expensis. Quidquid autem contra premissa uel eorum aliquid contingerit acceptari (l. attemptari), sit ipso iure irritum et inane.

Ces statuts sont évidemment d'un évêque Aymon, mais il n'est pas dit si c'est d'Aymon de Châtillon ou d'Aymon de La Tour. L'absence du nom de famille et la mention du concile de Vienne, tenu en 1311 et 1312, nous font croire qu'ils sont plutôt du premier. — La copie d'Ernen contient plusieurs erreurs évidentes; nous avons pu en corriger quelques-unes au moyen d'autres actes, mais il en reste encore d'autres qui rendent certains passages inintelligibles.

1482

Statuts synodaux du diocèse de Sion.

1315-1323.

Archives de la paroisse d'Ernen, copie de M. Ferd. Schmid.

Nos Ay. Dei gracia episcopus Sedun. sanctam synodum priorum et curatorum et sacerdotum nostre dyocesis Sedun. celebrantes, attendentes quod extitit consonum racioni quod ea que de nouo statuuntur, taliter publicantur, quod pretextu ignorancie se non valeant hii qui vetita attemptare presumunt, aliquatenus excusare. Idcirco aliqua statuta, que in VII° libro [1] felicis recordacionis dni Clementis pápe contenta, in statutis nostris synodalibus adiungenda precipimus, ac pro salute subditorum nostrorum aliqua statuimus ac etiam declaramus.

Inprimis ne de cetero inter Fratres Predicatores, inter Fratres Minores, aut curatos et sacerdotes parochiarum super predicacionibus exercendis et confessionibus audiendis altercacio, dissensio aut discordia oriantur, sicut quamcumque actenus uel multociens, experiencia docente, in locis variis extitit non sine scandalo attemptatum, duximus declarandum. Quod si aliquis Frater Predicator, uel Frater Minor, aut aliquis religiosus ad aliquam ecclesiam parochianam nostre dyocesis accedat, permittitur predicare licencia petita et habita a sacerdote, cujus nisi licencia petita hoc facere non possunt pretextu priuilegiorum suorum, nisi sint de illis fratribus, qui per suum priorem, ministrum aut magistrum presentati sint episcopo pro dicto officio exercendo et admissi per episcopum aut

[1] *Le VIIme liber* se trouve dans le *Corpus juris canonici* sous le nom de *Clementinæ.*



maliciose repulsi, qui tales sine licencia sacerdotis predicare possunt Verbum Dei et confessiones audire et absoluere tantum in casibus de quibus sacerdotes parochiales absoluere possunt. De hiis autem casibus, qui episcopo reseruantur specialiter, se intromittere non debent, nec (l. nisi) aliam potestatem ab episcopo meruerint obtinere. Et hec statuta sunt VII° titulo *De sepulturis* capitulo *Dudum*. Quartam autem partem de funeralibus et aliis obuencionibus mortuorum sacerdotibus parochialibus persoluantur, prout in constitucione concilii continetur.

Addito eciam quod dicti fratres et alii religiosi, licet ab episcopo potestatem habeant absoluendi de casibus episcopo specialiter reseruatis, non cum eo pretextu possunt absoluere a sentenciis excommunicacionis, suspensionis uel interdicti episcopi, officialis uel decanorum uel statutorum synodalium, sine excommunicantium speciali mandato, quod precipimus per vos vestris populis sepe et sepius publicari, cum nouerimus aliquos religiosos circa predicta errasse quam plurimum.

Item ne aliqui parochiani sub falso figmento possint decipere sacerdotes, ortamur in Dno, inducimus et rogamus fratres predictos, vt animarum pericula euitentur, quarum sollicitudinem gerere dinoscuntur, ut quicumque confessiones audiet, siue sit religiosus uel alter, ut sacerdotes habeant certitudinem de confessionibus subditorum ad fraudulentas quorumdam parochianorum versucias et animarum pericula euitenda, qui asserunt se a religiosis predictis sacramentum penitencie recepisse, cum non receperint nec eciam comparauerint coram eis. Hinc addicientes statuto, vt illi qui sacerdotibus parochialibus non fuerint ipsimet confessi, uel quorum nomina a dictis religiosis in scriptis tradita qui eorum confessiones (audiverint), si moriantur sine confessione in morte humiliter postulata, non tradantur ecclesiastice sepulture absque episcopi dyocesani licencia speciali, et hoc sub pena

excommunicacionis precipimus obseruari. Ipsos autem religiosos ortamur vt eos quorum confessiones audient, fideliter moneant et inducant ut sacerdotibus et ecclesiis oblaciones debitas et consuetas decimas et primicias persoluant integraliter et benigne, ac eis dé hoc conscienciam faciant, sicut in constitucione nouelle cauetur, sic quod propter audicionem confessionum sacerdotibus et ecclesiis preiudicium nullatenus generetur, et quod sacerdotes de ipsis non habeant materiam conquerendi sed pocius collaudandi. Hii autem qui in scriptis traditi fuerint per dictos religiosos curatis predictis, non festentur per ipsos curatos iterato confiteri eisdem pretextu decretalis *Omnis vtriusque sexus*, qua cauetur quod omnis vtriusque sexus semel in anno omnia peccata sua confiteatur proprio sacerdoti; cum tales, vt superius est expressum, habentes potestatem predictam, quo ad hoc satis reputari debeant proprii sacerdotes auctoritate constitucionis predicte. Hiis de cetero obseruatis inter religiosos et curatos ac parochianos sacerdotes predictos nullum scandalum orietur; ymmo prorsus et omnino de facile excludetur, si presens ordinacio obseruetur; nam racio iuris swadet quod ecclesiasticus ordo confunditur, si vnicuique sua iurisdictio non seruetur. Dictis autem fratribus sacerdotes parochiani sint proprii et benigni, piaque munificencia de bonis eis a Deo collatis eisdem elargiri studeant, et eos in predicacionis officio et aliis prompta benignitate recipere, sic quod a vobis Deo et nobis valeant merito commendari.

Item statutum est quod questa non vendatur; quod si secus actum fuerit, illud quod recipietur per episcopum loci aliis pauperibus erogetur et vendentibus et ementibus auferatur; quo in casu curatos quoslibet in suis curis quo ad hoc facimus nostros nuncios speciales, vt tales questas venditas recipiant et de ipsis nobis reddant congruam racionem. Nullus autem religiosus questor de cetero admittatur, nisi sui prelati defe-

rat litteras testimoniales, et quod sit illius ordinis cuius questa est, et professus in eodem. Clerici vero seculares habitum falsum religiosum non ferant, alioquin grauiter puniantur, nec permittantur predicare, quia hoc generale Viannen. concilium prohibet, sed indulgencias suas tantum exponant, dyocesani primitus habitis litteris et ostensis; nec permittantur exponere ea que secuntur, scilizet quod dispensare possunt super voto, nec absoluere de periurio, homicidio, ablata male et incerta recipere pro quadam quantitate pecunie pro parte dimissa uel toto.

Item quod non permittantur predicare uel exponere quod animam vnam vel plures mortuorum amicorum eorum qui eis elemosinas erogant, de purgatorio possint extrahere et ad gaudia paradisi introducere[1], aut aliquem a pena et culpa absoluere, uel beneficiorum suorum indulgencias generales concedere quoquomodo. Nam priuilegia, si qua reperiantur eis concessa super hiis, sunt omnino reuocata. Si autem aliquis contra dictum statutum aliquid predicare presumpserit, vobis tenore presencium iniungimus, precipimus et mandamus, vt eis publice in ecclesiis contradicetis, et eorum veras indulgencias non prohibitas exponatis, et questam recipiatis, et nobis eam reportetis.

Item statutum est in concilio predicto quod clericus in veste radiata, causa timoris cessante, quamdiu publice hiis vtitur, omnino caret ipso facto priuilegio clericali.

Item statutum est quod is qui tempore generalis interdicti aliquem in cimisteriis sepelire presumit, et is qui pedagium exigit ab ecclesiis uel personis ecclesiasticis pro rebus propriis, quas non negociandi causa deferunt uel transmittunt, excommunicati sunt ipso facto.

Item statutum est quod nullus de cetero in aulis uel cameris

[1] Clementinarum lib. V, tit. IX, cap. II.





extra ecclesiam baptizetur, nisi sit filius regis uel principis, aut euidentis necessitatis periculum, alioquin transgressores per episcopum puniantur.

Item statutum est quod, qui inscienter (l. scienter) in gradu consanguinitatis vel affinitatis constitucione canonica prohibitis matrimonium contrahit vel contrahunt, excommunicati sunt ipso facto, nec possunt absolui donec sint separati, et hanc constitucionem precipimus sepe et sepius publicari.

Item statutum est quod deportandis vltimo supplicio negari non debet, si petant, penitencie sacramentum[1].

Item statutum est in dicto concilio, quod nobiles et dni temporales, qui tempore interdicti in suis cappellis vel aliis sibi publice faciunt celebrari diuina, quique per campanas aut voce (preconis) preconizari faciunt ad audiendum dicta officia populum euocari, quique excommunicatis uel interdictis precipiunt ne exeant ecclesiam, propter quod quumque officium Dei remanet incompletum, et omnes publice excommunicati uel interdicti moniti per ministros ecclesie, vt exeant dum officium celebratur, qui remanere presumpserint, excommunicati sunt ipso facto, nec possunt ab alio quam romano pontifice absolui[2]. Et omnes filii predictorum nobilium et aliorum temere post monicionem factam in ecclesia remanencium (remanentes) sunt inhabiles ad ecclesiastica beneficia obtinenda.

Item duximus statuendum ne claues babtisterii, crismatis, olei sancti aut Corporis Christi alicui layco committantur, et hoc sub pena XX solidorum a quocumque observari precipimus.

Item statutum est in libro VII°, titulo *de Vsuris*, in concilio Viennen., capitulo *ex graui* ad vsurariam prauitatem voraginem extirpandam, quod quicumque communitatum potestates, ca-

[1] Clement lib. V, tit. IX, cap. I.
[2] Ibid., lib. V, tit. X, cap. II.



pitanei, vicecomites, consules, iudices aut alii quicumque officiales statuta fecerint, scripserint vel dictauerint, quod soluantur vsure vel quod solute non restituantur plene et libere, et qui scienter iudicare presumpserint quod soluantur, sentenciam excommunicacionis non solum incurrant, sed fiant eciam instabiles (l. inhabiles) et infames, eamdem sentenciam incursuri et si statuta super hoc edita infra mensem, postquam hec eis constitucio innotuerit, (non) deleuerint, aut si ipsa statuta siue consuetudines effectum habentes quoquomodo presumpserint obseruare. Debent etiam compelli feneratores per censuram ecclesiasticam ad exibendum, cum de vsuris agitur contra eos, suarum codices racionum, vt per ipsas exigentes et repetentes vsuras ab eis manifeste receptas (cognoscantur)[1].

In causis eciam vsurarum procedatur vt dicto statuto cauetur, simpliciter et de plano et sine strepitu et figura iudicii et eciam tempore feriato, quod in Dei et sanctorum honorem non fuerit feriatum. Is autem qui asserit vsuras non esse peccatum, tamquam hereticus puniatur[2]. Quod quidem statutum, ne pretextu ignorancie aliquis predictorum se valeat excusare, vobis precipimus sub pena excommunicacionis vt semel in mense in vestris ecclesiis diebus dominicis presente populo publicetis.

Item statuimus vt omnes qui ad sanctam synodum venire tenentur, cum superpelliceo uel cappa rotunda intersint misse et officio synodi, alioquin penam trium Turonensium grossorum incurrant, quos, antequam de ciuitate recedant, soluant; quos (qui) non soluerint suspensionis sentenciam incurrant causa racionabile cessante.

Statutum autem editum ne sacerdotes causa bibendi uel edendi tabernas ingrediantur, sic duximus declarandum quod

[1] Clementinarum lib. V, tit. V.

[2] Ibid.



taberna intelligitur in hoc casu locus ille cellarii domus et platee qui sunt deputati ad tabernarios; in decenti autem comitiua uel societate sacerdotes volentes bibere in cameris separatis a taberna et locis ablis (l. aptis) bibere possunt, dummodo ibi consorcium uel presencia mulierum suspectarum (desit), vt inhonestatis et male suspicionis materia euitetur. In parochiis ruralibus, in quibus frequenter vinum in vnico loco venditur uel duobus, nec est ibi concursus mulierum suspectarum, permittimus sacerdotibus quod cum extraneis ibi accedentibus possunt bibere, dummodo non ludant nec ludis intersint; (si) cum parochianis siue extraneis bibere velint, querant locum aptum a publico loco taberne separatum et honestum, alioquin penam infrascriptam incurrant. Extranei autem sacerdotes ad ciuitatem, burgum uel villam aut castrum venientes, si in albergariis in quibus vinum venditur ad tabernam declinent, in cameris ipsius domus possunt comedere extra locum qui pro taberna frequentatur, aut eciam cum hospite suo comedere et cum aliis hospitibus, si eis videatur expedire, vt eorum sacerdotum preca(vea)tur expensis. Caueant autem vt cum honestis personis ibidem conuersentur. Qui transgressor fuerit, ipso facto duorum Turonensium grossorum (penam) incurrant, quam nisi soluant infra VIII dies nuncio a nobis super hoc expectato, penam suspensionis ab ingressu ecclesie incurrant.

Et quum scriptum est, parum est iura condere nisi sit qui iura tueatur, et intelleximus quod in exponendis statutis synodalibus pro salute animarum subditorum nostrorum aliqui nostrorum uel quasi omnes hactenus extiterint remissi et negligentes, quod merito essent de negligencia puniendi, propter quod vobis et vestrum cuilibet in virtute sancte obediencie et sub trina monicione animarum vestrarum, ac et sub pena excommunicacionis et suspensionis precipimus vt dicta statuta, prout alias ordinatum extitit et signatum per litteras alphabeti,



temporibus statutis vna cum presentibus, vbi signabuntur, legi vestris populis faciatis uel legatis, alioquin in sancta synodo transgressores taliter ad arbitrium episcopi puniantur, quod metu pene a talibus arceantur. Vobis autem precipimus et mandamus, vt hec statuta infra XL dies scribi faciatis et cum antiquis inseratis. Alioquin monicione et termino canonicis premissis in transgressores et negligentes excommunicacionis senteaciam perferemus in hiis scriptis.

Les présents statuts doivent aussi être attribués à l'évêque Aymon de Châtillon. Ils ont pour but de publier plusieurs décrets du concile de Vienne insérés dans les *Clémentines* de Clément V, qui, dans nos statuts, est mentionné comme mort; ils sont donc postérieurs à la mort de ce pape, arrivée le 20 avril 1314, et probablement aussi à la publication officielle des Clémentines faite par Jean XXII, en 1317.

1483

Réforme de quelques coutumes de droit par Aymon, évêque de Sion.

(1308-1323, ou 1324-1338.)

Archives de Valère; copie sur papier de la première moitié du XVe siècle.

Hic continentur articuli consuetudinis periculosi et dampnosi qui per reuerendum in Christo patrem dnum Aymonem Dei gracia Sedun. episcopum et eius consilium generale, ad hoc et quedam alia negocia conuocatum, sunt correcti, ut inferius sunt declarati.

I. Primo specificat et declarat idem dnus episcopus septem casus de quorum quolibet post jus dictum partibus per judicem debet fieri probacio uel juramentum, secundum quod est jus redditum partibus, infra triduum subsequens illa die qua jus redditum est partibus; quorum casuum primus est spoliacio seu deuestitura.

II. Secundus, exceptiones omnimode tam declinatorie et dilatorie quam alie qualescumque non tangentes principalem causam, antequam jus sit dictum super causa principali.

III. Tercius, qui allegat passamentum seu euictionem cause per sentenciam vel per cognicionem curie latam, per eumdem judicem uel per alium qualemcumque.

IIII. Quartus, omnia que dicuntur siue allegantur postquam jus redditum est partibus a judice super principali, de quibus allegatis jus redditur partibus post primum jus redditum super principali.

V. Quintus, qui petit denarios stros siue estrossers, de quibus secundum consueditunem patrie pignorata non redduntur.

VI. Sextus, qui petit hostagia sibi reddi et teneri.

VII. Septimus, homo errans qui est extraneus, nec est de hac patria, nec mercatur, nec vendit ad respittum seu ad terminum in hac terra Vallesii.

Item declaratum est et correctum quod cum hactenus extiterit consuetum quod quando partes super istis articulis uel altero ipsorum concedebant in jus, nec illa pars cui probacio incombebat allegabat ante ipsum jus dictum quod hoc notifficaret seu probaret hodie, cras uel post cras, quod statim jure dicto deberet probare quod asserebat uel relinquere juramento partis aduerse, propter quod periculum multi causam eorum iustam amittebant. Quare sublato dicto periculo de cetero illi cui probacio incombet, licet non alliget hodie, cras uel post cras, accipiat et allegat illam diem quam voluerit de dictis tribus diebus inclusa die qua jus redditur, eciam si fuerit feriata; et si forte vnus uel duo dies sequentes post diem qua jus redditur, uel plures dies sequentes immediate uel contigue essent feriati, quod illi dies feriati vna uel plures non computentur nec nocere debeant illi parti cui probacio incombit, sed capiat ad faciendum quod debebit infra duos primos dies non

feriatos, uel illam diem quam voluerit de ipsis duobus diebus non feriatis.

Item cum super causis et peticionibus de quibus jus redditur, consuetum sit allegare factum, regiquinam uel depreyz, et ille qui non disculpat dictam regiquinam uel lo depreyz, pignoranciam uel simplicitatem, amittebat causam suam, hoc taliter est correctum quod ille qui dictum factum negauerit, licet non excusauerit dictam regiquinam uel lo depre, quod ipsa regiquina uel li depre habebantur pro negatis, et ipse actor probet dictos tres articulos factum, regiquinam uel lo deprez, uel illum quem voluerit de predictis aut ea que probare voluerit uel non poterit de eisdem relinquat juramento rei, uel ipse reus, si jurare recuset, referat juramentum actori, et ille eciam qui allegat lo deprez teneatur declarare ipsum deprez, ita quod judex declarato sibi lo depre per actorem possit condempnare reum uel absoluere super causa principali, alias non audiatur super dicto deprez.

Item ordinatum est et statutum quod cum litigantes hactenus non potuerunt comparere in judiciis per procuratores sine causarum amissione et periculo, quod dicti litigantes, actor et reus, comparere possint de cetero in judicio per procuratores qui teneantur cauere in principio cause de stando juri pro actore et pro reo et de judicato soluendo, et quod quicquid cum ipsis procuratoribus in judicio erit actum et passatum, erit apud dnos ipsorum actum pariter et passatum, et quod ipsi procuratores possint jus recipere et acceptare pro dnis suis; et quociens jus fuerit dictum eisdem procuratoribus nomine dnorum suorum, quod ille cui probacio acciderit, assignet talem diem infra XIIII dies secundum distanciam loci partis auerse, ad quam diem dicta pars comparere possit et facere super ipso jure dicto quod debebit. Et hoc intelligitur de causis in quibus probacio debet fieri infra XIIII dies, et a simili in aliis casibus superius expressis procuratoris secun-

dum distanciam loci dni sui absentis assignet diem super jure dicto ad euidenciam judicis infra octo dies proximos, inclusa die qua jus redditur partibus, ad quam diem assignatam dnus procuratoris absens valeat personaliter comparere et facere que debebit, et inter presentes litigantes obseruetur in dictis septem casibus assignacio trium dierum, ut superius est expressum, et illa pars principalis que comparuerit die assignata per procuratorem suum succumbat in causa super qua jus est redditum presentibus procuratoribus predictis uel altero eorumdem, nisi illa pars pro negociis ecclesie Sedun. de mandato dni episcopi uel eius mandati uel alio justo impedimento dicta die assignata, ad quam non comparuerit, si detenta.

Item deys teyntes tale est statutum : Si quis habuerit rationem pro teynty in aliqua re seu possessione vendita, ille infra XIIII dies proximos ex quo sciuerit dictam vendicionem fore factam, debet contradicere vendicionem et eam petere et presentare emptori peccuniam pro ipsa vendicione, et presentare debet caucionem eidem emptori de soluendo sibi infra dictam quatuordenam residuum precii quod inde soluerit et de seruando indempnem fideiuxorem seu solutorem, si quem uel quos dictus emptor prestiterit in manu venditoris et de seruando indempnes ipsos emptorem et eius solutores uel fideiussores per eum super hoc obligatos, aut quod ipsos faciet quittari de predictis. Quam vendicionem tenentur scire presentes in patria infra annum et diem a dicta vendicione facta, et ipsum emptorem tenentem uel possidentem dictam rem venditam ab ipso anno et die preterito ipsi presentes in patria super ipsa vendicione non erunt vlterius audiendi. Aliis vero proximis seu teynsyors existentibus extra terram non transeant tempus vendicionum predictarum, dum modo extra terram morabuntur dictas vendiciones non scientes, sed quam· scito ad patriam propriam remeabunt teneantur infra annum et diem ex quo in patria fuerint, scire vendiciones predictas et

facere sicut presentes super ipsis vendicionibus, ex quo sciuerint dictas vendiciones, ut superius de presentibus in patria est expressum.

Item de litteris et de instrumentis super debito seu debitis confectis ad terminum seu terminis soluendis taliter est statutum, quod quicumque creditor habens litteras seu instrumenta fidem facientia super debitis ad terminum soluendis, qui dictas litteras uel instrumenta custodierit per annum et diem vltra terminum quo solucio debiti deberet fieri, non sit vltra dictum annum et diem super ipso debito audiendus, et ipsum instrumentum quoad ipsum debitum nullius sit valoris et momenti, nisi infra dictum annum et diem dictus creditor clamam fecerit judici de predicto debito non soluto, uel quod interim fecerit per aliud instrumentum dictum debitum renouari.

Item statutum est quod si aliquis seu aliqua pars post jus dictum partibus et judex assignet alteri parti diem feriatam per ignoranciam uel simplicitatem ad faciendum super ipso jure dicto quod debebit, non amittet propter hoc causam suam, sed tenetur tantum ad expensas parti aduerse pro dicta die assignata, et aliam diem non feriatam proximam subsequentem alteri parti super ipso jure dicto debeant assignare.

Item post jus dictum partibus non preiudicet de cetero parti cui probacio incombit, si vnus testis eiusdem more solito non deposuerit seu dixerit testimonium suum ante horam nonam, sed possit probare dum modo pulsatur ad nonam et post pulsationem hore none usque ad vesperas, et altera pars cui probacio non incombit possit ire ad eius negocia alibi, dummodo paratus sit hora vesperorum loco debito audire dictas probaciones uel juramentum recipere aut referre et facere quod dicta dies assignata duxerit requirendum.

Il est difficile de déterminer s'il faut attribuer cette réforme à Aymon de Châtillon ou à Aymon de La Tour; il nous semble cependant que c'est plutôt

au premier. Si elle était du second, on aurait probablement ajouté son nom de famille pour éviter de le confondre avec son prédécesseur.

1484

Mort d'Aymon II de Châtillon, évêque de Sion.

1323, 16-26 juillet.

Archives de Valère, Nécrologe de Sion du milieu du XVe siècle, ap. *Mém. et doc. romands*, XXX, 573.

VII kl. augusti (26 juillet.) Obiit ven. pater Ay. de Castellione, Augustensis dyocesis, episcopus Sedun., qui dedit LX sol. ad faciendum vnum refectorium.

Archives de Valère, Anniversaria celebrata per capitul. Sedun. anno 1358.

XVII kl. augusti (16 juillet.) O. reuer. pater dnus Aymo de Castellione, vallis Auguste, episcopus Sedun., qui dedit C sol. redditus Maur., quorum LX sol. expendantur annuatim pro vno refectorio, et alii XL sol. diuidantur hiis qui interfuerint in anniuersario suo et quondam Bonifacii episcopi Sedun., videlicet vigiliis et missis. Quos C sol. assignauit super IIII^{or} lb. Maur. redditus quas acquisiuit in valle de Buyn, et XX sol. quos emit a Francisco de Moniouet domicello super vineam maioris Sedun.

Gallia Christ. XII, 745.

(Aymo Sedun. episcopus) testamentum condidit VI idus julii (10 juillet) 1323 in castro Turbilionis, ibidemque obiit XVII kl. Augusti.

Le Nécrologe et le Livre des anniversaires ne sont pas d'accord, comme on le voit, sur le jour de la mort d'Aymon de Châtillon, le premier fixant

cette date au 26 juillet et le second au 16 du même mois. Ces deux dates sont également en contradiction avec d'autres documents. L'évêque Aymon vivait encore le 18 juillet, d'après la charte publiée ci-dessus sous le N° 1480; le 21 du même mois, le siége est dit *vacant* dans la charte N° 1485. L'évêque serait ainsi mort le 19 ou le 20 juillet.

1485

Extrait du testament de Pierre de Curtinal.

Sion, 1323, 21 juillet.

Archives de Valère, F, 93.

Ego Johannes filius quondam Petri de Curtinali, ciuis Sedun. clericus, testamentum meum ordino in hunc modum. Ad honorem Dei ordino vnum seruitorem institui super bonis meis in altari Beati Johannis Euuangeliste infra capellam Beati Theodoli Sedun., qui post seruitorem alium in ipso altari missam ad minus ter in ebdomada celebrare teneatur et horis canonicis in choro maioris ecclesie Sedun. interesse, excepto dno Amedeo fratre meo cui ad vitam suam redditus do, ita quod post decessum dicti dni Amedei Willelmodus de Leucha clericus dictos redditus habeat. Post ipsorum decessum jus instituendi dictum seruitorem ad capitulum Sedun. deuoluatur. Bona uero que pro dicto seruitore lego sunt hec: Vinea apud Dorbens, alia vinea apud Leutina, quadraginta sol. Maur. redditus annualis, Perrodus de Myserie homo ligius et talliabilis, quedam carte siue cartes quas percipio apud Dronam, decem octo sol. redditus et duo den. seruicii, vnus modius siliginis redditus, quatuor fichilini silig. redditus. Item do predicto dno Amedeo, post decessum Lucie vxoris mee, domum et grangiam sitas Seduni. Actum Seduni, die jouis proxima ante festum beate Marie Magdal., anno Dni M°.CCC°.XX°III°, imperio et sede Sedun. vacantibus.

1486

Plaintes de Fulco de Veyry, vicaire du pape, contre Antoine Richard, qui l'a forcé, lui et ses compagnons, à payer le péage pour leurs chevaux au passage du Simplon.

Valère, 1323, 25 juillet.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 735, ex arch. Valer.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°.CCC°.XXIII°, indictione VI, die lune in festo sancti Jacobi apostoli, in castro Valerie, in presentia mei notarii et testium subscriptorum, propter hoc specialiter constitutus Fulco de Veyraco vicarius Mornasti, pro dno nostro papa, significavit et significando denuntiavit ven. viris dnis Ebalo sacriste et Thome cantori, syndicis ecclesie Sedun. sede vacante, ibidem presentibus, quod cum ipse cum pluribus aliis familiaribus dni nostri pape transitum faceret per Simplonum, jurisdictionis ecclesie Sedun., Anthonius Richardi de Simplono seu bajulus suus et gentes sue contra predictos familiares dni pape irruerunt cum armis, et ab eisdem pedagium exigerunt violenter et extorserunt, non attendentes quod eis dicebatur per dictum vicarium et alios familiares dni pape per ista verba vel quasi : Dni, nos sumus de familia dni nostri pape et a nobis pedagium exigere non debetis. Que cum ista dicerentur, dixit dictus bajulus et plures alii : Nos nescimus quis sit vester papa, nec ipsum habemus pro papa, quousque ad Romam fuerit[1], nec per ipsum faceremus nec magis nec minus ; et si ipsum per istum locum transire contingeret, pedagium ab ipso haberemus et a cardinalibus etiam ; et vos etiam solvetis, velitis vel nolitis. Et sic per violentiam ab eisdem familiaribus pedagium extorserunt, vel

[1] C'était alors Jean XXII, qui résidait à Avignon.



tres den. Maur. seu duodecim imperiales pro quolibet equo, de quibus equis erant ibi bene quadraginta, vituperando et vilipendendo dictum dnum nostrum papam per gentes suas. De quibus omnibus sic denuntiatis per eundem vicarium dni pape paratum se obtulit dictos dnos syndicos summarie informare, rogando ipsos instantia quanta potuit, requirendo ex parte dni nostri pape, cum talia non debeant cum conniventibus oculis pertransire nec impunita remanere, quod de predictis se velint incontinenti informare, informatisque ipsis, quod ipsos depredatores capere debeant et arrestare et ipsos arrestatos remittere dicto dno nostro pape pro suis demeritis puniendos, cum in personam ejusdem peccaverint et ad eumdem pertineat cognitio et punitio pleno jure, de bonisque eorumdem depredantium restituere faciant pedagium sic extortum, et quod taliter facerent quod de negligentia justitie redargui non possint, sed potius de bona diligentia commendari, sic quod maleficium predictum impunitum non remaneat, sed cedat aliis in exemplum. Qui predicti dni syndici responderunt quod parati erant plenius facere quod eis incumbebat de predictis, et quod de predictis eisdem quam plurimum displicebat et ipsum pedagium incontinenti eisdem vicario dni pape et toti eius comitive restitui fecerunt et indilate. Personas vero eorumdem depredantium mittere dicto dno pape pro viribus breviter procurarent, si modis aliquibus possint inveniri et haberi. De quibus predictis precepit dictus vicarius dni pape a me notario infrascripto sibi fieri publicum instrumentum. Ad premissa fuerunt testes vocati et rogati dnus Girardus decanus Valerie, dnus Ebalus Huboldi, dnus Franciscus de Yporigia, Anthonius Huboldi, Johannes de Drona, Petrus de Venthona, Franciscus Benedicti, Aymonetus de Estavaye, canonici Sedun., Philippus curatus de Vespia, Franciscus de Viviaco, clerici, et plures alii et ego Johannes Montismeliani de Bacio, clericus, etc.

1487

Accord entre le vidomne de Sion et Perret Loyat, au sujet de tailles.

Sion, 1323, 18 septembre.

Archives de Valère, Registrum E cancellarie Sedun. f. xl.

* Notum, etc., quod cum discordia verteretur inter virum nobilem Petrum vicednum Sedun., ex una parte, et Perretum Loyat dOrmonna, nomine suo et consortum suorum, ex altera, super eo quod dictus vicednus petebat ab ipso Perreto talliam ad misericordiam et auxilium promotionis ad miliciam et ad coniugandum filias, caualcatam et plura alia auxilia siue vsagia ratione feudi homagii ligii quod dictus Perretus vna cum consortibus predictis tenent ab ipso vicedno, et quod ad predicta soluenda dictus Perretus tenebatur, dicto Perreto ad aliqua de predictis proponente minime se teneri. Tandem dicta discordia fuit sedata in hunc modum, videlicet quod dictus vicednus dictum Perretum et eius consortes et eorum heredes penitus quittauit a predictis talia, etc., caualcatam pro necessitate sua propria supra dictum Perretum retinendo, et hoc pro VII lb. Maur. semel et pro septem sol. seruicii soluendis dicto vicedno et octo den. soluendis Anfilisye sorori sue, et pro quindecim sol. placiti soluendis quando acciderit dicto vicedno. Testes: dnus Willelmus de Sancto Symphoriano sacerdos, Petrus de Morestello domicellus, etc., et Perrodus Magi clericus, qui juratus, etc. Seduni, XIIII kl. octobris, anno Dni M°.CCC°.XXIII°, imperio et sede Sedun. vacantibus.

1488

Règlement de compte entre Jean, seigneur d'Anniviers, et Nicole de Lausanne, fille de chambre de Béatrice de La Tour, épouse du dit Jean.

Anniviers, 1323, 20 septembre.

Archives de Valère, Registrum Johannodi de Auboreynges.

* Anno Dni M°CCC°XX°III°, indicione VI[a], die martis in vigilia beati Mathei apostoli, in castro Aniuesii, in presencia, etc., constitutis nobili viro Johanne dno vallis de Aniuesio, ex vna parte, et Nichola de Lausanna, dicta Nichola cameraria nobilis dne Beatricis de Turre, vxoris dicti dni de Aniuesio, ex altera, cum dicta Nichola teneretur dicto Johanni in VII lb. Maur. ex causa mutui, facto computo finali inter ipsas partes super dicto mutuo et super eius salario sibi Nichole competente ratione sui seruicii seu famulatus, ipsa Nichola recognouit se debere dicto nobili ex remanencia dicti computi IIII lb. de residuo dictarum VII lb., ita quod LX sol. ipsi Nichole pro quibus eadem super salario se tenuit pro soluta. Testes : Johannodus Vouteir, Rod. de la Chaux, Lausan., cocus dicti nobilis de Aniuesio, etc.

1489

Testament de noble François Albi.

1323. (Granges, 19 juillet-23 septembre.)

Archives de Valère, Registrum Johannodi de Auboreynges.

* Anno Dni M°.CCC°XX° tercio[1] indicione VI, apud Granges, in domo nobilis viri Francisci Albi, idem testamentum suum

[1] L'indication du jour est restée en blanc ; mais comme ce testament a été

fecit in hunc modum. In primis animam suam, etc. Item precepit emendari et solui Alexie sorori sue, vxorique Jorii nepotis Vidolini maioris de Aragnon, VI lb. Maur. Item cum ipse Franciscus olim promiserit dare in maritum unum de filiis suis pupillis filie pupille Francisci de Moniouet domicelli, vult quod dicta promissio teneatur, nisi forte reclamatum fuerit per aliquem dictorum pupillorum infra tempus certum a jure statutum. Item dedit et legauit futuro episcopo Sedun. C sol. semel, vt sit fauorabilis et quod eidem remittat quicquid male vel iniuste per obliuionem uel aliter de bonis quondam dni Ay. bone memorie episcopi Sedun. ratione exercicii officii chastellaniarum de Seya, de Granges et de Sirro, quas gessit pro dno episcopo memorato. Item ipse Franciscus recognouit se recepisse XL lb. ex vna parte ab Agnete vxore sua de dote eiusdem, de quibus XL lb. fuit acquisita domus ipsius de Granges, quam nunc inhabitat, ante domos de Moniouet et de Morestel, quam domum reddidit eidem Agneti pro dictis XL lb., item ex alia parte VI^{xx} lb. quas assignat eidem Agneti recuperandas super medietate pro indiuiso omnium bonorum que habet in parrochia de Aniuesio. Item voluit quod dicta Agnes in omnibus aliis bonis suis vtatur et fruatur, si voluerit, secundum consuetudinem terre ad vitam suam. Si autem noluerit, dedit eidem in aduantagium, vltra dotem suam predictam, pro dicto vsus fructu VIII^{xx} lb. semel, habendas super alia medietate bonorum suorum de Aniuesio. Item exequutores suos fecit ad predicta exequenda nobilem virum Jo. dnum de Aniuesio, fratrem dicte Agnetis, et dnum Willermum

fait pendant la vacance du siége episcopal, il doit être placé après la mort d'Aymon de Châtillon, soit après le 19 juillet; d'un autre côté il est antérieur au 24 septembre, puisqu'il est daté de la sixième indiction, qui finit le 23 septembre 1323.

de Sancto Mauricio jurisperitum, curatum Sancti Germani. Testes : dnus de Aniuesio predictus, Jo. de Saxons, P. Fontanna, Gottefredus de Larchet, Pe. de Curia maiori, domicelli. Item postmodum in eodem loco, die crastina subsequenti, per modum codicillorum precepit fieri compunctionem sorori et fratribus suis pueris siue natis Willermi de Morestello super bonis suis de...[1] siliginis mensure de Granges pro redditu Vespie constituto in dotem dicte Alexie per ipsum F., pro dotalicio sibi Alexie concesso per Petrinum quondam maritum suum, in quo redditu Vespie habebat quilibet dictorum puerorum partem suam cum dicto F. ratione matris eorumdem. Item precepit fieri compunctionem seu recompensationem Johanni et Perrodo fratribus suis, filiis W. de Morestello domicelli, super bonis ipsius Francisci de duobus modiis siliginis mensure de Granges redditus annui pro ea parte ipsos contingente in quodam redditu annuo siliginis debito in parrochia de Vespia, ratione hereditatis Willermete quondam filie Gottefredi de Morgia, matrisque ipsorum fratrum, qui redditus excheytus fuit finito vsusfructu dne Colombe quondam relicte dicti Gottefredi, quem redditum Vespie constituerat ipse Franciscus Alexie sorori ipsorum fratrum, vxorique Georgii de Aragnon, pro aliqua parte dotis sue in compunctionem pro quadam parte illius dotalicii dati eidem Alexie per Petrinum Lumbardum quondam maritum eiusdem, quod dotalicium habuerat idem Franciscus, vt dicebat, tanquam tutor eius datus per dnum episcopum Sedun. Testes : Judeus phisicus qui vocatur magister Jo., etc.

[1] En blanc dans le registre.

1490

L'archevêque de Tarentaise fait citer Jean d'Anniviers à comparaître devant lui pour le fait de la chancellerie d'Anniviers.

Allodia, 1323, 24 septembre.

Archives de Valère.

B. diuina miseracione Tharent. archiepiscopus dilectis sibi in Christo priori de Lenz et curatis seu eorum vicariis de Seduno, de Grangiis, de Villa, Sedun. dyocesis, atque aliis eiusdem dyocesis ad quos presentes littere peruenerint, salutem in Dno sempiternam. Cum nos fecerimus citari coram nobis, aput Musterium in Tharent., nobilem virum Johannem de Aniuisio domicellum per vos priorem de Lenz et curatum de Villa uel uestrum alterum ad primam diem non feriatam post octabas assumpcionis beate Marie Virginis, ad procedendum in causa supplicacionis nobis porrecte ex parte capituli Sedun. contra ipsum Johannem, cuius tenorem in citatorio predicto feceramus inseri et agnecti, et vos prior de Lenz et curatus de Villa per vestras patentes litteras aput nos vos excusaueritis quod, propter potenciam et minas dicti potentis et suorum quas merito perorrescitis, non fueritis ausi accedere ad vallem de Aniuez, vbi dictus nobilis suum habet domicilium principale, ad inplendum mandatum nostrum super citacione predicta, et juris remedia sint inuenta per que maliciis eorum obuietur qui propter eorum potenciam aut metum comode citari non possunt, vobis et cuilibet vestrum in virtute sancte obediencie precipimus et mandamus et etiam sub pena interdicti, quam monicione canonica premissa in rebelles vel negligentes adimplere mandatum nostrum ferimus in hiis scriptis, quatenus ille uel illi de vobis qui ex parte capituli fuerit uel fueritis requisiti, citet vel citetis dictum Johannem

de Aninisio publice ante ecclesiam Sancte Marie Sedun. et in curia episcopali, vbi jus communiter redditur, vt comparheat legitime coram nobis uel commissario nostro apud Musterium in Tharent. ad diem primam non feriatam post octabas natiuitatis beate Marie Virginis, ad procedendum super causa supplicacionis nobis porrecte ex parte dicti capituli Sedun. super quadam reclamacione facta coram nobis per Franciscum Benedicti canonicum et procuratorem eiusdem capituli Sedun. a quadam prononciacione arbitrarimenti facti in lesionem ecclesie et ipsius capituli Sedun. Qua citacione publice facta in dicta ecclesia uel ante, hora qua solet missa populi celebrari, tenor ipsius citacionis sub sigillis vestris citancium infigatur in janua ecclesie memorate, vt sic pateat transseuntibus quod verisimile sit ipsam ad noticiam dicti Johannis deuenisse, et vt sic eius malicie et suorum juris remediis obuietur. Datum die mercurii in festo beati Bartholomei apostoli, apud Allodia, in domo nostra, anno Dni M°CCC°XXIII°. R(eddite) litteras sigillatas.

Au parchemin qui contient l'acte ci-dessus sont cousues les déclarations de Martin, curé de Villa, et du frère Wuillencus, recteur de l'église de Lenz, qui disent n'avoir pas osé se rendre dans le val d'Anniviers pour notifier la première citation de l'archevêque.

Par une troisième déclaration, du 10 septembre, jointe aux précédentes, Jean, curé de Sion, et Martin, curé de Villa, attestent qu'ils ont fait citer Jean d'Anniviers d'après la forme prescrite dans l'acte ci-dessus.

1491

Règlements faits dans le plait général de Chamoson.

Chamoson, 1323, 20 octobre.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

Vniuersis presentibus et futuris per hoc presens publicum

instrumentum pateat euidenter quod anno Dni M°CCC°XXIII°, inditione VII, XIII° kl. nouembris, in platea B. Andree apud Chamoson, ibidem placitum tenente, coram me notario et testibus infrascriptis, per vniuersos residentes in placito predicto generale nobiles et non nobiles, considerata communi vtilitate dicti loci, fuerunt facta ordinamenta et statuta prout inferius continentur : Primo ordinatum et statutum fuit quod prata de Merdesson et de Combis infra eorum confines sint in banno ab omnibus animalibus a prima die aprilis vsque ad festum B. Marie Magdal. Item omnia alia prata et pascua, vbicunque sint subtus villam, videlicet li Setyz, prata de la Chauana, de la Rotta et de Geneurina sint in banno a prima die maii vsque ad festum augusti. Item pascua Bonom que erant in pratis de Merdesson et de Combis inde amouuntur, nec amplius ibi pascantur, sed datum fuit eis pro dictis pascuis a via de Merdesson inferius subtus les Setyz per Foret et per Illeta et la Tenzon et sic vltra, prout terminatum fuit antea, vsque ad pratum Alalamant, et sunt dicta pascua in banno prout prata de Merdesson. Item statutum fuit quod nullus de cetero faciat recor in prata supradicta. Item quod omnia alia prata a villa superius, vbicunque sint in monte, sint in banno a prima die maii vsque ad festum septembris. Item quod infra omnia predicta prata nemo claudat per se, sed a parte viarum et pasuum claudat quilibet super se. Et hec omnia sunt sub banno III sol. cum dimidio. Item statutum fuit quod illa viatio que fuit facta hoc anno in mense maii in monte vbicunque remaneat in sua firmitate. Item quod de cetero nullus faciat aliquem essert in nigris nemoribus neque in insulis, nec estirpare in monte nec in plano nec in Genevrina nec vltra aquam et hoc banno LX sol. Item quod nullus teneat in pascuis dicti loci plus quam vnam equam cum senquenti suo, nisi illi qui habent plet duas cum sequentibus suis, vsque ve-

niant ad tempus operandi. Item quod nullus accipiat nec ducat de cetero capras extraneas ad commandam, et quod nullus teneat proprias nec extraneas in estate in villa nec inferius, nisi vnam vel duas pro infantibus, et illas teneant extra prata et seuiz nec etiam aliquas vaccas in estate, nisi pro infantibus tantummodo, qui non habebit capras, et hoc sub banno LX sol.

Item statutum fuit, vt antiquitus, quod pistrices, id est bolengires, debent lucrare in quolibet fichilino frumenti I den. et furfur, videlicet la cruchi. Item in siligine I den. et debet accipere vadium et tenere per decem dies et non plus, nisi voluerint. Item tabernarii debent lucrari in sestario vini VI den. et debent accipere pignus et custodire per mensem. Item macellarii siue meseler debent lucrari in bestia bouina I den. in solido, in capra IIII[or] d., in pecore et castrone ventrem, id est lo menu, et hoc banno III sol. et dimidii. Item quod nullus debeat mensurare vinum ad vendendum nisi vas fuerit signatum signo dni, banno LX sol.

Hec autem statuta et recordationes facte fuerunt de communi consensu et concordia omnium residentium in placito generali, nemine contradicente, sed affirmante, anno, die, loco inditione quibus supra, presentibus Fra. vicedno, Goth. de Nons maiore, Jo. saltero, dno H. priore de Clages, dno Gilberto curato de Sassons, Jo. de Mar, dno G. vicario, Rey. de Sassons.

Hec autem statuta et ordinata supradicta voluerunt predicti residentes perpetue esse valitura donec de communi consensu reuocatur.

1492

Difficulté entre les syndics de Saint-Maurice et Jaquerod Vacherinodi.

Saint-Maurice, 1323, 24 octobre.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

In causa inquisitionis que vertitur coram nobis Johanne de Meyr (iaco), judice in Chablasio et Gebenn. pro illustri viro dno comite Sabaudie, inter Jaquerodum Vacherinodi clericum, ex vna parte, et Vullermum de Furno, Murisodum Escoferii, sindicos et procuratores communitatis seu vniuersitatis hominum ville Sancti Mauricii, sindicario et procuratorio nomine ipsorum, ex altera, fuerunt die presenti publicate atestationes testium hic agnexe[1], producte ex parte dictorum sindicorum, nomine quo supra in causa predicta, quarum atestationum copia per nos concessa est et tradita dicto Jaquerodo. Deinde nos dictus judex assignauimus dicto Jaquerodo terminum ad proponendum et probandum quidquid proponere et probare voluerit, peremptorie et precise, hinc vsque ad vnum mensem proximum, super dicta causa et contra dictos testes et dicta eorum coram Johanne de Gryon et Jaquerodo de Parauiso, curie nostre juratis, juxta commissionem alias per nos sibi factam et vtrique parti ad comparendum coram nobis in primis assisiis que post dictum mensem tenebuntur apud Sanctum Mauricium, ad videndum publ... testium interim producendum et ad audiendum sentenciam super dicta causa, si de jure liquebit. Et est sciendum quod dictus Jaquerodus protestatus est coram nobis quod si contingeret dictos sindicos, nomine quo supra, aliquam possessionem probasse se habuisse

[1] Ces attestations manquent.

a quatuor annis citra in contentis in articulo inquisitionis predicte quod illa possessio non debet nocere eidem Jaquerodo, pro eo quod idem Jaquerodus non potuit ducere aquam per pratum suum in dicta inquisitione contentum, nec ipsum pratum colere propter impetum ruine existentis in loco predicto. Datum in assisiis Sancti Mauricii, XXIIII die mensis octobris, anno Dni millesimo CCC°XXIII°.

1493

Extrait du testament de Jeanne (de Collombey), épouse d'Aymon d'Ollon, donzel.

Sion, 1323, 16 novembre.

Archives de Valère, F, 136.

* Ego Johanneta vxor Aymonis de Olono domicelli meum testamentum nuncupatiuum ordino in hunc modum. In primis animam meam, etc. Item lego capitulo Sedun. decem octo lb. Maur. semel. Item lego confratrie B. Marie Sedun. viginti sol. Maur. semel. Item confratrie Sancti Spiritus viginti sol. semel. Item Agneti filie Girodi de Columberio nepti mee decem lb. semel. Testes: Jacodus de Olono clericus, Johannes de Crista, Petrus de Columberio, domicellus, magister Johannes clericus nobilis viri Perrodi de Turre, magister Johannes cilorgicus, ciuis Sedun., etc., et Willermus de Ayent clericus, qui hanc cartam leuauit, Seduni, XVI kl. decembris, anno Dni M°CCC°XXIII°.

1494

Antoine, comte de Blandrate, vend une pièce de terre au curé d'Ernen, pour l'autel de Saint Sévérin.

Ernen, 1323, 21 novembre.

Archives de la paroisse d'Ernen, copie de M. Ferd. Schmid.

* Notum sit omnibus Christi fidelibus quod ego Anthonius comes de Blandratho, miles, vendidi et finaui perpetue pro tribus lb. et decem sol. Maur. mihi solutis dno Petro curato de Aragnon, dicto Marman, ementi et recipienti nomine et ad opus altaris Sancti Seuerini et rectorum suorum qui pro tempore fuerint, vnum frustrum terre situm sub cimisterio de Aragnon ecclesie et iuxta viam qua itur uersus Vyes. Quam vendicionem ego et heredes nostri tenemur dicto emptori contra omnes in allodium perpetue garentire. Et est sciendum quod ego predictus Anthonius habebam IIII^or den. seruicii annui in vendicione predicta, quod seruicium do et concedo dicto altari. Inde rogaui cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur : Johannes de Mvlinbach, Aymo de Vineis, domicelli, Willelmus de Platea de Vespia et dnus Willelmus de Cresta de Aragnon clericus, qui juratus, etc. Actum apud Aragnon, XI kl. decembris, anno Dni M°.CCC°.XX°.III°, imperio vacante, Aymone episcopante.

D'après les Nécrologes de Sion (Cfr. *Mém. et Doc. Rom.* XVIII, 264 et XXX, 570) l'évêque Aymon III de La Tour est mort entre le 24 et le 26 avril 1338, après avoir gouverné cette église pendant 14 ans, 5 mois et une semaine; d'après ces données il a dû être nommé ou sacré vers le 2 novembre 1323. D'après le document N° 1496, Aymon de La Tour était évêque en janvier 1324. Cependant d'après un document du 1er février 1324 (voy. plus bas., N° 1498), l'église de Sion aurait été encore vacante à cette époque; il y a là

une contradiction évidente; je suppose que cette dernière date est erronée, à moins qu'il ne faille admettre qu'Aymon de La Tour n'ait d'abord été reconnu que dans le Haut-Vallais; on remarquera que l'acte qui figure sous le présent numéro est daté d'Ernen, tandis que celui du 1er février 1324 l'est de Sion. C'est un point qui ne pourra être éclairci que par la découverte de nouveaux documents.

1495

Perrette, veuve de Jean, sautier de Bourg-Saint-Pierre, et ses filles, cèdent la salterie de ce lieu aux frères Jean et Rolet, métraux du même lieu.

Bourg-Saint-Pierre, 1323, 2 décembre.

Archives de Valère.

* Nos Johannes de Meriaco, judex in Chablasio, Gebenn. et in Intermontibus pro dno Eduardo comite Sabaudie, notum facimus quod sicut nobis constat per relationem Perrodi Rolen de Orseriis, clerici et jurati curie predicti dni comitis, in eius presencia constituti Perreta relicta Johannis salteri de Burgo Montis Jouis, nomine suo et nomine Jaquete, Francesie, Margarete, Quarterine et Mermete filiarum quondam dicti Johannis et ipsius Perrete, ex vna parte, et Johannes commistralis de dicto Burgo, nomine suo et nomine Roleti fratris sui, ex altera; dicte partes inter se tales conuentiones fecerunt que sequuntur: Videlicet super salteria dicti Burgi et super homagio et fidelitate inde debitis et super seruiciis, placitis, auxiliis et pertinenciis ipsius salterie, in quibus dictus quondam Johannes salteri Petro mistrali dicti Burgi, patri dictorum Johannis et Roleti, tenebatur, hinc est quod dictus Johannes mistralis, nomine quo supra, laude dni Nicholai curati de Anissio, fratris dictorum Johannis et Roleti, soluit penitus et remisit predicte Perrete, nomine quo supra, predictum homa-

gium et fidelitatem et omnia que dictus Johannes mistralis petere posset occasione salterie predicte. Vice uersa dicta Perreta soluit perpetue et remisit predicto Johanni mistrali, nomine suo et nomine Roleti fratris sui, res infra scriptas: primo videlicet salteriam predictam cum pertinenciis suis, item medietatem cuiusdam prati siti ou Pisson, juxta viam per quam itur versus Cordona, item seruicium et placitum quod debebatur eidem Perrete pro medietate duarum sectoratarum prati, sitarum retro castrum dicti Burgi. Item dicta Perreta dedit et soluit pro bono pacis dicto Jo. mistrali sex lb. et septem sol. Maur., de quibus idem Jo. mistralis se tenuit integre pro soluto. Hoc acto inter partes quod predicti Johannes et Roletus de cetero facere et portare debent consortibus quos dicta Perreta habebat in dicta salteria, talèm guerenciam qualem dicta Perreta et eius filie portare dictis consortibus debebant. Promittentes dicte partes, etc. Testes: Johannes Gotroux ciuis Auguste, Reymondus Bau de Orseriis et Petrus Regis eiusdem loci, morans apud dictum Burgum. In cuius rei testimonium nos judex predictus sigillum predicte curie presentibus duximus apponendum. Datum apud dictum Burgum, die veneris post festum beati Andree apostoli, anno Dni M°.CCC°.XXIII°. Que vniuersa et singula Roletus mistralis de dicto Burgo, frater dicti Jo., confirmauit, etc. Datum apud Orseres, die veneris post festum beati Nicholai, anno quo supra.

1496

Le pape Jean XXII charge le prévôt de Neuchâtel de faire exécuter la sentence arbitrale prononcée entre le chapitre de Sion et Jean, seigneur d'Anniviers, au sujet du droit de chancellerie.

Avignon, 1324, 13 janvier.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 739 [1].

On voit par un décret de Bertrand, archevêque d'Embrun et auditeur de l'audience des lettres contradictoires à la cour du pape Jean XXII, résidant à Avignon (du IX kl. februarii 1324), qu'en 1324, la première année de l'épiscopat d'Aymon de La Tour, nobilis vir Johannes dnus vallis de Anivisio, Sedun. dyocesis, per procuratorem suum magistrum Grimaldum de Ponte Curvo, obtint du pape trois rescripts apostoliques contre le chapitre de Sion, qui lui contestait le droit d'apposer son sceau aux lettres testimoniales à ses sujets et vassaux de la dite vallée. Il y fut maintenu comme ayant usé de ce droit, lui et ses nobles prédécesseurs de temps immémorial. Jean de Thora, doyen de Sion, voulut opposer, mais son opposition ne fut pas admise, comme personne singulière. Cet acte est du IX des kal. de février, auquel pend un sceau en cire rouge, qui est fort endommagé. Ces lettres apostoliques furent adressées au prévôt de l'église de Neuchâtel, diocèse de Lausanne. En voici le principal dispositif :

Johannes episcopus, servus servorum Dei, etc. Quia nobis nobilis vir Johannes dnus vallis de Anivisio, Sedun. diocesis,

[1] Il ne m'a pas été possible de retrouver les originaux des actes dont il est ici question. Je dois me borner à donner l'analyse que le chan. de Rivaz en a faite.



petitione monstraverit quod licet appositio seu appensio sigilli sui proprii in quibusdam litteris testimonialibus seu authenticis aut instrumentis publicis subditorum seu vassallorum suorum ejusdem vallis, confectis super perpetuis contractibus initis in dicta valle, ad eumdem nobilem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinere noscatur, et tam idem nobilis quam progenitores sui, qui fuerunt pro tempore, in pacifica possessione vel quasi possessione juris apponendi seu appendendi suum dictum sigillum in litteris seu instrumentis hujusmodi fuerit a tempore cujus contrarii memoria non existat, dilectis filiis capitulo ecclesie Sedun. consentientibus eis licere, ex auctoritate sibi concessa a venerabili fratre nostro episcopo Sedun., posse per se eorumque officiarios in dicta valle concedere et fieri facere litteras testimoniales, que chartre in illis partibus vulgariter nuncupantur, super quibuscumque contractibus initis inter eosdem subditos et quoscumque alios homines habitatores dicte vallis, absque appositione seu appensione alicujus sigilli, et quod in possessione juris hujusmodi fuerant a tempore supradicto; ortaque propter hoc inter eosdem nobilem et capitulum super predictis materia questionis, tandem dicti nobilis et capitulum super premissis in eumdem episcopum et Jacobum de Monthone decanum decanatus de Aventica, Lausan. diocesis, sub certa pena juramento hinc inde prestito concorditer compromittere curaverint; qui hujusmodi compromisso suscepto et ea forma servata equum tulerunt arbitrium inter partes, et licet hujusmodi arbitrium fuisset ab ipsis partibus unanimiter acceptatum, tamen prefatum capitulum mutata postmodum indebite in contrarium voluntate arbitrium ipsum indebite contradicant. Quo circa discretioni tue mandamus per apostolica scripta quatenus arbitrium ipsum, sicut est equum et a partibus acceptatum, facias monitione premissa per censuram ecclesiasticam, oppositione remota, ab ipsis



partibus firmiter observari. Datum Avenione, idus januarii, pontificatus nostri anno octavo.

Jean, seigneur d'Anniviers obtint du même pape de secondes lettres ejusdem tenoris, où l'on voit que l'évêque arbitre dont il parle dans les premières est Aymon de Châtillon, puisque cet évêque était mort la VIIIe année du pontificat de Jean XXII: Tamen mediantibus bonis viris quedam super hiis amicabilis compositio intervenerit, ad id bone memorie Haymonis episcopi Sedun. accedente consensu, quam dictus nobilis apostolico petiit munimine roborari.

1497

Uldriod de Sarquen fait l'abandon de ses biens meubles à un créancier.

Sion, 1324, 30 janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°CCC°XXIIII°, inditione VII, III kl. februarii, in ciuitate Sedun., ante domum Ardigni Lombardi mercatoris, ciuis Sedun., subtus lobias, in presencia mei notarii, etc., constituti Johannes de Orseriis ciuis Sedun., tenens locum in ciuitate Sedun. viri nobilis Petri vicedni Sedun., et Thomassinus Lombardus nepos dicti Ardigni, nomine suo et predicti Ardigni, ex vna parte, et Vldriodus de Sarqueno cirothecarius et Anthonia eius vxor, ex altera. Cum dictus Thomassinus nomine quo supra clamam deposuisset in manu dicti Johannis tenentis locum predictum de coniugibus predictis, petens ab ipsis XLV sol. et sex den. Maur., quos confessi sunt dicti coniuges debere predictis Ardigo et Thomassino ex causa plurium denariatarum mutui et mercandiarum ab ipsis mercatoribus habitarum et receptarum, et cum dicti coniuges iussi fideiu-

bere de dicta clama et de stando juri a dicto Johanne, non potuerint fideiubere siue cauere per manum hominis, sed bona sua infrascripta dicto Johanni loco cautionis obtulerunt atque tradiderunt in scriptis, videlicet lectum suum, scilicet culcitram et pulvinar, vnam palliacy et sex linteamina, vnam cutre puinty, vnum coopertorium pellium, duodecim pelles albas, duo parua dolia vacua, VI duodenas bursarum valentes IX sol. Maur., tria scanna, duas duodenas pellium rossarum, vnum coquipendium, duos calcabos, duas achetes, vna patellam, vnam caza, duas archas, vnam mastram, vnum morter, vnum crullion, vnam patellam, vnum escueler, IIII[or] poz, scilicet vnum fustis et tres terre, vnum cophinum, vnum fischilin et dimidium fischilin, vnum quarteron, duo lanigia lapidea, vnam tablam ad portandum panem, duos cutellos ad talons, quasdam forcipes, quasdam torqueses, quinque ferros florotiours, I lb. follie albe cum dimidia, vnum ferrum ad estendendum pelles, vnum ferrum ad parandum pelles, sex ciphos, quatuor brunissiours cum quibus enses parantur, vnum lapidem fulguris, quasdam thesueres, IIII[or] martelez, quinque florotiour ad florotandum vaginas, tres ferros ad lisendum vaginas, item IIII[or] duodenas de cospez, vnum sofflet et vnum piston, item V solidos pro V spatis aptandis et faciendum fourras, item vnam scufinam et I para. Que quidem bona predicta idem Jo. de Orseriis, presentibus et consentientibus et expresse volentibus dicto Vldriodo et Anthonia eius vxore predicta, dedit et tradidit in solutum dicto Thomassino recipienti nomine suo et dicti Ardigni auunculi sui. Promittentes dicti coniuges Vldriodus et Anthonia, etc. Testes : Jorius Cordonot, Willermus Ganters, ciues Sedun., Hugonodus de Sarrata mercator et ego Jo. Munmeliani, etc.

* Item anno die et loco quibus supra dictus Thomassinus, nomine suo et Ardigni predicti, supradictas res mobiles acomodauit et tradidit usque ad beneplacitum suum predictis



coniugibus Vldriodo et Anthonie ad laborandum et aquirendum panem suum, ita tamen quod de locro euento et acquisito per dictos coniuges cum rebus et vtensilibus predictis debent dicti coniuges predicto Thomassino nomine quo supra reddere computum et portionem dicti lucri ad misericordiam ipsorum Thomassini et Ardigni, et ipsas res omnes eisdem mercatoribus integre reddere, quam cito ab ipsis fuerint super hoc requisiti.

1498

Droits du sautier de la Soie.

Sion, 1324, 1 février.

Liber deseni de Seduno, f. 226 verso.

Nos Ebalus sacrista et Thomas cantor ac sindici in temporalibus ecclesie Sedun., sede vacante [1], notum facimus vniuersis quod in nostra presentia propter hoc constitutus Vullielmus salterus de Seta, idem Vullielmus probauit legitime coram nobis quod bone memorie reuerendus in Christo pater dnus Aymo Dei gracia quondam episcopus Sedun. eidem saltero reddidit et etiam de nouo concessit salteriam de Seta cum omnibus juribus et pertinentiis suis, et ad hoc probandum exhibuit coram nobis quasdam litteras sigillo dicti dni episcopi sigillatas, non viciatas, non corruptas, nec corrosas, non abolitas, sed sanas et integras, cum vero et noto sigillo dicti dni episcopi, prout prima facie apparebat, et ad probandum jura dicte salterie, vsum vel possessionem vel qua causa ipsius Vvllielmi quam predecessorum suorum proposuit idem salterus coram nobis articulos infrascriptos, quorum tenor

[1] Voy. la note qui accompagne le N° 1494, pag. 456.

talis est. Intendit probare Vullielmus salterus de Seta quod Jacobus quondam salterus de Seta, auus suus, tempore dni Henrici episcopi Sedun. erat in possessione dicte salterie et quod ipse Jacobus vtebatur dicta salteria et officio ipsius salterie. Item quod habebat idem Jacobus in curia de Seya victum et robam suam. Item quod faciebat in ecclesia Sancti Germani et extra omnia precepta que erant facienda pro dno episcopo Sedun. nomine salterie predicte. Item quod recipiebat tallias et vsagia omnia et seruicia que debentur dno episcopo in perrocchia Sancti Germani. Item quod recipiebat cautiones et percipiebat in qualibet clama deducta vel marciata sex den. Item quod clamas quas recipiebat dictus Jacobus salterus, ipse deducebat eas, si posset deducere, sin autem ipsas deducebat castellanus vel dnus episcopus. Item quod eodem modo successiue post mortem dicti Jacobi salteri Joannes filius suus vtebatur eodem modo salteria predicta et officio ipsius salterie. Item quod Vullielmus predictus, nunc salterus de Seta, filius quondam dicti Joannis salteri, vtebatur et vsus fuit eodem modo et forma salteria predicta, nisi tantum tempore quo fuit et stetit ipse Vvllielmus extra terram Vallesii, propter indignationem quam contra ipsum habebat dnus Aymo quondam episcopus Sedun. Item quod dictus dnus Aymo episcopus reddidit et concessit eidem Vullielmo saltero dictam salteriam cum omnibus juribus et pertinentiis suis, prout in littera inde confecta sigillata sigillo dicti dni episcopi continetur. Super quibus summarie et de plano et sine strepitu et figura judicii ad inquisitionem ex officio procedere volentes, vt dictus salterus indebite contra justiciam aliqualiter in suo jure per aliquem (non) turbaretur, ad nostram informationem testes recepimus fide dignos, per quos idem salterus legitime probauit ea que in sua intentione plenius continentur. Quare de consilio peritorum precipimus per presentes et pronunciamus quod idem salterus percipiat de cetero ea que in dictis articulis continentur, et quod non

turbetur per aliquem in perceptione jurium predictorum. Mandantes et precipientes tenore presentium illis quorum interest vel intererit, vt predicta sibi reddant et eidem in predictis obediant et pareant tanquam saltero, donec aliud a dno nostro dno episcopo qui pro tempore fuerit receperint in mandatis. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum Seduni et actum, kl. februarii, anno Dni M°CCC°XX quarto.

1499

Edouard, comte de Savoie, confirme les franchises de la ville de Saint-Maurice et y ajoute une déclaration au sujet des *theises*.

Chillon, 1324, 8 février.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

Nos Edduardus comes Sabaudie notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod nos franchesias, libertates et priuilegia per predecessores nostros comites Sabaudie vniuersitati communitatis burgensium et proborum hominum ville Sancti Mauricii Aganen. concessas et concessa approbamus, ratifficamus et etiam confirmamus, mandantes tenore presentium balliuo et judici nostris Chablasii et Gebenn., necnon et castellano Sancti Mauricii Aganen. ac omnibus aliis officialibus nostris, qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint, quatenus dictas libertates, franchesias et priuilegia dictis burgensibus et communitati custodiant inuiolabiliter et obseruent, omni occasione postposita et remota, nec aliqualiter contra uenire presumant. Item cum dicta vniuersitas nobis supplicauerit conquerendo quod castellani Sancti Mauricii tesas domorum ipsius ville Sancti Mauricii vacantium et in quibus non habitatur nec fit ignis, leuant et leuare seu exigere nituntur contra antiquas consuetudines eorumdem, nos declarando

circa premissa consuetudines suprascriptas, volumus et ordinamus quod nulla leuatio seu exactio tesarum fiat in dicta villa de domibus uacantibus uel in quibus habitatum non fuerit uel ignis factus per annum integrum ante tempus leuationis seu exactionis tesarum uel etiam tempore leuationis seu exactionis earumdem. Quare nos tenore presentium inhibemus dictis castellanis, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, apud Sanctum Mauricium, vt dictas tesas non leuent a domibus dicte ville, nisi secundum nostram ordinationem predictam. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Chillionis, tercia die mensis februarii, anno a natiuitate Dni millesimo trecentesimo vicesimo quarto.

1500

Il ne doit y avoir qu'un seul métral dans la paroisse de Liddes.

Saint-Brancher, 1324, 10 février.

Archives de Liddes.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°CCC°XXIIII°, indicione VII, X die mensis februarii, apud Sanctum Brancherium, coram me notario et testibus infrascriptis propter hoc specialiter constituti Perrodus filius Vmberti de Ecclesia, Vuillermus Borgeis, Vuillermus Brom et Michael Gouran de Lydes, procuratores et procuratorio nomine proborum hominum tocius communitatis de Lydes, ex vna parte, et Johannes filius quondam Johannis de Lydes, Johannodus filius quondam Bonefacii de Lydes et Francesya filia Coleti Bolem, vxorque quondam Johannodi Valteri de Lydes, tutorio nomine Johannodi, Perrodi et Alberti filiorum suorum et dicti Johanneti Valteri quondam, ex altera; cum lis, questio seu discordia verteretur inter dictas partes nominibus quibus supra coram Ste-

phano Borgesii de Gez, castellano Intermoncium pro illustri viro dno Eduardo comite Sabaudie, super eo videlicet quod dicti procuratores procuratorio nomine quo supra dicebant et proponebant contra dictos Johannem, Johannodum et Francesyam nomine quo supra, commistrales de Lydes, quod in tota parrochia de Lydes, non debent habere nisi vnicum mistralem, prout continetur in quadam littera sigillo curie dicti dni comitis sigillata, olim facta super compositione et concordia mistralie predicte per mistrales et probos homines dicti loci ; quare petebant dicti procuratores nomine quo supra et requirebant a dictis commistralibus sibi reddi, constitui et nominari vnum solum mistralem, videlicet vnicum hominem ydoneum et sufficientem ad officium dicte mistralie exercendum. Requirebat eciam dictus castellanus ex parte prefati dni comitis prefatos commistrales ex vi cuiusdam mandati a dicto dno comite per dictos procuratores ipsorum quod requisitionem dictorum procuratorum adimplerent. Quare dicti Johannes, Johannodus et Francesya nomine quo supra, sano vsi consilio, requisicionem eciam dicti castellani et dictorum procuratorum nomine quo supra annuentes elegerunt, constituerunt et ordinauerunt mistralem, videlicet predictum Johannem de Lydes, volentes et concedentes dicti commistrales nominibus quibus supra quod dictus Johannes pro se et consortibus suis predictis dictam mistraliam teneat de cetero et officium mistralie predicte exerceat cum juribus, racionibus et actionibus vniuersis et singulis mistralie supradicte. Qui procuratores nomine quo supra, considerantes dictum Johannem esse ydoneum ad officium dicte mistralie exercendum, electioni dictorum commistralium consencierunt et dictum Johannem per suum mistralem dicte parrochie de Lydes receperunt. Ad hoc fuerunt testes vocati et rogati Petrus Bonjor de Gez, Petrus Vuillenz de Octyez, Cotinus de Verbyer, Perrodus Bolem de Orseriis clericus et Roletus mistralis de Burgo

Montis Jovis, et ego Martinus de Aquiano clericus, auctoritate imperiali publicus notarius, hanc cartam recepi et eam scripsi, signoque meo consueto fideliter signaui rogatus.

Ad majorem autem robur et firmitatem omnium premissorum ego predictus castellanus, ad preces et requisicionem dictarum parcium, sigillum meum duxi presentibus apponendum. Datum ut supra.

Sceau pendant.

1501

Hommage prêté à Agnès de Chamoson par Brunet de Borny.

Chamoson, 1324, 7 mars.

Archives de Valère, Registrum Jaqueti de Aragnon.

* Brunetus de Borny de Bramosio fecit fidelitatem homagii ligii dne Agneti relicte dni Walteri de Chamoson et confessus fuit se debere talliam ad misericordiam et IIII sol. VIII den. de meneydes et XII den. de port per annum. Datum apud Chamoson, nonas marcii, anno Dni M.CCC.XXIV.

1502

Vente d'un droit par Henri de Rarogne, chevalier.

1324, 24 mars.

Archives de Valère, extrait cité dans un procès.

* Vir nobilis dnus Henricus de Rarognya miles vendidit et dedit in feudum perpetuum Anthonio de Volobron tota les quartes quales habebat in parrochia de Heruens. Datum IX kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XXIV°.



1503

Prorogation du jour fixé aux procureurs du chapitre de Sion et de Jean d'Anniviers pour comparaître devant les commissaires de l'archevêque de Tarentaise.

1324, 30 mars.

Archives de Valère.

Nos Nycholaus prior Sancti Petri Tharentasiensis et Johannes Jordani canonicus secularis Thar., commissarii in hac parte dati a reuerendo in Christo patre dno B. Dei gratia archiepiscopo Thar., videlicet in causa que vertitur coram nobis auctoritate premissa inter capitulum Sedun. seu eius procuratores, ex vna parte, et nobilem virum Johannem dnum de Aniuesio domicellum, ex altera, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod comparhentibus hodie coram nobis Villermeto Curteti de Must(riaco) notario, procuratore et procuratorio nomine dicti capituli, ex vna parte, et Johanne de Mura notario, procuratore et procuratorio nomine dicti Johannis de Aniuesio, ex altera, dictis procuratoribus nominibus quibus supra volentibus et consentientibus diem veneris post octabas Pache proxime venturas assignatam coram nobis apud Must(riacum) inter partes predictas, prout in memoriali dicte assignationis sigillis nostris sigillato plenius continetur, prorogamus et continuamus in eodem statu in quo erat assignata dicta dies veneris, ad diem veneris post festum beate Marie Magdalene proximam ad comparhendum parhere coram nobis apud Must. et ad idem faciendum quod dicta die veneris post octabas Pasche fieri debebat in causa predicta tradendis nobis rationibus et actis dicte cause vnacum pecunia per nos alias ordinata pro consilio habendo per vnum mensem ante,



dictis partibus semper protestantibus, prout in presenti memoriali plenius continetur, eo saluo quod dictus Johannes de Mura non consensit, sed protestatus fuit se non consentire dicto nomine quod ipse Johannes de Aniuesio tradat vel tradere debeat aliquam pecunie quantitatem pro consilio habendo in causa predicta, et quod ipse dicto nomine non intendit in nos tanquam in suos judices consentire, et saluis protestationibus dicti Johannis de Aniuesio alias nomine et ex parte ipsius coram nobis propositis in causa predicta, quas protestationes predictas dictus Johannes de Mura nomine quo supra repetiit coram nobis in principio huius assignationis et in medio ac in fine et esse voluit repetitas, dicto Villermeto Curteti ex aduerso predicto nomine protestante quod dictis protestationibus partis aduerse non consentit, sed in contrarium protestatur, repetendo protestationes alias propositas ex parte dicti capituli coram nobis in causa predicta, dicto Johanne de Mura nomine quo supra coram nobis perseuerante in omnibus et singulis que superius protestatus fuit nomine prelibato. Datum die veneris post annonciationem beate Marie Virginis, anno Dni M°CCC° vicesimo quarto, cum appositione sigillorum nostrorum.

1504

Reconnaissance de Jean de Praborgne en faveur du curé de Viège.

Viège, 1324, 3 juin.

Archives de Valère, Cartul. ecclesie de Vespia, p. 88, N° lxx.

* Johannes filius Walteri de Pratoborno recognoscit se debere Philippo curato de Vespia homagium planum et VI fisch. siliginis seruicii cum placito pro decima nascentium, noualium et primauere in Embda. Testes: dnus Walterus de Consches,



dnus Johannes Holz, Johannes matricularius de Staldun. Datum Vespie, die terciò junii, anno Dni M.CCC.XXIV, Aymone episcopante.

1505

Dîme du vin due au curé de Viège.

Viège, 1324, 18 juin.

Archives de Valère, Cartul. ecclesie de Vespia, p. 17, N° xviii.

* Dnus Philippus curatus de Vespia percipere debet decimam vini in locis ubi Johannes de Nancz percipit decimam bladi et alias decimas nomine ecclesie de Vespia, exceptis vineis propriis dicti Johannis in der Bizzinon. Testes: Walterus et Petrus Giroldi, vicarii de Vespia. Datum Vespie, die lune ante festum beati Johannis Baptiste, anno Dni M.CCC.XXIV, Aymone episcopante.

1506

Reconnaissance de Jean Conversi en faveur du curé de Viège.

Viège, 1324, 25 juin.

Archives de Valère, Cartul. ecclesie de Vespia, p. 30, N° xxxiii.

* Johannes Conuersi de Ponzirro recognoscit se debere dno Philippo curato de Vespia unum modium siliginis, V sextaria vini et duos sol. cum placito seruicii et homagium ligium de decima, excepta decima animalium, in territorio de Ponzirro. Testes: Johannes Asperlini, etc. Datum Vespie, feria secunda post festum beati Johannis Baptiste, anno Dni M.CCC.XXIV, Aymone episcopante.

1507

Donation faite par l'évêque de Sion aux frères Jacques et Aymon d'Ollon.

Sion, 1324, 28 juillet.

A. J. de Rivaz, Opera hist. XII, 751, ex arch. Valer.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod reuerendus in Christo pater dnus Aymo Dei et sedis apostolice gratia Sedun. episcopus spontanee donauit donatione perpetua et irrevocabili Jacobo de Olono clerico et Aymoni fratri suo et heredibus seu assignatis eorumdem totalem fasendam seu culturam eidem dno episcopo, ut dicit, commissam ex morte Petri Bel naturalis seu spurii de Sancto Romano, de vineis et petiis vinearum quas ipse Petrus tenebat a Willelmo de Blivignoch quondam cive Sedun., filio naturali quondam Ansermi de Blivignoc domicelli, quecumque dicte vinee fuerint et ubicumque dicte vinee sint en Champons et en Essers et alibi, et quibuscumque nominibus censeantur. Testes: dnus Martinus de Castellione cappellanus, Perrodus Reymundi de Conteiz domicellus, Johannes Vizo de Castellione et Amedeus de Reina clericus, qui hanc cartam levavit, etc. Actum Seduni, in curia episcopali, V kl. augusti, anno Dni M°CCC°XX°IIII°.

1508

Le juge du Chablais et du Genevois taxe les frais d'une cause et charge le châtelain de Saint-Maurice de les faire payer.

Saint-Maurice, 1324, 25 août; — 1326, 31 mai.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

Nos Johannes Albi de Boteria, judex in Chablasio et Gebenn.

pro illustri viro dno Edduardo comite Sabaudie, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod nos, die presenti, in assissiis publicis Sancti Mauricii, que dies erat assignata per nos dictum judicem Aymonodo et Perrodo et Jaquerodo fratribus dictis Vacherinis ad videndum taxacionem expensarum cuiusdam cause ventilate coram dno Johanne de Meyr(iaco), predecessore nostro in dicta judicatura, inter dictos fratres, ex vna parte, et sindicos ville Sancti Mauricii, ex altera, cuius cause dicti fratres contrariam reportauerunt sentenciam, in quibus expensis dictus dnus Johannes dictos fratres condempnauit et taxacionem dictarum expensarum sibi reseruauit, ut nobis constat per acta curie et per sentenciam inde latam. In quibus assissiis et die presenti assignata dicti fratres minime comparuerunt, quamuis citati, prout nobis constat per acta curie, dictis sindicis videlicet Martino Gorgiz et Johanne de Sancto Paulo, burgensibus Sancti Mauricii, sindicis et sindicario nomine dicte ville, secundum assignacionem presentis diei sufficienter comparentibus et dictam taxacionem fieri petentibus. Quas quidem expensas nos dictus judex sedendo pro tribunali, taxacione nostra prehabita, juramentoque dictorum sindicorum subsecuto, considerata multitudine scripturarum factarum super dicta causa, taxamus quatuor lb. et quindecim sol. Maur. inclusis in eisdem expensis huius presentis littere, et in dictis expensis persoluendis dictis sindicis nomine quo supra per dictos fratres eosdem condempnamus. Mandantes castellano Sancti Mauricii uel ejus locum tenenti ut dictos fratres compellat per capcionem bonorum ipsorum fratrum et distractionem ad soluendum dictis sindicis nomine quo supra dictas quatuor lb. quindecim sol. Maur., elapsis prius decem diebus a data presentium computandis. Datum in dictis assissiis, XXV die mensis augusti, anno Dni M°CCC°XXIIII°.

Sceau pendant.



Jacobus Albi de Viuiaco judex in terra illustris dne dne Marie de Brabancio comitisse Sabaudie dilecto suo castellano ville Sancti Mauricii salutem et dilectionem sinceram. Cum vir discretus Johannes Albi de Boteria judex in Chablasio et Geben. quondam pro illustri viro dno Eduardo comite Sabaudie taxauerit quatuor lb. et quindecim sol. Maur. expensas cuiusdam cause ventilate coram dno Johanne de Meyriaco predecessore dicti judicis in dicta judicatura inter syndicos ville Sancti Mauricii, ex vna parte, et Aymonodum, Perrodum et Jaquerodum fratres dictos Vacherin persoluendas dictis syndicis per dictos fratres, mandaueritque dictus dnus Johannes Albi castellano ville Sancti Mauricii predecessori tuo quod dictos fratres compelleret per capcionem bonorum ipsorum et distractionem ad soluendum dictis syndicis, nomine sindicario quo supra, dictas quatuor lb. et quindecim sol., et syndici dicte villle qui nunc sunt asserebant dictam pecuniam non esse solutam, tibi mandamus quatenus dictos fratres compellas modo quo supra per capcionem et distractionem bonorum suorum ad hoc quod ipsis syndicis soluant pecuniam supradictam, vna cum duodecim den. pro expensis presentis littere. Datum in assisiis publicis Sancti Mauricii, vltima die mensis maii, anno Dni M°.CCC°.XXVI°.

Sceau pendant.

1509

Perrod de La Tour, seigneur de Châtillon, fait remise aux Bernois de ses droits sur Laupen.

1324, août.

Archives du canton de Berne. — *Soloth. Wochenblatt*, 1829, pag. 104. *M. D. R.*, XXIV, 389.

Ego Perrodus de Turri domicellus, filius quondam dni Jo-

hannis de Turri militis, dni Castellionis in Vallesio, ad vniuersorum tam futurorum quam presencium noticiam cupio peruenire quod ego non vi coactus nec dolo seductus, sed sciens et spontaneus, mentis et corporis per Dei graciam compos, pro tribus milibus lb. bonorum denariorum vsualium in Berno a sculteto, consulibus et communitate ville de Berno michi integre persolutis et versis in vsus meos necessarios in pecunia numerata, vendidi et titulo perfecte ac irreuocabilis vendicionis tradidi et do tenore presencium eisdem sculteto, consulibus et communitati ville de Berno predicte omne jus, actionem et partem quod et quas in castro, municione et dominio de Lovppon, Lausan. dyocesis, habui, habeo et habere potero vllo modo, super quibus castro, municione et dominio de Lovppon habeo mille et quingentas marcas argenti iuxta tenorem littere quam serenissimus dnus dnus Heinricus Dei gracia Romanorum rex et semper Augustus, recordacionis inclite, illustri viro dno Ottoni dno de Grandissono pro suis seruiciis erogauit[1], ab ipsis burgensibus de Berno et a suis successoribus predictum ius meum dicti castri, municionis et dominii de Lovppon cum hominibus, possessionibus, nemore dicto der Vorst, seruiciis, sturis, iurisdicionibus, siluis, domibus, areis, agris, pratis, campis cultis et incultis, vtilitatibus, seruitutibus et pertinenciis vniuersis, in eo iure sicuti ipsum hactenus ego et dictus pater meus adduximus et vt in ipsa regali littera continetur, habendum, possidendum et vtendum ex nunc libere, pacifice et quiete. Deuestiens igitur me, etc. Et promitto, etc. Renuncians, etc. Nos vero Aymo Dei gracia episcopus Sedun., curator dicti Perrodi nostri patruelis, fatemur omnia supradicta de nostra voluntate procesisse et quod in ipsis nichil habemus iuris siue partis. Si autem quicquam iuris siue partis in premissis haberemus, hoc sponte et libere ad manus dic-

[1] Voy. l'acte de cette concession dans la *Soloth. Wochenblatt*, 1829, pag. 103.



torum sculteti, consulum et communitatis ville de Berno tenore presencium resignamus. Quapropter premissa omnia et singula pro nobis et dicto patruo nostro laudamus, auctorizamus et ratificamus tenore presencium nunc et in futurum. Testes horum sunt vocati et rogati dnus Heinricus de Raronia, dnus Johannes de Stretlingen, dnus Chuono de Castello, dnus Berchtoldus de Ansoltingen, milites, Ruodolfus de Raronia domicellus, Willelmus et Jacobus de Duens fratres et alii fide digni. Et in predictorum omnium testimonium atque robur nos Aymo Dei gracia episcopus Sedun. et Perrodus de Turri domicellus sigilla nostra pependimus ad presentes. Rogauimus eciam nobiles viros, scilicet dnum Petrum de Grandissono dnum Bellimontis et dnum Waltherum de Wediswile, milites, quod sua sigilla vna cum nostris sigillis hiis appendant litteris in euidenciam premissorum. Et nos Petrus de Grandissono et Waltherus de Wediswile, milites, iam dicti, ad instanciam reuerendi in Christo patris ac dni dni Aymonis Dei gracia episcopi Sedun. et Perrodi de Turri domicelli prescriptorum, sigilla nostra in veritatis testimonium omnium premissorum appendimus huic scripto. Datum mense augusti, anno Dni M°CCC° vicesimo quarto, indicione VII^a^.

Quatre sceaux pendants.

1510

Le chapitre de Sion accorde un délai de six ans à Albert, maior de Suen, pour la prestation de l'hommage dû pour la métralie d'Ayent.

Valère, 1324, 5 octobre.

Archives de Valère.

* Anno Dni M°CCC°XXIIII°, III° nonas octobris, indicione VIII°, in ecclesia Valerie, dni Girardus decanus Valerie, Jo-



hannes decanus Sedun., Ebalus sacrista, Thomas cantor, Ebalus Hubodi, Johannes Herppo, Petrus Farco, Petrus Scoti, Franciscus de Yporregia, Anthonius Hubodi, Petrus de Venthona, Johannes de Drona, Perronetus de Claromonte, canonici Sedun., ibidem ad capitulum tenendum congregati, dederunt dilacionem et terminum Alberto maiori de Suens recognoscendi et faciendi homagium ligium vnum quod debet ipse Albertus dicto capitulo ratione mistralie de Ayent et aliorum feodorum et rerum quam et quas tenet ab eodem capitulo, per spacium sex annorum, et hoc pro quatuordecim lb. Maur.

Ego Franciscus de Viuiaco clericus, etc.

1511

Vente d'un cens par Isabelle, femme de Pierre de Saxon, donzel.

Sion, 1324, 31 octobre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXIIII°, II kl. nouembris, in ciuitate Sedun., Ysabella uxor Petri de Sassone domicelli et Johannes eius filius, pro soluendis eorum debitis, pro quibus eorum pignora amittebantur, vendiderunt Johanni de Drona canonico Sedun. et Nycholao de Herdes dyacono XVIII fisch. siliginis annui redditus de duobus modiis siliginis redditus in quibus annuatim tenebantur heredes Bertholdi de Amagniosc super decima de Yserablo, qui duo modii fuerunt de dote dicte Ysabelle, et hoc pro precio XII lb. Maur. Et ego Jo. Munmeliani, etc.

Debet sigillari sigillo curie dni comitis Sabaudie.

Les acheteurs accordèrent aux vendeurs la faculté de racheter ce cens pendant les six années suivantes.

1512

L'évêque de Sion reconnaît devoir 120 L. à Etienne de Prez, donzel, pour les services qu'il en a reçus.

Sion, 1324, 5 novembre.

Archives de Valère, Prothocollum III Jo. Monmeliani.

* Nos Aymo Dei et apostolice sedis gracia Sedun. episcopus notum facimus quod cum Stephanus de Prez domicellus plures equos in seruicio nostro et ecclesie nostre expenderit et labores quam plurimos sustinuerit et expensas, nos in emendam dictorum equorum et satisfactionem expensarum et laborum predictorum donamus et nos debere confitemur eidem Stephano sex viginti lb. Lausan.; quam pecunie summam predicto Stephano soluere promittimus. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Seduni, die lune post festum Omnium Sanctorum, anno Dni M°CCC°XXIIII°.

1513

Pierre Alberti donne un pré à l'église de Fully en compensation d'un cens qu'il devait.

Saillon, 1324, 28 novembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

* Anno Dni M°.CCC°.XXIIII°, IIII kl. decembris, apud Sallionem. Cum Petrus Alberti de Lydes teneretur ecclesie de Fullie in duobus sol. Maur. et vno sextario vini censualibus, quos census predecessores illorum deis Chastagniez dederant eccle-

sie predicte nomine elemosine et assignauerant super eorum albergamentum, idem P. successor hospicii predictorum deis Chastagniez dedit et concessit, nomine redemptionis dictorum censuum, dno Marco curato de Fullie recipienti nomine ecclesie sue pratum de Charnos, situm juxta paschua de Crestier et juxta quoddam brachium Rodani, facturo de dicto prato dno comiti Sabaudie VIII den. seruicii et XVI den. placiti. Testes: P. salterus de Branzon et Johannes de Cluseles, et ego Jo. Munmeliani, etc.

1514

Hommage prêté à l'évêque de Sion par Ruédin de Rarogne.

Tourbillon, 1324, 2 décembre.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°XXIIII° inditione VIII, IIII nonas decembris, in castro Turbilionis, in presencia reuer. in Christo patris et dni dni Ay. Dei et apostolice sedis gracia Sedun. episcopi ac mei notarii, etc., constitutus Ruedinus de Rarognia, domicellus, idem Ruedinus fecit homagium ligium dicto dno episcopo pro portione ipsum contingente in feudo de Rarognia, et licet quidam alii sui consortes debeant esse principales et anteriores dicti feudi, adeo quod ipse non teneretur ad homagium faciendum dicto dno episcopo pro portione sua, voluit tamen dictus Ruedinus dictum homagium facere et fecit ipsum, ut superius continetur, sub pactionibus et conuentionibus infrascriptis, scilicet quod quamdiu dicti anteriores et consortes feudi predicti cessauerint facere dicto dno episcopo homagium ligium pro dicto feudo et reddere eidem dno episcopo vnum ex ipsis hominem ligium, dictus Ruedinus rema-

net perpetue homo ligius predicti dni episcopi et mense episcopalis predicte. Si vero contingeret homagium fieri dicto dno episcopo per unum de anterioribus dicti feudi, tunc nychilominus dictus Ruedinus remanet homo ligius dicti dni episcopi Sedun. ad vitam suam tantum et non vltra. Recognouit autem dictus Ruedinus esse de feudo dicti dni episcopi vicedominatum de Leucha et vnum obolum quem percipit pro qualibet balla in ponte de Leucha, quem obolum predictus dnus episcopus dimisit eidem Ruedino quamdiu dictus dnus episcopus vitam duxerit in humanis. Dictus vero Ruedinus promisit dicto dno episcopo manifestare infra carnispriuium proximum omnia illa que sciet esse de dicto feudo. Testes ad predicta fuerunt, scilicet ven. dnus Jo. Giroldi legum professor, canonicus Lausan., officialis Sedun., Willermodus de Grimisua, Willermerius de Evians et ego Jo. Munmeliani, etc.

1515

Reconnaissance en faveur de Pierre de La Tour.

(1324-1350.)

Archives de Valère; Cahier incomplet de reconnaissances en faveur de Pierre de La Tour, seigneur de Châtillon.

Perrerius Quarraux dArba, Vulliermus Copeir, Johannes dou Lasier dArba, Martinus de Viona, Vulliermus Pelliparii, Martinus Lora, Katerina vxor Perrerii Bafin, Johannes de Canali, Johannes Fardel, Perreta de Cresta nomine suo et Vulliermi fratris sui, Agnesola de Cresta; prenominate persone que sunt de albergamento des Syncyblyns mouente a Bartholomeo de Turre de Sancto Mauricio, recognouerunt quod debent Petro de Turre quatuor solidos Maur. in quibus Perrodus

de Turre de Columberio mistralis de Ayent et de Eruens habet duodecim den. Item debent duos capones receptibiles, aut loco dictorum caponum duodecim den. annuatim, loco mistralie seu garde. Item recognouerunt quod inter se debent dicto eorum dno vnum clientem munitum quotienscumque itur ad caualcatam per electionem. Et dicunt quod dictus Petrus de Turre debet expensas ministrare dicto clienti, quotienscumque exiret de Vallesio, et dare dicto clienti sotulares et caligas, et dicunt quod debent alterno anno dicto Petro de Turre duodecim den. de port, de quo Johannes de Canali est responsor.

Ce cahier contient plusieurs autres reconnaissances du même genre.

1516

Reconnaissance des droits de Pierre de La Tour à Arba.

1324-1350.

Archives de Valère; Cahier incomplet de reconnaissances en faveur de Pierre de La Tour, seigneur de Châtillon.

Bosonerius Borcardi, Johannes Chapel, Perrerius de la Villeta, Boso Morar, Bosonerius Morar nepos eius, Johannes Serragin, Stephanus Ayro, Johannes Cordelo, Johannodus Ayro, Vulliermus Copeir, Vulliermodus Ayro, Romanus filius Ansermi de Torrente, Johannes Garbiz, Perrerius Bafin, Vullinerius de Vertro, Johannodus Borcardier, Perrerius filius Johannodi lo Michie, Bornetus Larenczo, Vulliermodus Borcardi, Johannodus Bureys, Romanus filius Johannis de Torrente, Ansermus dou Lasier, Vulliermus Marmeis, Perretus Quarral, Johannes dou Leysier, Johannodus Michie, Johannodus Roman, Perrerius Michie, Ansermodus Garbiz, Johan-

nes de Canali, Boso Fardelli, Vulliermus Pelliparii, Perrerius de Torrente, Romanus Apostoli, Vldricus Marmeis, Perretus lo Nycolex, Franciscus de Torrente, omnes de Arba, recognouerunt quod Petrus de Turre habet et habere debet et predecessores sui habuerunt in villa et territorio et infra confines territorii de Arba merum et mistum imperium, omnem juridicionem et omne dominium in et super omnes delinquentes ibidem et omnium criminosorum et sceleratorum in villa et infra territorium et confines predictos delinquentium, secundum qualitatem delicti. Item quod habet et facere debet omnes pignorationes que ibidem fiunt uel fieri possunt ex quacumque causa. Item quod habet confirmationes custodum et nunciorum communium dicti loci. Item quod tenent in feudum a dicto Petro de Turre vsamentum pascuorum et nemorum et aquarum ibidem. Item recognouerunt quod Perronetus de Turre de Columberio domicellus, tanquam mistralis dicti Petri de Turre de Ayent et de Eruens, ratione et jure mistralie sue debet confirmationes et pignorationes predictas et quod habet et habere debet minuta banna in dictis nemoribus, videlicet tres solidos et sex denarios Maur. pro quolibet banno, item pro qualibet clama tres sol. et sex den. in dicta mistralia de Ayent, secundum quod actenus fieri consueuit. Item recognouerunt dicti homines, videlicet illi qui sunt ligii aut talliabiles dicti Petri de Turre, quod ipsi debent sequi banderiam dicti Petri de Turre et eidem ad caluacatas suas, quotienscumque mandantur, parere et deseruire. Item Johannodus ly Michie et Perrerius frater eius, item Ansermus Ayro et Johannodus filius eius recognouerunt quod debent ire ad caualcatas sub dicta banderia dicti Petri de Turre, prout hactenus ipsi et ipsorum predecessores facere consueuerunt.

Dans ce même cahier se trouve une reconnaissance d'Aymon curé d'Ayent pour un *casale* apud Botteres.



1517

Nicolas Wichars confesse avoir reçu 20 L. de Guillaume, vidomne de Martigny, pour la dot de son épouse Agnès.

Martigny, 1325, 12 janvier.

Archives de Valère.

* Anno incarnacionis Dni M°CCC°XXV, indicione octaua, die sabbati ante festum beati Ylarii, in villa Martigniaci, Nycholaus dictus Wychars de Montez clericus confessus fuit se recepisse a Willelmo vicedno de Martigniaco domicello viginti lb. bon. Maur., quam summam confessus fuit se habuisse a predicto Willelmo et a fratribus suis nomine dotis Agnetis vxoris sue. Testes : Johannes de Sabaudia domicellus, etc., et ego Johannes de Monte regali notarius, etc.

1518

Guillaume de Morestel, donzel, donne un champ en fief à Berthot Decimator de Chermignon-dessous.

Sion, 1325, 25 mars.

Archives de la ville de Sion.

* Notum sit quod ego Willelmus de Morestel domicellus, laudacione dne Jacobe uxoris mee, vendidi et finaui in planum feudum pro sexaginta sol. Maur. michi solutis et pro quatuōr den. seruicii et octo den. placiti Berthoto Decimatorī de Chermignon desotz vnam peciam campi sitam apud Cher-

mignon desotz, iuxta terram Johannis Gotro. Testes: Aymo de Olono domicellus, etc., et Girardus de Dayllon clericus qui hanc cartam leuauit. Actum Seduni, VIII kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XX quinto, imperio vacante, Aymone episcopante. Que omnia postmodum Johannes et Petrus filii dicti venditoris laudauerunt, Seduni, kl. junii, anno quo supra.

1519

Guillaume de Morestel, donzel, donne des terres à cens à Perret de Chermignon-dessous.

Sion, 1325, 25 mars.

Archives de la ville de Sion.

* Notum sit quod ego Willelmus de Morestel domicellus, laudatione dne Jacobe vxoris mee, dedi et adrendaui pro vno fischilino siliginis redditus annui mensure de Grangiis et pro vno den. seruicii et duobus den. placiti et pro decem sol. Maur. nomine intragii Perreto filio Brunete de Chermignon desotz duas pecias terre, videlicet vnam campi et aliam prati; campus jacet apud Chermignon desotz, pratum jacet en Chastel Warner. Testes: Aymo de Olono domicellus, etc., et Girardus de Dayllon clericus qui hanc cartam leuauit. Actum Seduni, VIII kl. aprilis, anno Dni M°CCC°XX° quinto, imperio vacante, Aymone episcopante. Que omnia laudauerunt Johannes et Petrus filii dicti Willermi, Seduni, kl. junii, anno quo supra.

1520

Le juge du Chablais et du Vallais ordonne au châtelain de Saillon de faire construire des ponts sur le Rhône, aux frais des communes de la châtellenie.

Saillon, 1325, 18 avril.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 759, ex archivio Sallionensi.

Johannes Albi de Boteria, judex in Chablasio et Vallesio pro illustri viro dno Eduardo comite Sabaudie, dilecto suo castellano Sallionis vel eius locumtenenti salutem et dilectionem sinceram. Cum aqua Rodani, proprio alveo derelicto quo fluere solebat et etiam ponte veteri existente super eiusdem aqua in pede ville Sallionis quasi derelicto, se aliunde deviaverit et novos alveos habere incepit, in tantum quod nedum unus pons sed etiam duo vel plures debent fieri necessario super diversa brachia aque Rodani, ut per ipsos pontes facilis aditus possit haberi apud ipsam villam Sallionis tam per mercatores quam per alias personas, prout hactenus consuetum est; et nobis constet quod dicti pontes super dictam aquam fieri debent de novo propter[1].... dicte aque, prout die presenti fide oculata comperimus et pluribus aliis probis hominibus dicte castellanie; et fuit jam dudum concordatum inter communitates Sallionis, Fulliaci, Leytroni et de Ridda quod si contingeret supra dictam aquam Rodani ibi prope dictam villam Sallionis pontes fieri alibi quam in loco ubi erat dictus pons antiquus, quod ipsi pontes fierent et fieri debent ad communes expensas totius castellanie Sallionis, prout nobis constat per litteram hic annexam; et ipse communitates die presenti coram nobis comparuerunt per suos procuratores, quibus dictam litteram legimus et exposuimus lingua romana, et etiam electionem ut aut

[1] En blanc.

facerent falsos pontes, ut ita loquuntur, aut certum locum eligerent in quo dicti pontes firmari et firmiter fieri possent, prout decet, communibus expensis dicte castellanie. Et ipsi procuratores et tractores potius elegerunt et voluerunt facere dictos pontes bonos et firmos, quam dictos falsos pontes fieri. Idcirco cum dicti pontes cum celeritate fieri debeant, tibi precipiendo mandamus quod, vocatis tecum duobus carpentatoribus expertis in tali casu et duobus probis hominibus de qualibet communitate dicte castellanie, scilicet de Sallione, de Fullye, de Leytron et de Ridda, ab eisdem juramentum accipias, ut ipsi fideliter existiment et percurrant loca in quibus dicti pontes super dictam aquam fieri poterunt, et cum ipsa loca exquisierint, ipsos pontes fieri facias in eisdem locis super dictam aquam et ipsas communitates in expensas ipsorum pontium persolvendas districte compellas, observando tenorem littere hic annexe, taliter in predictis procedendo quod, ob tui defectum, periculum ipsi dno comiti et terre sue eminere non possit, nec etiam contingere, et ista facias adimpleri infra decem dies a data presentium computandos. Datum in assisiis Sallionis, XVIII die mensis aprilis, anno Dni M.CCC.XXV.

1521

Prédication à Anniviers contre des hérétiques de Milan.

Anniviers, 1325, 6 juin.

Archives de Valère, Registrum Jo. Chaphardi.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°CCC°XXV°, indicione VIII, in festo de Corpore Christi, in ecclesia de Aniuesio, frater Petrus de Aniuesio, ordinis Fratrum Predicatorum conuentus Lausan., predicauit publice coram parrochianis ibidem

existentibus in die dicti festi post offertorium contra Galeatium, Marcum, Luchinum de Mediolano[1], prauos hereticos et manifestos, et contra omnes alios aduitores, sequentes et valitores secundum quod in quodam transcripto plenius continetur; inicium cuius transcripti tale est : Vniuersis in Dei Filio karissimis prioribus, prouincialibus et conuentualibus seu eorum loca tenentibus, ordinis Fratrum Predicatorum, frater Barnabas Fratrum eiusdem ordinis, etc. Ad hoc fuerunt testes vocati dnus Willermus curatus eiusdem loci, dnus Johannes de Paterniaco, dnus Humbertus eiusdem loci sacerdotes et Johannes dnus de Aniuesio, et ego Johannes Chaphardi de Novilla clericus, not., etc.

1522

Les receveurs du pontonnage du pont de Riddes sont exempts de payer les tailles ordinaires imposées par les communes de Chamoson et d'Ardon.

Chamoson, 1325, 9 juin.

An. Jos. de Rivaz, XII, 763, ex arch. communitatis Chamoson.

In nomine Dni, Amen. Anno Dni M.CCC.XXV, indictione VIII, V idus junii, in viridario subtus domum Johannis lo Toux, apud Chamoson, in presentia mei notarii et testium subscriptorum propter hoc specialiter constituti Aymo Chestra, Jacobus de la Comba, Conodus d'Ardon, Willermus Montellier, procuratores communitatum de Chamoson et de Ardun, ex una parte, et Jaquemetus de Aviso et Perrodus Chaffardi, pontonarii pontis de Rida, ex altera. Cum lis et discordia verteretur inter partes predictas super hoc videlicet quod dicti procuratores petebant et dicebant quod dicti pontonarii debebant et tenebantur contribuere generaliter cum dictis communitatibus in omnibus talliis, exenniis et exactionibus dictarum

[1] Galeaz, Marc et Luchino Visconti?



communitatum, nomine et ratione terrarum quas possident in ponte de Rida; dictis vero pontonariis in contrarium asserentibus et dicentibus pluribus rationibus se ad predicta non teneri, et specialiter tanquam liberi nunquam consuevisse contribuere cum dictis communitatibus, nisi in facto ecclesie. Tandem post plures altercationes habitas de predicta discordia, amicis communibus intervenientibus, ad bonam pacem, finem, quittationem et transactionem perpetue valituram in hunc modum devenerunt, videlicet quod dicti procuratores, de laude et consensu plurium nobilium et non nobilium dictarum communitatum ibidem existentium, considerata utilitate dictarum communitatum, eo quod petitiones suas plenarie probare non valebant, solverunt et quittaverunt perpetue predictis communitatibus predictos pontonarios et eorum heredes ab omnibus talliis, exenniis ac aliis exactionibus quas eis possent petere in futurum, tam nomine personarum quam terrarum ibidem ad presens tenentium, excepta cavalcata dni episcopi et auxilium de persenis quod vulgariter dicitur fourest et collatum (?) ecclesie et exenniis quas ceteri nobiles dictorum locorum contribuunt, et hoc pro VI fischelinis siliginis annui redditus, una cum tribus fichel. in quibus annualim tenebantur dictis communitatibus ratione sufferte terrarum quas ad presens tenent apud pontem, in quibus terris petebant dicte communitates habere suum pascagium. Et sic debent dicti pontonarii IX fichel. siliginis redditus in festo B. Martini, videlicet apud Chamoson VI et apud Ardun III, quos promiserunt solvere dictis communitatibus predictis.

Item actum fuit inter partes predictas quod si bestie dictarum communitatum irruerent vel invaderent in pratis dictorum pontonariorum, quod dicti pontonarii non debent nec tenentur dictas bestias inclaudere sed eas ducere extra prata absque verberatione vel redemptione aliqua pastorum vel animalium. Et si forte pastores dictarum communitatum frange-

rent sepes sive clausuras dictorum pratorum vi vel sponte, ita quod bestie intrarent ut pascerent prata predicta, tunc dicti pontonarii possent dictas bestias inclaudere et dampnum facere emendare.

Confines autem dictorum pratorum sunt huiusmodi : a strata publica et pratum Johannis Fichilini inferius usque ad Rodanum, et a prato Johannis de Glatignye a parte orientali usque ad antiquum mugnerissy de Azenchi[1] a parte occidentali.

In hac autem pace et concordia nichil includitur nec excluditur quantum ad prata maladerie.

Item actum fuit (quod si dicti pontonarii) vel eorum heredes in aliquo se crescerent extra dictos terminos in pascuis dictarum communitatum, quod ipsi teneantur contribuere de cetero secundum quantitatem terrarum quas possederint.

Quam vero pacem et concordiam promiserunt dicte partes, etc.

Et ex hiis preceptum fuit michi notario, etc.

Ad hec fuerunt testes vocati et rogati, scilicet dnus Johannes vicarius de Rida, Perronetus de Rupe Augustensis, Aymo de Crues, Johannes Donzel, Perrodus Lachar, Johannes Toux, Perretus de Furno, Jacobus Lagnis de Chamosono, et ego Jaquetus de Aragnon domicellus, Sedun. diocesis, auctoritate imperiali publicus notarius, etc.

Ad maiorem autem firmitatem omnium predictorum nos Franciscus vicednus de Chamoson et Goncheretus de Curia maiori tenens locum maioris de Chamoson sigilla nostra huic publico instrumento duximus apponendum. Datum ut supra.

[1] Azenchi, la Lozenche.

1523

Antoine de Blandrate, seigneur de Naters, promet d'assurer 12 L. de rente en faveur de la chapelle de Tous-les-Saints fondée par son frère Thomas, chantre de Sion.

Sion, 1325, 11 juin.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XIII, 108, ex arch. Valer. — De Gingins, *Documents pour servir à l'histoire des Blandrate*, pag. 52. — Furrer, III, 107.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod ego Anthonius, filius quondam Johannis comitis de Narres, miles, promitto bona fide loco juramenti corporaliter prestiti pro me et meis heredibus ponere et assignare bene et idonee ven. viro dno Thome cantori ecclesie Sedun., nomine et ad opus capelle quam ipse extruxit seu edificavit aut edificare intendit in Plano Campo ante castrum Valerie in honore Omnium Sanctorum, duodecim lb. Maur. redditus annui super bona et idonea positione et assignatione de bonis et rebus que olim fuerunt de hereditate predicti dni comitis seu patris ipsius dni cantoris. Et si contingeret ipsum dnum cantorem decedere antequam dicte duodecim lb. redditus annui essent posite, assignate seu assectate bene et idonee, ut supra dictum est, nichilominus teneor et promitto pro me et meis heredibus sive assignatis fide mea prefata corporalis loco juramenti eas ponere, assignare et assectare bene et idonee ad opus capelle memorate et servitoris seu servitorum ipsius capelle, qui pro tempore fuerit vel fuerint, super bona et idonea positione et assignatione de bonis et rebus patrimonialibus seu hereditariis predicti dni cantoris seu patris sui predicti, ita quod ille duodecim lb. annui redditus, ad opus quo supra, per servitorem seu servitores dicte capelle haberi et percipi possint et recuperari pacifice et quiete sine molestia et impedimento qualicumque.



Hec omnia predicta promitto bona fide mea pro me et heredibus sive assignatis meis attendere firmiter et complere, prout superius exprimuntur. Inde rogavi cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: dnus Johannes Boneti canonicus Sedun., Willermus nepos quondam Girardi de la Condemina de Bramosio, Perrodus Wichardi de Sancto Mauricio, Willermus de Platea de Vespia et Willermus de Ayent clericus, ciuis Sedun., qui juratus super hoc hanc cartam levavit, vice capituli Sedun. cancellariam tenentis. Cui si quis, etc. Actum Seduni, tertio idus junii, anno Dni M.CCC.XX quinto. Quam cartam sic postmodum in registris repertam ego Ardicinus de Brusatis canonicus Sedun., juratus super hoc, scripsi in castro Valerie capituli memorati, XII kl. aprilis, anno Dni M.CCC.LXX nono, imperio vacante, Eduardo de Sabaudia episcopante.

1524

Extrait du testament de Jean Herpos, chanoine de Sion.

Sion, 1325, 21 juillet.

Archives de Valère, V, 109.

* Ego Johannes Herpos canonicus Sedun., inter ceteras ordinaciones in meo testamento contentas, continentur hee que sequuntur: Item ordino quod vnus seruitor sacerdos adiungatur seruitori Sancti Francisci in ecclesia inferiori, qui ter in ebdomada celebrare teneatur missam et in chorō dicte ecclesie in horis canonicis deseruire, et ita per capitulum si sibi placet ordinetur. Alias vnum altare alibi construatur per exequutores meos ad opus sacerdotis predicti. Cui altari ad opus dicti seruitoris lego decem lb. Maur. redditus, item domum meam apud Sedunum. Item lego sexaginta sol. annuatim pro vno refectorio faciendo in die anniuersarii mei canonicis, ser-

uitoribus, presbiteris et clericis qui interfuerint; quos assigno percipiendos super septuaginta sol. in quibus michi tenetur dnus episcopus Sedun. super pedagio ballarum nouarum, prout in litteris sigillatis sigillo dni Bonifacii quondam episcopi Sedun. plenius continetur. Item lego vnam donam faciendam annuatim apud Sedunum per rectorem supradictum, quam assigno percipiendam super quatuor modiis siliginis cum dimidio et super vno modio cum dimidio ordei, etc. Item ordino duos seruitores clericos in ecclesia beate Marie Virg. inferiori Sedun., qui horis canonicis seruire teneantur, et illis lego quinquaginta sol. Maur. redditus. Dictos autem seruitores ordino Jacobum de Chouson clericum et Ansermum filium Martini Fabri de Leuca clericum, et in dicto altari seruitorem siue rectorem eligo dnum Johannem Muzo presbiterum. Volo autem quod post decessum predictorum collatio predictorum [beneficiorum spectet ad capitulum Sedun. Testes : Petrus Falconis canonicus Sedun., dnus Johannes Muzo presbiter, Petrus de Contegio domicellus, etc., et magister Petrus de Canali phisicus, curatus de Herens, qui juratus, etc. Actum Seduni, XII kl. augusti, anno Dni millesimo CCC°XX°V°, imperio vacante, Aymone episcopante.

Par un acte postérieur (actum Seduni, III kl. maii, anno Dni M°CCC°XX°VI°) le testateur confirma la fondation de l'autel susdit. Parmi les témoins « dnus Johannes, curatus Sedun. »

1525

Testament d'Antoine Huboldi, chanoine de Sion.

Sion, 1325, 20 août.

Archives de Valère, F, 86.

* Ego Anthonius Huboldi canonicus Sedun., eger corpore,



meum testamentum ordino in hunc modum: Lego capitulo Sedun. quadraginta sol. Maur. annui redditus. Item lego eidem capitulo viginti sol. annui redditus pro anniuersario meo. Item lego Willelmo alumpno meo, nato quondam Agnesole de Magi morantis Seduni, domum meam, etc. In hiis autem legatis dicto Willelmodo substituo in heredem Mermetum de Montez domicellum nepotem meum, si idem Willelmodus decesserit absque herede legitimo. Item lego prefato capitulo Sedun. domum meam, que dicitur domus donni Ançonis, cum domuncula ante sita supra Sedunam et cum platea retro sita, que platea est inter ipsam domum et grangiam meam; quam grangiam lego dno Ebalo fratri et concanonico meo Sedun. Item heredes meos vniuersales in bonis meis paternis instituo, videlicet dnum Ebalum fratrem meum predictum pro tercia parte, Cristinam sororem meam et eius filios in alia tercia parte, et Anthonium filium quondam Perroneti Hubodi quondam fratris mei in alia tercia parte. Item instituo michi heredes in bonis meis maternis Cristinam sororem meam predictam et eius filios masculos et Ysabellem neptem meam innuptam. Item ordino exequutores mei testamenti dictum dnum Ebalum fratrem meum, Johannem de Drona, canonicos Sedun., et Jacodum de Olono clericum, consanguineum meum. Testes: dni Johannes Boneti, Nicholaus de Clarens, sacerdotes, Girardus de Bossonens, canonici Sedun., Guillerminus de Columberio clericus, Mermetus de Montez domicellus, Jacodus alumpnus quondam dni Jacobi curati de Heroens, et Johannodus de Auboreynges clericus, qui etc. Actum Seduni, in domo mea Valerie, XIII kl. septembris, anno Dni M°.CCC°XX° quinto, imperio vacante, Aymone episcopante.

1526

Godefroid de Nons, chevalier, confirme l'acte par lequel Perrod et Christin Trot ont engagé un pré à leur oncle Jean Richo.

Sion, 1325, 24 septembre.

Archives de Valère.

* Nos Gothefredus de Nons miles notum facimus quod cum Perrodus et Cristinus fratres, filii Aymoneti lo Trot dou Coster de Chaler, homines nostri, tradiderint et inuadiauerint dno Johanni Richo sacerdoti, auunculo eorum, quemdam pratum situm en Lortet de Chaler, juxta stratam publicam, pro centum et quinque sol. Maur. et tribus sol. nobis annuatim durante termino infrascripto persoluendis pro vsagiis nostris de dicto prato per certum tempus, scilicet donec eidem dno Johanni esset integre satisfactum, nos concedimus eidem Johanni quod dictum pratum teneat et recolligat per decem annos proximos usque ad decem recollecturas et non vltra, faciendo nobis annuatim tres sol. memoratos. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Seduni, VIII kl. octobris, anno Dni M°.CCC°XX quinto.

1527

L'évêque de Sion assigne sur les tailles de Binn un cens de 4 L. pour les anniversaires de ses prédécesseurs Boniface de Challant et Aymon de Châtillon.

Sion, 1325, 6 novembre.

Liber instrumentorum de Seduno, etc., f. 111 verso.

* Aymo diuina et sedis apostolice gracia Sedun. episcopus

fidelibus nostris Willermo de Platea, gestori negociorum nostrorum a Monte Dei superius et mistrali hominum nostrorum de Bun, et aliis mistralibus et officiariis qui pro tempore fuerint in officiis predictis suam gratiam cum salute. Vobis mandamus quathenus super taliis, seruiciis et vsagiis nostris in valle et parrochia de Bun soluatis nunc ista vice in manu mistralis capituli Sedun. sexaginta sol. Maur., et ex nunc in antea anno quolibet super eisdem taliis et vsagiis tradatis eidem mistrali quatuor lb. Maur. ad opus anniuersarii dni Bonifacii et dni Aymonis predecessorum nostrorum, quod anniuersarium instituit idem dnus Aymo in vltima voluntate sua pro ipso et dicto dno Bonifacio vsque ad dictam summam quatuor lb. Et tu mistralis de Bun tradas dictas quatuor lb. nullo alio mandato expectato, cum dictus dnus Aymo dictas quatuor lb. emerit olim a Mazzone de Sasso domicello et ipsas legauerit dicto capitulo pro anniuersario faciendo. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Seduni, octaua idus nouembris, anno Dni M°.CCC°.XXV°.

1528

Marie de Brabant, comtesse de Savoie, mande à son châtelain de Saint-Maurice de recouvrer les theyses des maisons selon l'usage antérieur.

Evian, 1325, 29 novembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 767, archives de la ville de Saint-Maurice.

Marie de Brebant contesse de Savoie a nostre chastellain de Sant Moris salut et bone amour. Nous ont mostre lonuversite de nostres borjois de Sant Moris que tu recouvres toises de les moisons en les queles lon non habite ne fait fue. Pour quoy nous te mandons que tu enqueres et saches commant ou temps

de nostre chier seigniour le conte que Dieus assollie, lon les recouvroit et commant les autre chastellain dou temps monseignor en ont compte. Se te mandons que tu les levoes et recouroes en celle maniere et en celle meme maniere levie le trezens de les dites moisons que lon avoit acutume ou temps de nostre chier seignor. Donne Evyens, le XXIX jour de novembre, lans de grace MCCC.XXV.

Sous le petit sceau de cette princesse.

1529

Le chapitre de Sion autorise le mariage de la fille d'un de ses hommes liges et taillables.

Valère, 1325, 13 décembre.

Archives de Valère.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod cum Ansermus de Verneiz de Magi peteret cum magna instancia in uxorem ad opus Willermodi filii sui a venerabili capitulo Sedun. Anthoniam filiam quondam Petri Chinal de Magi, hominis ligii et talliabilis dicti capituli et cuius bona sunt de feudo ligio homagii ligii capituli memorati, dictum capitulum post multas preces et magnam instanciam uoluit et concessit quod dictus Willermodus haberet dictam Anthoniam in uxorem suam legitimam. Verum quia dictus Willermodus non poterat facere homagium dicto capitulo, prout dictum feudum et hospicium seu albergamentum dicte Anthonie et Petri Chinal antedicti patris eius requirebat, pro eo quod erat, ut dictus Ansermodus asserebat, homo ligius nobilis Perrodi de Turre dni Castellionis in Ualesio, idem Anselmus conuenit, pepigit et promisit ac iurauit super sancta Dei Euangelia, ipsis sacrosanctis

Euuangeliis manutactis, pro se et heredibus siue assignatis suis et sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum et bonorum ipsius Willermodi filii sui predicti, ut melius et fortius potuit, dare et soluere dicto capitulo uel mistrali dicti capituli ad opus dicti capituli quolibet anno pacifice et quiete duodecim sol. Maur. in dedicatione Sedun. durante dicta sofferta, et hoc pro marciamento et sofferta fidelitatis predicte quam dictus Willermodus facere dicto capitulo tenebatur ratione feudi memorati. Tenetur nichilominus dictus Willermodus omnia onera dicti feudi facere, soluere, subire et etiam sustinere, prout potest melius intelligi et dici. Promisit etiam dictus Ansermus modo et forma quibus supra esse fidelis et obediens dicto capitulo durante dicta sofferta et utilitatem dicti capituli procurare pro posse suo et bona dicti albergamenti bene et fideliter conseruare et excolere ad opus dictorum futurorum coniugum, et facere et curare quod dictus Willermodus, cum ad etatem legitimam venerit, dictum iuramentum prestabit et feudum suum manifestabit capitulo predicto et bona dicte vxoris sue future ad requisitionem dicti capituli uel deputati ab eodem, et quod fidelitatem debitam reddet dicto capitulo quam cito poterit per se uel per vnum de filiis suis quos de uxore sua futura procreabit, cum ad etatem venerit, quod ipsam fidelitatem facere poterit uel debebit, et dicta fidelitate facta ad solutionem dictorum XII sol. minime teneatur pro sofferta et marciamento predictis. Inde rogauerunt dicti contrahentes cartam fieri et testes apponi qui sic vocantur: dnus Columbus curatus de Yllies, Petrus de la Plassy, Brunetus Ledefor, Petrus de Randogny et dnus Mauricius curatus de Grimisua, qui juratus super hoc hanc cartam leuauit, uice capituli Sedun. cancellariam tenentis, uice cuius ego Willermus de Ayent clericus juratus super hoc eam scripsi. Cui si quis, etc. Actum in castro Valerie, idus decembris, anno Dni M°CCC°XX quinto, imperio vacante, Aymone episcopante.

1530

Reconnaissance en faveur de Jean de Venthône, donzel.

Venthône, 1326 (1325), 27 décembre.

Archives de Valère, Registrum Joh. Dauz.

Anno Dni M°CCC°XX°VI°, VI kl. januarii, in villa de Venthona, ante grangiam quondam Rodulphi de Venthona domicelli, Aymonodus et Perrusodus filii quondam Perrimo confessi sunt tenere in planum feodum a Johanne filio quondam Johannis de Venthona domicelli vnam peciam campi sitam en Boudes, et debent III d. ser. et VI d. placiti.

1531

Le chapitre de Sion établit des procureurs pour poursuivre le procès contre Jean d'Anniviers.

Valère, 1326, 8 janvier.

Archives de Valère.

* Nos officialis curie Sedun. notum facimus quod, sicut nobis constat per relationem Girardi de Dallon notarii publici, jurati dicte curie, in eiusdem jurati presencia constitutis ven. dno Girardo decano Valerie, Johanne decano, Ebalo sacrista, Thoma cantore ecclesie Sedun. ac Petro Falconis, Petro Escoht, Nicholao de Clareyns, Petro de Venthona, Albertino de Modoecia, canonicis Sedun., predicti canonici constituerunt suos procuratores seu syndicos dnos Ebalum Hubodi, Franciscum de Yporigia, Dyonisium de Thoura, Johannem de Drona



et Johannem Boneti, concanonicos suos, ad agendum in omnibus causis suis et specialiter in causa quam dicti capitulum habent seu habere intendunt contra virum nobilem Johannem dnum de Aniuesio coram dno preposito Noui Castri, dyocesis Lausan. judice, vt dicitur, a sede apostolica delegato. Dantes, etc. Testes : dnus Willermus de Clareyns curatus ecclesie de Orsonneyns, dyocesis Lausan., dnus Willermus Pescheroz sacerdos, rector altaris Sancte Crucis in ecclesia Sedun. Sub sigillo dicte curie. Datum in choro ecclesie Valerie Sedun., die mercuri post festum Epyphanie Dni, anno Dni M°.CCC°XX° sexto, sumpto in festo natalis Dni.

1532

Réception de Perrod de Sala comme citoyen de Sion.

Sion, 1326, 28 janvier.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°CCC°XXVI°, inditione IX^a^, V kl. februarii, in ciuitate Sedun., ante domum Martini Luyeis ciuis Sedun., in presencia mei notarii, etc., constituti Jacobus de Gissine, magister Jo. cirurgicus et Willermus de Nas, ciues Sedun., olim sindici et procuratores communitatis Sedun., ex vna parte, et Perrodus de Sala de Aniuesio, ex altera; predicti sindici ad requisitionem dicti Perrodi confessi fuerunt et publice recognouerunt ac recordati fuerunt se in presencia multorum proborum hominum ciuium Sedun. recepisse circa carnispriuium nuper preteritum dictum Perrodum comparticipem et consortem ciuium dicte ciuitatis Sedun., ad vtendum in pascuis communibus communitatis dicte ciuitatis et recipiendum commoda communia in omnibus communitatibus et pascuis dicte

ciuitatis, sicut ciues singuli dicti loci recipiunt et recipere et habere consueuerunt, et ad ponendum et contribuendum cum dictis ciuibus in omnibus missionibus ipsorum et dicte communitatis, secundum quod ipsi Perrodo per probos homines seu sindicos dicte communitatis fuerit ordinatum, statutum et taxatum, saluo tamen in predictis omni dominio, jure et honore nobilis viri Jo. dni de Aniuesio, dni dicti Perrodi, et omnium et singulorum heredum suorum. Item recordatum est quod dictus Perrodus potest recolligere in valle de Aniuesio sua bona per mensem aut duos aut tres aut quatuor menses anni cuiuslibet sine preiudicio dicte communitatis, et si ipse per annum uel duos annos moraretur alicubi extra ciuitatem uel districtum seu dominium dicte ciuitatis, deficiendo in predictis et non vtendo et contribuendo cum dictis ciuibus in communitatibus eorum predictis, et postmodum vellet redire ad locum Sedun. et vti pascuis predictis et contribuere, ut supra, cum ipsis ciuibus, dictus Perrodus tenetur et promisit supplere dictum defectum ad misericordiam sindicorum uel procuratorum aut proborum hominum dicte ciuitatis; nec debet dictus Perrodus alienas bestias vna cum suis propriis recipere nec pascere sub suo nomine in pascuis predictis. Item debet dictus Perrodus et promisit omnia commoda dicte ciuitatis pro viribus procurare et incommoda eciam euitare pro posse, et si dampna que sciret dicte communitati turbare nequiret, ea reuelare debet, tenetur et promisit ciuibus uel procuratoribus predictis, saluo contra prefatum dnum suum et suos heredes et saluo omni jure, dominio et honore eorumdem. Et hec omnia et singula predicta promisit bona fide dictus Perrodus, secundum quod premissum est, bona fide sua attendere et seruare et non contra facere, etc. Testes: Anthonius filius quondam Perroneti Hubodi domicellus, Perrodus filius Jo. de Grimisuat et ego Jo. Munmeliani, etc.

1533

Vente faite par Guillaume de Morestel à Berthod Decimator.

Sion, 1326, 22 février.

Archives de la ville de Sion, Copia litterarum de Lens, etc., f. xlvii.

* Ego Vullielmus de Morestel domicellus, laudatione Jacobe uxoris mee, Johannis et Petri filiorum meorum, vendidi pro triginta sol. Maur. michi solutis et pro duobus den. seruicii et quatuor den. placiti Berthodo Decimatoris duas pecias terre sitas apud Chermignon desotz. Datum Seduni, VIII kl. marcii, anno Dni M.CCC.XXVI, imperio vacante, Aymone episcopante.

1534

Concession à cens faite par le curé de Viège.

Viège, 1326, 26 février.

Archives de Valère, Cartul. eccl. de Vespia, p. 60, N° liii.

* Philippus Rowery curatus de Vespia accensat ad vitam suam Johanni dicto Aspere de Staldun quamdam decimam ecclesie de Vespia in territorio de Grenken ubi dicitur en Berguin et quoddam pratum in eodem territorio ac denarios debitos pro anniuersariis defunctorum pro XXVII fissilinis siliginis et XXI sol. annuatim, saluo jure ecclesie sue et capelle de Sausa. Datum apud Vespiam, mense februarii, die mercurii post festum beati Mathie, anno Dni M.CCC.XXVI.

1535

Accord entre le chapitre de Sion et Jean, seigneur d'Anniviers, au sujet de la chancellerie de ce lieu.

Sion, 1326, 6 mars.

Archives de Valère, D, 5.

Nos Aymo Dei et apostolice Sedis gracia episcopus Sedun. et Bartholomeus humilis abbas monasterii Sancti Mauricii Agan., Sedun. dyocesis, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod cum discordia seu questio diu ventilata fuerit inter ven. capitulum Sedun., ex vna parte, et nobilem virum Johannem dnum de Anniuesio, dicte dyocesis, ex altera, super eo potissime quod ex parte dicti capituli dicebatur et proponebatur quod cum ad ipsum capitulum uel alium per ipsum capitulum deputandum pertineret in solidum cancellaria et jus cancellarie ac emolumentum ipsius in toto Valesio et maxime in parrochia Aniuesii, ita quod alii nemini persone liceret sigillare quouis sigillo aliquod instrumentum, cartam, chartram uel litteram super contractu perpetuo uel testamento celebrato uel celebrando in partibus memoratis et specialiter in parrochia supradicta, inducendo ad fundandam intencionem suam multiplices raciones. Ex parte uero dicti nobilis Johannis dni de Aniuesio dicebatur et proponebatur quod quamuis scripturas factas in dicta parrochia Aniuesii supra contractibus ibidem perpetuis et etiam testamentis suo sigillo fecerat sigillari, hoc tamen faciebat sine alieni juris iniuria, asserendo sibi licere, contradicione dicti capituli non obstante, et ad corroboracionem assercionis sue raciones multiplices pretendendo. Item super quibusdam cessacionibus a diuinis factis, interpositis seu obseruatis in parrochia de Aniuesio et quibusdam proces-



sibus factis propter causas predictas. Tandem dicte partes, videlicet capitulum Sedun. more solito propter infra scripta specialiter vocatum et eciam congregatum, videlicet dnus Girardus decanus Valerie, dnus Johannes decanus Sedun., dnus Hebalus sacrista, dnus Hebalus Hubondi, dnus Franciscus de Yporrigia, dnus Nicholaus de Clarens, Petrus de Venthona, Johannes de Drona, Albertinus, dnus Johannes Boneti, dnus Petrus Falconis et dnus Petrus Scotti, canonici Sedun., more solito vocati et congregati, nomine suo et nomine tocius capituli Sedun., ex vna parte, et dictus nobilis Johannes dnus Aniuesii, nomine suo et heredum suorum ac nomine vniuersitatis Aniuesii, ex altera, super ipsis questionibus inter ipsas partes uertentibus et que olim orte fuerunt aut oriri possent ex causis superius memoratis et omnibus accessoriis emergentibus et dependentibus ex eisdem, scientes, prudentes et spontanei, nobis infrascriptis episcopo et abbate mediantibus, longa deliberacione prehabita, ad transaccionem, pacem et concordiam firmam, perpetuam et validam deuenerunt, prout inferius continetur. In primis dicte partes, nominibus quibus supra, mutuo et inuicem omnem rancorem sibi specialiter remiserunt et omnibus aliis personis que alterutri ipsarum partium prestiterant auxilium, consilium et fauorem. Item actum fuit quod omnia instrumenta et littere seu documenta cuiuscumque tenoris et omnia contenta in ipsis olim facta et facte super composicionibus seu transaccionibus inter ipsas partes super discordiis memoratis, accessoriis, emergentibus et dependentibus ex eisdem, sub quacunque expressione uerborum et per quascunque personas maxime bone memorie dnum Ay. quondam episcopum Sedun. et magistrum Jacobum de Menthone decanum de Auentica, jurisperitum, sunt cassa, casse, irrita et irrite et penitus nullius valoris, ita quod ipsa instrumenta, littere uel documenta in judicio uel extra nullam obtineant firmitatem, tali modo quod, ipsis pro non factis,

habitis uel habendis, presens transaccio firma et valida permaneat perpetuo. Item quod omnes processus vbicunque ventilentur et coram quibuscunque agitentur contra dictum capitulum seu singulares personas ipsius capituli et curatum Aniuesii per ipsum Johannem dnum Aniuesii uel vniuersitatem Aniuesii uel alium ipsorum nomine, seu per ipsum capitulum uel per singulares personas ipsius capituli contra ipsum nobilem Johannem dnum Aniuesii uel vniuersitatem predictam, nullius penitus sint momenti, et ipsis causis, processibus et prosecucioni ipsorum dicte partes renunciauerunt expresse, renunciantes eciam omnibus litteris, rescriptis apostolicis et aliis quibuscunque super premissis impetratis uel eciam impetrandis; reuocatis eciam per ipsas premissas partes omnibus procuratoriis et procuratoribus a qualibet dictarum parcium constitutis super premissis omnibus et quolibet premissorum. Item predicte partes vna alteri vnanimiter et concorditer omnia dampna et iniurias, expensas ipsarum quecunque et quascunque sustinuerint et quibuscunque modis pro questionibus seu discordiis superius memoratis, sibi adinuicem quittauerunt et penitus remiserunt. Remiseruntque predicti dni canonici pro tempore preterito omnia dampna et quicquid possent petere dicta occasione pro tempore preterito, quo dictus dnus de Aniuesio vsus fuit sigillo suo in dicta parrochia de Aniuesio. Item aduertentes dicte partes, omnibus matura deliberacione pensatis, quod ex permutacionibus infra scriptis possit esse in futurum bona tranquillitas, pax et concordia inter ipsas, idcirco predicti dni canonici, nominibus quibus supra, longa deliberacione prehabita ex causa transaccionis presentis et pro infrascriptis, eidem nobili Johanni dno de Aniuesio, presenti et recipienti pro se et heredibus suis, ex causa et titulo permutacionis dederunt, cesserunt et concesserunt cancellariam jam dicte parrochie de Aniuesio cum omnibus juribus et appertinenciis ipsius. Qua siquidem can-

cellaria inter homines dicte parrochie super contractibus et testamentis ipsorum et super possessionibus et rebus existentibus infra dictam parrochiam vti valeat libere, prout sibi videbitur expedire; ita tamen quod inter homines non existentes de dicta parrochia uel super rebus et possessionibus existentibus extra dictam parrochiam idem Johannes nobilis uel eius heredes aliquas litteras uel instrumenta non sigillet seu sigillo suo extra dictam parrochiam quomodolibet non utatur super contractibus perpetuis seu testamentis, que principaliter suo nomine non fierent, et super negociis que ipsum Johannem nobilem principaliter non tangerent, nec super predictis procuret ipse Johannes nobilis uel eius heredes per aliquos notarios aliqua fieri instrumenta seu alia quecunque publica documenta. Acto et conuento expresse quod dictus Johannes dnus de Aniuesio, heredesque sui dictam cancellariam infra parrochiam de Aniuesio teneant et recognoscant in feudum a nobis episcopo predicto et successoribus nostris episcopis Sedun., et quod dicta cancellaria infra parrochiam predictam sit et remaneat de feudo episcopi et ecclesie Sedun. Versa vice, ut presens transaccio per viam permutacionis plenum sorciatur effectum, idem Johannes nobilis, sciens, prudens et spontaneus, pro se et heredibus suis, ex causa dicte permutacionis dedit, cessit et concessit prenominatis dnis canonicis, presentibus et recipientibus nominibus quibus supra, quinque modios frumenti pulcri et receptibilis ad mensuram Sedun. annui perpetui redditus seu census, uel loco dicti frumenti tantam quantitatem siliginis ad eandem mensuram, soluendum annis singulis de cetero futuris perpetuis temporibus a festo beati Martini hyemalis vsque ad festum natalis Dni subsequens; que dicta quantitas siliginis per ipsum soluenda, secundum legitimam et racionabilem extimacionem obseruatam Seduni, valeat quinque modios pulcri frumenti et receptibilis ad mensuram predictam; que solucio siliginis siue frumenti

fiat mistrali quem pro tempore habebit capitulum supradictum, et hoc in ciuitate Sedun. Quem siquidem annuum perpetuum redditum frumenti seu siliginis idem nobilis Johannes dnus de Aniuesio promisit dictis dnis canonicis, solempni stipulacione interueniente, assignare et assettare eidem capitulo uel mandato suo competenter, sufficienter et bene infra annum a die presentis transaccionis, ad habendum, percipiendum et gaudiendum per dictum capitulum et in vsus suos conuertendum de cetero annis singulis, omni impedimento cessante. Acto et in pactum expresse deducto quod predicti dni canonici seu capitulum Sedun. dictum censum seu redditum frumenti uel siliginis, eisdem assignandum et soluendum pro dicta cancellaria parrochie de Aniuesio, teneant et recognoscant in feudum a nobis episcopo supradicto et successoribus nostris episcopis Sedun. Acto inter ipsas partes quod si super dicta assignacione seu assettacione ex quacunque causa seu quocunque modo questio oriretur inter partes jam dictas, ad nos jam dictos episcopum et abbatem pertineat, post requisicionem alterutrius partium, questionem ipsam infra certum tempus declarare et, prout melius fieri poterit, terminare. Quod si dicta assignacio uel assettacio per sepedictum nobilem Johannem dnum de Aniuesio infra tempus superius declaratum facta non fuerit, ut superius continetur, promisit idem nobilis Johannes pro se et heredibus suis ipsis dnis canonicis, recipientibus nominibus et sub ea stipulacione quibus supra, et sub obligacione omnium bonorum suorum et specialiter dicte cancellarie dicte parrochie Aniuesii juris, pertinenciarum, prouentuum, exituum et emolumentorum ipsius soluere annis singulis Seduni mistrali dicti capituli, nomine ipsius, suprascriptam quantitatem frumenti uel siliginis tempore superius declarato. Quem censum seu redditum frumenti uel siliginis ipse nobilis ipsum capitulum habere et percipere libere,

pacifice et quiete, et eundem redditum uel censum frumenti uel siliginis eidem capitulo perpetue manutenere et garentire ab omnibus et contra omnes, in judicio et extra, suis propriis sumptibus et expensis promisit. Hanc autem concordiam dicte partes promiserunt, etc. Renunciauerunt, etc. Predictam autem transaccionem Willermodus de Sala et Johannes Voucherii de Aniuesio, syndici vniuersitatis de Aniuesio, nomine ipsius vniuersitatis, laudauerunt, etc. Ad omnia autem et singula premissa fuerunt testes vocati et rogati vir religiosus dnus Thomas de Bersatoribus sacrista monasterii Sancti Mauricii Agan., dnus Petrus de Liddes elemosinarius et canonicus dicti monasterii, dnus Philippus curatus de Vespia, dnus Franciscus de Cagnyo jurisperitus, dnus Willelmus de Sancto Mauricio curatus Sancti Germani et dnus Cono de Castello miles. Actum Seduni, in curia episcopali, sexta die mensis marcii, indicione nona, anno Dni millesimo CCC XX° sexto. Nos uero prefatus Aymo Dei et apostolice sedis gracia episcopus Sedun. dictarum partium precibus inclinati omnia et singula suprascripta laudamus, approbamus et eciam confirmamus pro nobis et successoribus nostris et nomine ecclesie Sedun., et insuper in premissis auctoritatem nostram interposuimus pariter et decretum, et ad preces ipsarum partium presentibus litteris sigillum nostrum apponi duximus in robur et testimonium premissorum. Et nos dictus Bartholomeus abbas Sancti Mauricii Agan. sigillum nostrum, de mandato reuerendi patris dicti dni episcopi et ad requisicionem ipsarum partium, presentibus litteris apponi fecimus post sigillum dni episcopi suprascripti. Datum ut supra.

Sceau de l'évêque.



1536

Jean de Briens, donzel, donne en fief une vigne et un moulin à Jeannet du Four.

Naters, 1326, 9 mars.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

* Anno Dni M°.CCC°.XXVI°, die IX^a^ mensis marcii, ante portam castri de Saxo de Narres. Cum Jo. de Briens domicellus ad manum suam misisset vineam cum molendino contiguo sitam apud Narres, inter aquam que vocatur Bask, ex vna parte, et vineam et campum Jocermini de Ornavas domicelli, ex altera, pro vsagiis sibi non solutis et aliis legitimis causis, potissime cum homagium legium sibi non fuerit factum, idem Jo. de Briens, reuersus ad viam pietatis, dictam vineam cum molendino predicto Johanneto filio Johannis de Furno de Monz tradidit perpetue in feudum homagii ligii, et hoc pro X sol. Maur. semel et pro IIII^or^ den. seruicii annualis et pro placito. Testes : dnus Cono de Castello miles, Jocerminus de Ornavas, Anthonius de Curia de Briga, Johannodus nepos dicti dni Cononis et ego Jo. Munmeliani, etc.

1537

Amodiation du vidomnat de Chamoson.

Ardon, 1326, 28 avril.

Archives de Valère, Registrum Anselmi clerici de Arduno.

* Anno Dni M°CCC°XXVI°, IIII° kl. maii, apud Ardunum, nobilis vir Franciscus vicednus de Chamoson vendidit et con-

cessit Conodo Engerber (de Arduno) pro precio octo lb. Maur. per IIII annos continuos vicedominatum, merum et mistum imperium et juridicionem ipsius vicedominatus et omnes exitus, prouentus, clamas, bagna, frauerias et inchetas et omnia alia jura pertinentia ad dictum vicedominatum.

1538

Concession à cens des quartes d'un pré de Léonette, fille de Pierre Symonis (de La Tour).

Chamoson, 1326, 31 mai.

Archives de Valère, Registrum Johannis salteri de Chamoson, f. xxv.

Anno Dni M°CCC°XX° sexto, apud Chamoson, vltima die maii, Johannes de la Munta de Arduno concessit Martino de Charres ad censum perpetuum quartas prati Leonete filie quondam P. Symonis domicelli, siti versus Platatas, dum ipse uel sui heredes tenebunt dictum pratum quod ad presens possident, et hoc pro duobus fichilinis silig. redditus soluendis annuatim dicto Jo. et suis heredibus uel illis qui quartas de Chamoson nomine mense episcopalis Sedun. tenebunt, in festo medii augusti.

1539

Le curé de Sion donne le signe de la croix à Pierre Schertère.

Sion, 1326, 10 juin.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXVI°, indicione IX, IIII idus junii, in ecclesia Beate Marie Sedun., ante altare parrochiale Sanctorum

Innocentum, in presencia mei notarii, etc., constitutus P. Schertere de Aragnon morans Seduni, idem P. veniens et accedens ad dnum Jo. de Yuerduno curatum Sedun., ipsum humiliter cum voti desiderio visitandi sanctum sepulcrum et in primo passagio transmarino transfretandi, requisiuit, omni fraude et dolo postpositis et remotis, quatinus signum crucis dicto P. concedere dignaretur. Qui curatus, recepta humili predicta deuocionis requisicione dicti P. de dicto crucis signo sibi dando et concedendo sub voto supradicto, contulit et dedit et inseruit crucis signum in humero dextro dicti P. humiliter et deuote recipientis cum sollempnitate condecenti. De qua quidem crucis imposicione et dacione ac receptione dicte crucis dictus P. precepit michi notario infrascripto sibi fieri publicum instrumentum. Testes : dnus Reynaldus curatus de Rubeo monte, Jo. de Auborenges notarius publicus, magister Henricus de Biangna scriptor morans Seduni, Jo. nepos dicti curati et ego Jo. etc.

1540

Aymon de La Tour, en qualité de tuteur de son neveu Perrod de La Tour, défend à Pierre de l'Hôpital de se faire recevoir bourgeois de Sion.

Sion, 1326.

Archives de Valère, Prothocollum Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°.XXVI°, inditione IXª, in domo episcopali Sedun. Cum in presencia reuer. in Christo patris et dni dni Ay. de Turre Dei et apostolice sedis gracia episcopi Sedun. ac mei notarii, etc., esset presens Petrus de Hospitali faber, predictus dnus episcopus curatorio nomine, ut dicebat, Perrodi de Turre nepotis sui inhibuit et contradixit dicto Petro homini

ligio dicti Perrodi ne aliquam burgensiam Sedun. intret, nec in ipsa uel alibi se liget uel obliget aliqualiter per aliquem modum uel formam per quem uel quam posset dicto Perrodo futuris temporibus preiudicari seu aliquale preiudicium emergi. Et de hac inhibitione idem dnus episcopus, nomine quo supra, precepit michi notario infrascripto sibi fieri publicum instrumentum. Testes : vir discretus magister Franciscus de Cagnio jurisperitus, Nycholetus de Maladeria clericus, Symon de Senis familiares dni episcopi predicti et ego Jo. Munmeliani, etc.

1541

Deux arbitres déclarent que Pierre favre de l'Hôpital a le droit de rester bourgeois de Sion, quoiqu'il ait prêté hommage à Perrod de La Tour.

Sion, 1326, 5 août.

Archives de Valère, Prothocollum I Jo. Monmeliani.

Anno Dni M°.CCC°XXVI°, inditione IX^a, nonas augusti, in curia episcopali Sedun., in presencia, etc., constituti vir ven. dnus Jo. Giroldi doctor legum, canonicus Lausanen., et vir nobilis Jo. dnus de Aniuesio dixerunt, retulerunt et confessi fuerunt, ad instanciam et requisitionem Petri fabri de Hospitali Sedun., quod in pace et concordia quam ipsi fecerunt inter reuer. in Christo patrem et dnum dnum Ay. de Turre episcopum Sedun., nomine hereditario, et Perrodum de Turre eius nepotem, ex vna parte, et dictum Petrum fabrum, ex altera, fuit intentionis eorum tamquam arbitrorum et ita volunt quod sit, quod non obstante homagio ligio quod fecit dictus Petrus dicto Perrodo, quod ipse Petrus remaneat in burgensia Sedun. et quod nullum sibi fiat preiudicium quominus remaneat et valeat in dicta burgensia remanere. Testes : Lambertus de Dalliens clericus dicti dni, Jo. Giroldi, Johannodus de Dal-

liens, Ay. de Olono de Seduno, domicelli, Petrus Bachelars de Granges et ego Jo. Munmeliani, etc.

1542

Testament de Françoise (Albi), veuve d'Aymon de Morestel.

Venthône, 1326, 30 octobre.

Archives de Valère, Registrum Joh. Dauz.

Anno Dni M°CCC°XX°VI°, III kl. nouembris, in villa de Venthona, in domo Margarete relicte Rodulphi de Venthona, Francesia relicta Aymonis de Morestel de Granges, egra corpore, vltimam voluntatem suam deposuit in hunc modum. Elegit sepulturam in ecclesia Sancti Stephani de Granges, cui ecclesie legauit quindecim den. annuatim. Item legauit ecclesie Sancti Jacobi de Granges X d. annuatim, ecclesie Beate Marie de Grona VI d. ann., ecclesie Sancti Mauricii de Laques VI d. semel, ecclesie Beate Agnetis de Moiot VI d. semel, capelle Beati Johannis de Venthona VI d. semel. Constituit executores suos dnum Reymundum curatum de Granges, Willermum de Morestello de Granges domicellum. Item constituit sibi heredes pueros suos. Testes : Willermus de Venthona, Willermus de Morestel de Granges, Perrodus filius eius, etc.

1543

Le donzel Henri de Bex et son épouse Béatrice vendent un cens de 40 sols au chapitre de Sion.

Bex, 1326, 29 novembre ; — Sion, 6 décembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 605, ex arch. Valer.

* Notum sit quod Henricus de Batio domicellus et Beatrix uxor ejus, laudatione Willermi monachi Sancti Victoris Ge-

benn. fratris dicti Henrici, vendiderunt perpetue michi notario infrascripto, ementi ad opus Johannis de Drona canonici Sedun. et procuratoris capituli Sedun. ac etiam ipsius capituli, pro viginti lb. Maur. quadraginta sol. redditus annui pro anniversario quondam Jacobi de Augusta canonici Sedun., quos quadraginta sol. assignaverunt dicti conjuges annuatim percipiendos in dedicatione Sedun. vel in placito mensis octobris de Suens super talliis, redditibus et usagiis dictorum Henrici et Beatricis vallis de Heroens. Mandantes dicti conjuges Johanni de la Condemyna de Suens, mistrali suo qui nunc est ac aliis mistralibus qui pro tempore fuerint, ut dictos quadraginta sol. solvant in dicto termino. Actum apud Batium, III kl. decembris, anno Dni M°CCC°.XX°. sexto, imperio vacante, Aymone episcopante.

Postmodum vero Anthonius filius quondam Willermi de Volouron, homo ligius et talliabilis, ut dicebat, ad misericordiam dictorum Henrici et Beatricis et tanquam devanterius consortum suorum feudi de Volouron, se constituit solutorem et promisit per juramentum suum et sub obligatione omnium bonorum suorum dictos quadraginta sol. annuatim in dicto termino mensis octobris soluere in manu dicti mistralis in dicta valle de Heroens super usagiis et talliis hominum feudi dictorum venditorum de Volourons. Actum Seduni, VIII° idus decembris, anno quo supra.

1544

Reconnaissance d'Anselme Sinister et de Jean Inguillier en faveur du doyen de Valère.

Sion, 1327, 27 février.

Archives de Valère, Extractus instrum. decanatus Valeriæ, Z, 6.

Anno Dni M°CCC°XXVII, III kl. marcii, Ancelmus Sinister de

Terminon, parrochie de Vespia, et Johannes dictus Inguillier eius loci confessi sunt quod decima bladi et raparum dicti loci de Termignon, de qua tenent medietatem, est de feudo homagii dni decani Valerie, pro qua decima dictus Ancelmus presente et consenciente dicto Johanne fecit dicto dno decano homagium ligium et confessi sunt se debere dicto dno decano V sol. placiti et X modios siliginis et II lb. piperis ad magnum pondus. Actum in Seduno.

1545

Reconnaissance de fief de Mathieu Aspère en faveur du doyen de Valère.

Sion, 1327, 7 février.

Archives de Valère, Extractus instrum. decanatus Valeriæ, Z, 6.

Anno Dni M°CCC°XXVII, VII idus februarii, Matheus Aspere de Vespia se tenere recognouit in feudum a dno decano Valerie decimam nascentium que vulgariter de Jongynon in villis de Grenekun, de Kalpotran et in territoriis dictarum villarum, et se debere eidem dno sex den. Maur. seruicii et XII den. placiti. Actum in Seduno.

1546

Nomination de procureurs par les quartiers de la vallée d'Anniviers.

Vissoye, 1327, 14 mai.

Archives de Valère, Registrum Jo. Chaphardi.

* Anno Dni M°CCC°XXVII°, secundo idus maii, apud Vissohi, communitas carterii de Vissohi et communitas carterii de Luc

et communitas carterii de Ayer et communitas carterii de Grimeynchi constituerunt nuncios suos et procuratores in omnibus causis seu negociis communitatis tocius vallis.

1547

Traité d'alliance entre Henri Dauphin, baron de Montauban, Guigues VIII, Dauphin de Viennois, et Hugues Dauphin, seigneur de Faucigny, d'une part, et l'évêque de Sion, de l'autre.

1327, 10 juillet.

Histoire de Dauphiné, par Valbonais, II, 213.

Noverint universi has præsentes litteras inspecturi quod nos Henricus Dalphini Baroniarum Montis Albani et Medullionis Dominus, nomine nostro proprio et nomine illustrium virorum DD. Guigonis Dalphini Viennensis et Hugonis Dalphini Domini Fucigniaci, ex una parte, quos et quemlibet ipsorum solemniter promittimus ratum habituros infra scripta cum ad eorum notitiam pervenerint, et nos curaturos cum effectu quod ipsi et quilibet ipsorum omnia infra scripta approbabunt et ratificabunt, et nos Aymo Dei et apostolice sedis gratia Sedun. episcopus, nomine nostro proprio, ex altera, consideratis invasionibus et oppressionibus omnibus ac gravaminibus multiplicibus nobis et ecclesiæ nostræ predictæ per illustrem et potentem virum D. Edouardum comitem Sabaudiæ, ejusque vassallos, fideles et subditos illatis et quæ quotidie inferre non cessant, quibus sine Dei et DD. predictorum Dalphinorum auxilio commode resistere non possumus, fecimus et harum serie facimus et inhimus confoederationem ligam et vicissim hinc inde assumimus deffensionem et protectionem nostrarum personarum, ita et hoc acto inter nos quod nos vicissim adjuvabimus et deffendemus statum et honorem nostrum, videlicet

quod nos dictus Henricus et dicti Dalphinus et Dominus Fucigniaci totis viribus et conatibus deffendemus dictum D. episcopum, homines suos et terram suam a quibuscumque injuriatoribus et delinquentibus in eosdem, et quod nos Aymo episcopus predictus, ut supra, dictos DD. Henricum, Dalphinum et Dominum Fucigniaci, homines suos et terram suam deffendemus, fovebimus et protegemus contra etiam nonnullos injuriatores et delinquentes in eosdem, maxime et specialiter contra et adversus comitem Sabaudiæ et eidem adhærentes, et quod nos Dalphini predicti specialiter supra scripta faciemus contra dictum comitem et ei adhærentes ad favorem et protectionem dicti D. episcopi et adhærentium eidem, sub infra scriptis tamen pactis et conventionibus; quæ pacta quilibet nostrum confitemur dedisse causam confoederationi et societati predictis, videlicet quod nos Dalphini omnibus nostris sumptibus dicto D. episcopo pro guerra facienda contra dictum comitem quinquaginta armigeros condecenter armatos, quos dictus D. episcopus assolidandos cuilibet eorum pro suo soldo sive stipendio cujuslibet mensis decem florenos auri dumtaxat assignando et solvendo, atque decem clientes tenebimus eidem nostris propriis sumptibus in castro Martigniaci predicti D. episcopi Sedun. Item quod dicto D. episcopo de terra nostra Fucigniaci dabimus pro predictis expediendis et executioni mandandis pro guerra predicta unum fidelem et probum militem, quem duxerit eligendum pro ballivo et capitaneo generali dictæ guerræ et quamdiu guerra durabit predicta. Quodque etiam si contingeret dictum comitem insidias vel exercitum ponere ad aliquod castrum seu villam dicti D. episcopi in Valesio, seu contra nos Dalphinos in terra Fucigniaci, quod nos vicissim adjuvabimus et deffendemus quilibet suis sumptibus, laboribus et expensis. Hoc acto quod nos dictus episcopus predictos DD. Fucigniaci et Dalphinos, ut est dictum, nostris sumptibus et expensis per quindecim dies continuos juva-

bimus et deffendemus, et lapsis quindecim diebus predictis, expensis et sumptibus eorumdem Dominorum, atque quod nos Dalphini ad instantiam dicti D. episcopi faciemus insultum et ponemus exercitum ubi nobis videbitur expedire, ac etiam dicto D. episcopo contra dictum comitem, ad levandum et levari faciendum exercitum quem poneret contra castrum vel villam dicti D. episcopi, ad hoc ut eidem comiti detrahemus potestatem hujusmodi exercitus contra dictum D. episcopum faciendi, atque promittentes solemniter dicto D. episcopo, quod cum dicto D. comite non faciemus pacem, treugas vel aliam confoederationem quamlibet, absque eo quod dictus D. episcopus in ea existat et sit tractatus. Et nos dictus episcopus eidem Henrico, stipulanti nominibus quibus supra, promittimus quod si contingeret dictum comitem insidias vel exercitum ponere ad aliquod castrum seu villam dicti domini Fucigniaci in terra Fucigniaci, quod nos dictus episcopus ad instantiam dicti Domini Fucigniaci, seu dictorum D. Dalphini et D. Henrici aut rectoris terre Fucigniaci, vel alterius eorumdem faciemus insultum et ponemus exercitum ubi nobis videbitur expedire et dicto Domino Fucigniaci contra dictum comitem, ad levandum et levari faciendum exercitum quem poneret contra castrum et villam dicti Domini Fucigniaci, ad hoc ut eidem comiti detrahamus potestatem hujusmodi exercitus contra dictum Dominum Fucigniaci faciendi, atque etiam quod cum dicto comite non faciemus pacem, treugas vel aliam confoederationem quamlibet, absque eo quod dictus Dominus Fucigniaci in ea existat et sit tractatus. Nos vero dicti Dalphini predicto D. episcopo stipulanti solemniter promittimus quod a sanctissimo patre Johanne papa vicesimo secundo præsente procurabimus posse nostro adminiculum et titulum quod impune dictus D. episcopus exercitum habeat dictæ guerræ, cujus prætextu si contingeret dictum D. Papam vel aliquem processum facere vel fieri facere, quod nos nostris omnibus sumpti-

bus et expensis a prædictis processibus et contentis in eis cum dicto D. Papa conservabimus indempnem. Quæ omnia universa et singula suprascripta durent ad vitam naturalem dicti D. episcopi et quamdiu fuerit in humanis. In testimonium autem et robur præmissorum omnium nos dicti episcopus et Henricus sigilla nostra duximus apponenda. Datum et actum die decima mensis julii, anno Dni M.CCC.XXVII. Et nos Hugo Dalphinus Dominus Fucigniaci prædicta omnia et singula scienter laudamus, approbamus, ratificamus et confirmamus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.

1548

Vente d'un cens par Nicolet Aspère à Jacques de Morestel.

Sion, 1327, 6 novembre.

Archives de la bourgeoisie de Sion, Granges.

Anno Dni M°CCC°XXVII°, indictione vndecima, VIII idus nouembris, in ciuitate Sedun., in domo Jaqueti de Vespia mistralis olim capituli. Cum ibidem Nycholetus Aspere vendiderit, tanquam tutor filii sui Nycholodi, Jacobo filio quondam Aymonis de Morestel de Granges domicelli, ementi nomine suo et aliorum coheredum dicti Aymonis, vnum modium frumenti censualem pro quindecim lb. Maur., quem modium vendidit olim dictus Aymo Facete relicte Petri Chiuriliodi, et ipsa Faceta legauit dicto Nycholodo Aspere et Willermete filie quondam dicte Facete, de quibus quindecim lb. dictus Jacobus emptor remansit debens decem lb., quas promiserunt soluere Johannes decimator de Chermignon subteriori et Anthonius nepos eius tanquam principales debitores. Testes: Petrus



de Montana jurisperitus, Johannes de Morestel domicellus, et ego Amedeus de Reyna clericus, etc.

1549

Le chapitre de Sion réclame l'acquittement d'un legs fait par Elica, vidomnesse de Sion.

1327, 24 novembre.

Archives de Valère.

Coram vobis ven. dno officiali Augustensi, judice vnico a sede apostolica delegato, dicit et proponit in jure dnus Dyonisius de Thora canonicus Sedun., procurator et nomine procuratorio capituli Sedun., contra virum nobilem Petrum vicednum Sedun., quod dna Eliqua vicedna Sedun., eius mater, cuius ipse est heres in eius testamento institutus vna cum Jacobo senescallo quondam eius fratre, cui postea defuncto successit ex testamento heres institutus dictus Petrus, quod dicta dna dedit et legauit in eius testamento seu vltima voluntate ecclesie Sedun. in elemosinam decem sol. Maur. censuales, soluendos per dictos filios suos et heredes. Item dedit et legauit eidem ecclesie viginti sol. Maur. annui redditus pro eius anniuersario faciendo per dictos heredes suos; de quibus voluit quod decem sol. inter clerum die sui anniuersarii diuidantur et alii decem in panibus et candelis offerantur. Quos XXX sol. census seu redditus dictus P. vicednus soluere et offerre dicto capitulo renuit et recusat indebite et iniuste. Quare agit dictus procurator, nomine quo supra, contra dictum P. vicednum et petit ipsum per vos sentencialiter condempnari ad solutionem dictorum XXX sol. redditus seu census, vna cum retentis XXVII annorum quas extimat XXVII lb. Maur. et pro-

nunciari ipsum in futurum teneri ad solutionem dictorum XXX sol. singulis annis faciendam dicto capitulo ad opus superius declaratum. Et hec dicit et proponit dictus procurator nomine quo supra juribus et rationibus, etc., saluo sibi jure addendi, minuendi, declarandi. Petit expensas in lite factas, quas extimat LX sol. Maur., de faciendis protestando suo loco et tempore declarandis. Non astringens se ad omnia et singula predicta probanda, scilicet ad id uel ea tantum que sibi sufficient ad victoriam sue cause.

Traditus fuit dno officiali, die martis ante festum beate Katherine, anno Dni M°CCC°XXVII°.

1550

Règlement de l'évêque de Sion pour le clergé des églises de la ville.

Valère, 1328, 29 janvier.

Archives de Valère, G, 7.

Nos Aymo Dei et apostolice sedis gracia episcopus Sedun. tenore presentium notum facimus vniuersis quod, conuocato capitulo nostro ecclesie Sedun. et in vnum congregato in ecclesia Valerie Sedun. ad reformacionem status dicte ecclesie et singularium personarum eiusdem ac tocius cleri Sedun., paterna sollicitudine intendentes, de consilio et assensu prefati capituli nostri statuimus et ordinamus quod canonici et sacerdotes ac quicumque alii clerici ecclesie uel ciuitatis Sedun. aut ecclesie Valerie non intrent infra ciuitatem Sedun. aliquam tabernam ad bibendum, nec etiam bibant in plateis ante tabernas. Quod si quis contra fecerit, ipsum excommunicacionis vinculo innodamus, a qua per aliquem commissarium nostrum nequeat absolui, nisi de mandato nostro processerit speciali, non intendentes per dictum nostrum statu-

tum ligari illos qui biberint in domibus clericorum, etiam si taberna ibidem vendatur, dum tamen non bibant in taberna uel platea, sed in domibus separatim. Ceterum de bibentibus in abergariis ciuitatis Sedun. obseruetur secundum quod cauetur in nostris aliis statutis. Item cum cura sollicitudinis pastoralis vigilare debeat ad cultus diuini augmentum, ac etiam perinde ne idem cultus, qui potius debet augmentari quam minui, ob negligenciam, insolerciam uel culpam subditorum diminucionem in aliquo paciatur, attendentes etiam quod pia voluntas defunctorum qui fondauerunt et dottauerunt altaria et alia beneficia in Sedunen. ac Valerie et aliis ciuitatis Sedun. ecclesiis pia deuocione inducti constituerunt et ordinauerunt in fondacione et doctacione eorumdem altarium et beneficiorum assignacione, quod in eisdem beneficiati deseruiant in dictis ecclesiis Sedun. et Valerie, prout in ipsis intitulati sunt uel altera earumdem, horisque canonicis intersint et orent pro animarum remedio suarum et missarum officia celebrent certis diebus in septimana, prout hec in pluribus testamentis et ordinacionibus seu constructionibus dictorum beneficiorum continetur. Que omnia et singula deberent ex mera et debita consciencia ab ipsis seruitoribus et beneficiatis, sicut promiserunt et jurauerunt quilibet in sua institucione, totaliter obseruare, si diuinam vellent vltionem et indignacionem, quam negligentes occurrunt, omni ociositate postposita salubriter euitare. Quia tamen ad aures nostras peruenit quod aliqui dictorum beneficiatorum, non considerantes premissa, fructus, obuenciones et oblaciones dictorum beneficiorum percipiunt et diuinum officium, vt superius exprimitur, reddere renuunt, ad matutinas et alias horas non veniunt et, si veniant, cito recedunt, lucra amplectentes et onus subire nolentes, propter quod dicte ecclesie debitis officiis defraudantur et scandalum etiam tam inter clericos quam inter laicos oritur, indeuocio crescit et aliqui a fondacione et

doctacione altarium retrahuntur. Item quod aliqui dictorum beneficiatorum quando scribuntur in tabula in magnis festiuitatibus, se absentant eorum officio incompleto, propter quod in choro magnum scandalum et in populo generatur. Aliqui etiam eorum altaria discoperiri faciunt, vt oblaciones percipiant diebus quibus minime celebrant, non attendentes quod propter officium datur beneficium, propter quod aliqui ab oblacionibus quandoque retrahuntur. Idcirco nos prefatus episcopus ex nostri officii debito et ne possimus a Deo et hominibus repreendi, de prefati nostri capituli consilio et assensu, presentibus et conuocatis propter hec in nostri presencia dictis beneficiatis qui in dictis et aliis ciuitatis Sedun. ecclesiis beneficiati existunt et in ecclesiis Sedun. ac Valerie predictis deseruire tenentur, statuto irrefragabili duximus statuendum ac etiam obseruandum quod dicti beneficiati horis canonicis in Sedun. et Valerie ecclesiis, prout in eis seu altera earum intitulati sunt, intersint et deseruiant, vt tenentur, potissime matutinis, et si matutinis defecerint, nullatenus in missa maiori et vesperis se absentent, in principio et in fine ibidem persistant, infirmitatis impedimento uel alio legitimo et euidenti cessante. Is autem de predictis beneficiatis qui Dei timore postposito vltra duas dies in septimana se absentare presumpserit, ita quod quolibet die, dictis duobus diebus exceptis, in matutinis uel saltin in missa maiori et vesperis non intersit, ab ingressu ecclesie et oblacionibus et obuencionibus suorum beneficiorum per vnum mensem continue post dictam inobedienciam sit suspensus, per quem mensem, si se diuinis miscuerit, vt prius, temere celebrando, irregularitatis laqueo se inuoluet, a qua non poterit nisi per sedem apostolicam liberari, dictis obuencionibus per dictum mensem obuenientibus per septimanarium maioris altaris pauperibus erogandis. In quo quidem statuto nostro canonici ecclesie Sedun. minime includantur. Indulgemus tamen quod si aliquis

prediotorum beneficiatorum voluerit se absentare extra ciuitatem Sedun. per VI dies uel pauciores, cantor ecclesie Sedun. uel commissarius suus in hac parte aut capitulum Sedun. illum se absentare volentem possint licenciare per dictum tempus, si eis videatur; et si licenciam se absentandi per maius tempus aliquis predictorum beneficiatorum petierit aut jam obtinuit, tunc valeat tantum data licencia siue danda per capitulum Sedun. Et si aliquis predictam nostram sentenciam incurrerit, precipimus et mandamus tenore presentium cantori predicto, qui nunc est aut qui pro tempore fuerit, vt ex quo sibi legitime constiterit aliquem predictorum dictam sentenciam incurisse, omni amore et fauore postpositis, denunciet aut faciat denunciari publice transgressorem in prefatam sentenciam incidisse, qui ex tunc tanquam suspensus euitetur et abiciatur ouis morbida de ouili, ne inficiat sanas oues, sic quod eius exemplo alii a similibus arceantur, cultus diuinus per hoc deuote, diligenter et excellenter exerceatur et officium diuinum salubriter in dictis nostris ecclesiis compleatur. In quorum omnium testimonium nos dictus episcopus predicta nostra statuta ad Dei et ecclesie sue honorem edita sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum et actum in ecclesia Valerie Sedun., anno a natiuitate M°CCC°XX°VIII°, die XXIX^{a} mensis januarii.

Sceau tombé.

1551

Nicolas, sautier de Viège, reçoit en fief du doyen de Valère tous les cheminages de la paroisse de Viège.

Valère, 1328, 18 avril.

Archives de Valère ; Extractus instrument. decanatus Valeriæ, Z, 6.

Anno Dni M°CCC°XXVIII, XIIII kl. maii, Nicolaus salterus

de Vespia recepit a dno Girardo decano Valerie in ecclesia Sedun. in planum feudum omnia chiminagia que dictus dnus decanus habet in parrochia de Vespia pro XXVI sol. Maur. seruicii. Actum in ecclesia Valerie.

1552

Réversale en faveur des hommes de la châtellenie de Monthey, qui ont accordé un don gratuit au comte de Savoie.

Villeneuve, 1328, 18 mai.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XIII, 9, des archives de M. le banneret de Vantéry.

Nos Bartholomeus Dei gracia abbas Sancti Mauricii Agaun., Galesius de Balma miles, ballivus in Chablasio et Gebenn. pro illustri viro dno Eduardo comite Sabaudie, Johannes Reynardi castellanus Chillionis et Guillelmus de Castellione notum facimus universis presentes litteras inspecturis quod cum ad preces et rogata nostra communitas hominum castellanie de Montheolo concesserit nobis ad opus dicti dni comitis ex dono pro expensis quorumdam hominum equitandorum cum armis in presenti necessitate et per dictum temporis spacium [1] viginti sol. grossor. Maur., confitemur et recognoscimus quod hec concessit dicta communitas de gratia speciali, quod ad hoc ex debito minime tenetur. Non intendimus enim nec etiam volumus quod per hoc fiat ipsi communitati vel ejus successoribus prejudicium aliquod, quod ipsi vel successores ejusdem ad illud idem vel ad consimile prestandum vel faciendum dicto dno comiti vel successoribus ejus de debito teneantur, nisi in

[1] Ce temps n'est pas indiqué, il y a probablement une omission dans la copie.



quantum de eorum gratiosa et libera processerit voluntate. Volumus etiam et concedimus ex parte dicti dni comitis quod dicta communitas, durante dicti temporis spacio, extra casum necessitatis a cavalcatis generalibus liberi sint et immunes. In quorum omnium robur et veritatis testimonium presentem litteram ad opus dicte communitatis sigillis nostris duximus sigillandam. Datum Ville nove Chillionis, die XIII mensis maii, anno Dni M.CCC.XXVIII.

Appendent adhucdum originali quatuor sigilla.

1553

Subside gratuit accordé au comte de Savoie par les bourgeois de Saint-Maurice.

Saint-Maurice, 1328, 4 juin.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

Nos Galesius de Balma miles, ballinus in Chablasio et Geben. pro illustri viro dno Edduardo comite Sabaudie, notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod nos habuimus et recepimus et confitemur nos habuisse et integre recepisse, vice et nomine predicti dni nostri comitis, a Jaquemodo de Liddes et Jaqueto Raymundini, burgensibus et syndicis ville Sancti Mauricii, per manum Francisci de Cheney domicelli fidelis familiaris nostri, viginti sol. grossorum Turon. argenteorum in bona pecunia numerata, quos communitas castellanie Sancti Mauricii Agan. nobis ad opus dicti dni comitis concessit de gracia speciali et non ex debito, pro medietate expensarum vnius hominis equitis cum armis per quatuor menses in presenti estate et non ultra, facientes dictis syndicis et communitati per presentes quittacionem, refutacionem et

pactum expressum ac reale, nomine dicti dni comitis et nostro, de dictis viginti sol. Tur. gross. ab ipsis uel successoribus suis ulterius et imperpetuum non petendis. Datum apud Sanctum Mauricium Agan., die sabbati quarta mensis junii, anno Dni M°CCC°XXVIII°, cum apposicione sigilli nostri, die et loco predictis.

Sceau pendant.

1554

Accord entre Aymon de La Tour, évêque de Sion, et Vidolinus, major d'Ernen, et Georges son neveu, au sujet de la majorie d'Ernen et d'autres droits.

1328, 26 juin.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II, Ex libro Conches.

Coram ven. capitulo Sedun. episcopus Aymo de Turre in Widolinum majorem et Georgium eius nepotem petebat majoriam de Aragno ex causa quod Richardus major de Aragnon in personam episcopi Rodulphi deliquerat. Item petebat sostam et pondus et partiron de Aragnon cum fructibus et emolumentis. Item rationem de bannis super nemore supra villam de Aragnon a 28 annis, que cum sint 60 sol. ad episcopum pertinere debent. Item de volucribus nobilibus et passagiis, cum sint alte jurisdictionis sunt episcopi. Item quod ipsi Widolinus et Georgius spurios et bastardos receperunt in homines suos ligios, qui sunt tamen episcopi de jure communi, et a fidelitate facta Widolina debere liberari. Item recepisse plures mansuarios episcopi, qui debent deliberari et ad pristinam naturam mansuariorum episcopi reduci.

Transactio : Majoria debet manere Widolino et Georgio et eorum heredibus in perpetuum in feudum homagii ligii. Item sustam, pondus et partironam de Aragnon in augmentum feudi,



banna in silva supra Aragnon, que committuntur ambobus, que vero episcopus..... remittere marciata, medietas sit episcopi, altera medietas majoris. Etiam in augmentum dicti feudi volucres que sunt alte jurisdictionis et passagia sint episcopi et in reliquis adiudicatur petitio. 6 cal. julii, 1328.

1555

Sentence arbitrale prononcée par l'évêque de Sion entre le curé d'Aeschi et les frères Pierre et Henri de Scharnachthal.

Sion, 1328, 2 août.

Gallia christiana, XII, instrum. 536.

Nos Aymo de Turre Dei gratia Sedun. episcopus notum facimus universis quod cum quæstio verteretur inter dilectos nostros dnum Ulricum curatum de Esche, nomine suo et ecclesiæ suæ, ex una parte, Petrum et Henricum fratres de Scharnachtal, parochiæ de Esche, ex altera, super decimis novalium territoriorum de Ufen Riedli et de Rudlon et de Oja sitorum infra limites ecclesiæ prædictæ, tandem dictæ partes in nos super dicta discordia compromiserunt, promittentes sub pœna centum lb. albæ monetæ, stipulata solenniter hinc et inde, attendere firmiter et servare perpetuo quicquid per nos super præmissis esset jure, voluntate seu concordia ordinatum et actum. Nos autem episcopus prædictus, inquisitis et inspectis quæ super his inquirenda fuere, dictas partes ad concordiam et transactionem reduximus et reducimus in hunc modum, quod nos ducimus, volumus et pronunciamus quod dicti fratres et nunc statim reducant et restituant seu ponant curatum prædictum, nomine ecclesiæ suæ prædictæ, in possessionem vel quasi juris percipiendi decimas supradictas, nec de

cætero turbent seu molestent per se vel alium in aliquo dictum curatum seu ecclesiam suam super decimis supradictis. Item quod facta restitutione prædicta dictus curatus concedat nobis fructus decimarum prædictarum per sex annos proximos et continuos et non ultra, per nos per idem tempus fratribus dimittendos et per eosdem fratres percipiendos pacifice per tempus prædictum duntaxat. Qua pronuntiatione facta, dictus curatus ipsam, quantum in eo est, ratificans et approbans, concessit nomine quo supra nobis per dictos sex annos fructus dictarum decimarum dimittendos per nos eisdem fratribus juxta nostram ordinationem prædictam dimittendos. Unde nos sub pœna prædicta centum lb. dictis fratribus mandamus et præcipimus quod ipsi dictam restitutionem faciant dicto curato, prout et quando per Otthonem Guttvern de Berno, quem ad hoc mandatum nostrum facimus, fuerint super hoc requisiti. In quorum omnium robur et testimonium nos præfatus episcopus dicto curato tradidimus præsentes litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum Seduni, secunda die mensis augusti, anno Dni millesimo trecentesimo vicesimo octavo.

1556

Achat d'un cens par Amphélisie d'Ayent.

Saint-Romain, 1328, 2 octobre.

Copia litterarum de Ayent, f. v.

* Notum, etc., quod ego Agnes filia quondam Petri de Comba de Sancto Leonardo, vxor Johannis Melly, laudatione ipsius Johannis mariti mei et Johannis filii mei, vendidi pro XXII sol. Maur. michi solutis dne Hanfelise relicte Nantermi de Ayent domicelli, ementi nomine suo et Francisci et Margarete

liberorum eius, dimidium fischilinum frumenti redditus annui et dimidium fischillinum siliginis redditus annui. Quem redditum de mandato dicte dne Hanfelise promitto soluere capitulo Sedun. pro ipsa dna Hanfelisa et liberis suis predictis annuatim in festo sancti Martini. Testes: dnus Petrus curatus de Ayent, Petrus Alberti Larsola, Johannes Borcardi de Sancto Romano, Borcardus filius eius, Vulliermus Larsola, Johannes Lupi dou Laset et Vulliermus de Ayent, clericus, etc. Actum apud Sanctum Romanum, VI nonas octobris, anno Dni M°CCC°XX° octauo.

1557

Testament de noble Jacqueline de Plantata.

Sion, 1329, 18 février.

Archives de Valère, F, 165.

* Anno Dni M°CCC°XXIX°, indictione XII, XII kl. marcii, apud Sedunum, nobilis dna Jacoba de Plantata presens testamentum disposuit in hunc modum. Legauit ecclesie B. Marie de Seduno tres fichilinos siliginis annui redditus. Item vnum fich. silig. redditus confratrie B. Marie de Seduno. Item vnum fisch. silig. confratrie S. Spiritus de Seduno annuatim. Item curato de Seduno vnum fich. silig. annuatim. Item vnum sextarium vini annui redditus capelle B. Theoduli de Seduno. Item ordinat quod dona quam dedit quondam dnus Petrus de Olono miles fiat super bona sua per medium. Item ordinauit quod vnam lampadem quam consueuerat ministrare ante magnum altare B. Marie manuteneatur perpetuo per heredes suos. Heredes suos instituit dilectas filias suas Marchisiam, Johannetam et Ysabellam et Aymonetum filium quondam Aymonis de

Herdes in equalibus porcionibus. Testes : Johannes de Morestel, Perrodus eius frater, Aymonetus de Olono, domicelli, etc.

Et ego Johannes de Ylletis clericus, imperiali auctoritate notarius, etc.

1558

Jean Majoris renonce à un droit de rachat en faveur des héritiers de Nantelme d'Ayent.

Bagnes, 1329, 3 mars.

Copia litterarum de Ayent, f. xxxvj.

* Anno Dni M°CCC°XXIX°, indicione XII, III° die mensis marcii, apud Bagnyes, infra ecclesiam parrochialem. Cum Johannes Maioris olim vendiderit Nantermo de Ayent sex sol. et sex den. seruicii cum placito, octo modios siliginis et decem sestarios vini annui redditus, que eidem Johanni debebantur apud Luechy, et dictus Nantermus ei concesserit rehemptionem, prefatus Johannes cessit Amphelise relicte dicti Nantermi de Ayent quondam et Francisco et Margarete eorumdem liberis omnem rehemptionem pro precio quindecim lb. Maur.

1559

Mermet d'Ollon confirme une vente.

Sion, 1329, 25 avril.

Archives de Valère, Registrum E cancell. Sed. f. clxxxx.

* Ego Mermetus de Olono domicellus confirmo Johanni de Canali de Ormona venditionem quam Jaquetus de Turre domicellus quondam fecit eidem Johanni de quadam pecia terre

sita in territorio de Ormona, et hoc pro LX sol. Maur. michi persolutis et pro XII den. seruicii et II sol. placiti. Que quidem pecia terre dicto Mermeto euenit tanquam proximiori heredi post mortem dicti quondam Jaqueti auunculi sui. Datum Seduni, VII kl. maii, anno Dni M.CCC.XXIX.

1560

Accord entre Girold Anthonii et Perrod son fils, d'une part, et Mermet, fils du dit Girold, d'autre part.

Sion, 1329, 27 avril.

Archives de Valère, Prothocollum III Jo. Monmeliani.

* Anno Dni M°.CCC°.XXIX°, indictione XII^a, V° kl. maii, in ciuitate Sedun., in domo episcopali, in camera depicta, in presentia dni Aymonis episcopi Sedun. ac nostri notarii et testium subscriptorum constituti Giroldus Anthonii de Villanoua et Perrodus eius filius, ex vna parte, et Mermetus filius dicti Giroldi, ex altera. Cum discordia verteretur inter dictas partes super eo quod dictus Giroldus dicebat quod omnimoda encheta bonorum, rerum et hereditatis quondam dni Petri de Turre militis et Jaqueti de Turre de Granges ad eum, tanquam proximiorem heredem dictorum dni Petri et Jaqueti et eciam ex transactione olim inita inter ipsum Giroldum et dictum Jaquetum, ad ipsum Giroldum pertinere debebant. Quare petebat dictus Giroldus se per dictum dnum episcopum poni in possessionem omnium predictorum bonorum; dicto Mermeto in contrarium dicente quod dicta bonorum possessio sibi dari non debebat et quod idem Giroldus pater suus nullum ius habebat in possessione bonorum predictorum, pro eo quod idem Giroldus olim dederat inter viuos dne Ysabelle matri sue omnia que ipse habebat ex quacunque causa in episcopatu Sedun.

et in pluribus aliis locis. Quare dicebat quod cum dicta dna Ysabella auia sua eidem Mermeto tanquam benemerito, consideratis gratis seruiciis eidem dne in sua senectute et infirmitate diuturna impensis per eumdem, eidem Mermeto donatione inter viuos donauit omnia que sibi fuerant per dictum Giroldum eius filium donata; que donatio dicto Mermeto fuit facta in presencia dicti Giroldi. Dicto Perrodo dicente quod dictorum bonorum post decessum dicti patris eius pertinere dedebat sibi portio sua legitima, non obstante dicta donatione, quam dicebat sibi non preiudicare pro eo quod dicta dna non poterat dare nisi terciam partem secundum consuetudinem Sedun. Dicto vero Mermeto dicente quod tam dictus Giroldus quam dicta dna habebant alibi hereditatem magnam propter quod dicta consuetudo sibi non obstabat. Tandem dicte partes ad instanciam dni episcopi supradicti ad talem deuenerunt concordiam, scilicet quod dictus Mermetus dare et assignare debeat apud Villam nouam uel circa decem lb. Lausan. annuales percipiendas per dictum Giroldum ad vitam suam tantum, pro quibus dictus Giroldus remisit dicto Mermeto quicquid juris habebat in hereditate dictorum dni Petri et Jaqueti. Actum eciam fuit quod dictus Mermetus dare teneatur dicto Perrodo fratri suo triginta lb. Maur. semel, de quibus dictus Perrodus se tenuit pro contento. Testes: dnus Jo. Boneti can. Sedun., dnus Ja. de Billens officialis Sedun., P. de Sassons domicellus, etc.

1561

Droits et devoirs des portiers du château de Monthey.

1329, 3 mai.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist. XII, 21 et 25, ex arch. familiæ de Vantery de Montheolo.

Anno Dni M.CCC.XXIX, die vero tertia maii, Berthodus Porterii, Johannodus filius Girodi Porterii et Jacobus filius Rodul-



phi Porterii, Michael dou Chabloz et Girodus filius Girodi Porterii sunt homines dni comitis Sabaudie et tenent de eo porteriam castri Montheoli; occasione cujus porterie tenent in castro duas domus juxta portam castri, etc. Item in pasqueriis quatuor charratas feni, quas debent ibi percipere, ut dicunt, ante omnes alios. Item capita bestiarum ruminantium que occiduntur in castro Montheoli. Item messem quam levant et percipiunt in albergamentis talliabilibus dni, videlicet in quolibet albergamento unam gerbam avene per annum. Item XII denarios quos percipiunt in quolibet homine qui captus detinetur in castro, non tamen in illis qui recipiunt mortem seu mutilationem membri, ut aiunt. Item in quolibet milite decem sol. et in domicello quinque sol. et de preda que reduceretur in castrum primam bestiam que intrat castrum seu portam castri. Item prebendam unius clientis in castro Montheoli, pro qua percipiunt in castro LX sol. Maur. singulis annis, quos eis consueverunt solvere castellani qui pro tempore fuerunt ibidem, in festo B. Clementis, ut dicunt. Item unam prebendam quam sibi debent heredes Johannis de Eviona et Anthonii Ubodi in mense maio singulis diebus, pro qua prebenda dicti nobiles et eorum predecessores consueverunt eis solvere singulis mensibus maii quatuor sol. Item II sol. et VI den. Maur. quos percipiunt in aliquibus hominibus de Li Neyres, Mascherel, Escureta, de Tribus Torrentibus, de Malion et de Dojon pro cessis quondam Giraldi de Alingio.

Pro predictis debent custodire portam dicti castri Montheoli et ponere gaytias et recolligere frumentum quod debetur castro pro gaytia. Item debent ministrare in dicto castro Montheoli qualibet die a festo Omnium Sanctorum usque ad carnisprivium vetus unam siccam faylliam et debent cavalcatam dno, prout illi qui resident in porteria castri.

Ex recognitionibus egregii Johannis de Creysiaco dicti Aquabella ad opus dni comitis Sabaudie.



1562

Jean d'Anniviers résigne la chapelle de saint Jean dans l'église d'Anniviers.

Tourbillon, 1329, 19 mai.

Archives de Valère, Registrum Jo. Chaphardi.

* Anno Dni M°CCC°XXIX°, indicione XII, XIIII kl. junii, in castello de Turbillon, dnus Martinus de Chastellione canonicus Sedun., procurator viri nobilis Johannis clerici filii (nobilis viri dni Johannis) dni de Aniuesio et procuratorio nomine in manu dni Ay. episcopi Sedun. resignauit capelle B. Johannis in ecclesia de Aniuesio, presentibus dno Petro de Canali curato de Heruens, Petro de Sassons domicello, Peytello mistrali de Turbillon, etc.

1563

Albert Deléglise est condamné à payer sa part des impositions levées par la commune de Liddes.

Liddes, 1329, 6 juin.

Archives de Liddes.

In nomine Dni, Amen. Comparentibus in judicio coram me Mermeto de Alingio, apud Lydes, Johanne Marugleir, Laurencio Alleyta et Johanne de Monjouuo de Lydes, tanquam negociorum gestoribus communitatis hominum de Lydes et tanquam consortes eiusdem litis, cauendo alter per alterum de rato et de judicato soluendo, ex vna parte, et Albertho de Ecclesia de Lydes, ex altera, proposuerunt prenominati con-

sortes contra dictum Albertum quod, cum dicta communitas et homines ipsius communitatis fuerint in pacifica quasi possessione imponendi eidem Alberto, ad arbitrium hominum super hoc deputatorum, quotam partem de communibus taliis, collectis et exenis impositis, factis et distributis inter homines communitatis predicte et exigendi et recuperandi a dicto Alberto partem seu porcionem eidem impositam seu taxatam de dictis collectis, taliis et exenis et hominibus ipsius communitatis in dicta possessione vel quasi existentibus, dictus Albertus recusabat soluere quinque sol. eidem impositos in attompno nuper preterito de communibus collectis, taliis et exenis distributis inter homines communitatis predicte, ipsos homines dicte communitatis jure percipiendi partem seu portionem de dictis exenis et collectis eidem Alberto impositam spoliando uel quasi. Quare agebant dicti consortes contra dictum Albertum et petebant ipsum per me sentencialiter condempnari et condempnatum compelli ad soluendum hominibus dicte communitatis, ipsos homines in sua pristina possessione reducendo. Dictus vero Albertus pro se litem contestans confessus fuerit se de dictis taliis partem sibi impositam soluisse antequam iret moraturus apud Augustam, etiam anno millesimo trecentesimo vicesimo septimo, de gracia speciali, dixerit tamen ad petita minime se teneri, cum per priuilegium illustris viri dni Edduardi comitis Sabaudie ab huiusmodi prestacionibus liber et immunis existat. Sed dicti consortes dictam graciam negauerint, super possessorio specialiter insistendo; juratum fuit a partibus de calumpnia et post juramentum eadem fuerunt proposita et responsa, et tandem cum dicte partes nichil vltra vellent proponere, sed peterent diffiniri, ego sedens pro tribunali, considerans et attendens intentionem dictorum consortum per confessionem dicti Alberti sufficienter fore probatam, cum allegata gracia probata non fuerit ex aduerso, considerans eciam et attendens quod allegata exceptio

que proprietatem tautummodo sapit, ipsi proposito possessoris opponi non potest, Deum solum habens pre oculis, sacrosanctis Dei Euuangeliis ante me positis, sentencialiter et diffinitiue in hiis scriptis condempno dictum Albertum ad dandum et soluendum hominibus dicte communitatis dictos quinque sol. eidem Alberto impositos de dictis communibus collectis, taliis et exenis, ipsos homines dicte communitatis, saluo vtrique parti jure proprietatis, reducendo in predictam suam pristinam possessionem uel quasi. Mandans et precipiens tenore presentium mistrali de Lydes uel eius locum tenenti quatenus compellat modo quo poterit forciori ipsum Albertum et Perrodum de Ecclesia de Lydes, qui se pro eo fideiussor constituit de judicato soluendo, ad soluendum quinque sol. antedictos. Actum apud Lydes, cum apposicione sigilli curie mee, VIa die mensis junii, anno Dni M°.CCC°.XXIX°.

Fragment du sceau.

1564

Albert Deléglise déclare n'avoir pas interjeté d'appel de la sentence qui l'avait condamné à payer sa part des impositions de la commune de Liddes.

Saint-Brancher, 1329, 16 juin.

Archives de Liddes.

Nos Johannes de Montangio, judex in Chablasio et apud Intermontes pro illustri viro dno Edduardo comite Sabaudie, notum facimus vniuersis quod cum presentibus in judicio coram nobis Johanne Marugleis, Laurencio Alecta, Johannodo Monjoua de Liddes, tanquam deffensoribus et deffensorio nomine communitatis hominum de Lydes, pro quibus de judicato soluendo et de rato obtulerunt ydoneam cautionem, et tanquam consortibus eiusdem litis, ex vna parte, et Alberto de Ecclesia de Lides, ex altera, proposuerunt dicti deffensores et

consortes contra dictum Albertum quod dictus Albertus ipsos citari fecit coram nobis ad procedendum in causa cuiusdam appellationis emanate per dictum Albertum a quadam sentencia lata per Mermetum de Alingio domicellum contra dictum Albertum pro communitate predicta super restitutione juris uel quasi et possessionis imponendi et faciendi collectam dicto Alberto et soluendi per ipsum pro rata sua de collectis et exennis communibus sibi imposita per communitatem predictam, et super quinque sol. sibi de exennis et collectis dicte communitatis nuper impositis, in quibus soluendis dicte communitati dictus Albertus extitit condempnatus, asserentes et proponentes dicti deffensores et consortes quod parati erant procedere in causa dicte appellationis, requirentes eciam nos ut in dicta causa appellationis procederemus, prout de jure debemus, ne propter dictam appellationem execucio dicte sentencie retardetur. Ad que respondit dictus Albertus se a dicta sentencia minime appellasse, nolens ad presens procedere contra homines et procuratores predictos. De qua responsione et confessione per dictum Albertum facta coram nobis requisierunt dicti deffensores nomine communitatis predicte sibi per nos dari litteram sigillo curie dicti dni comitis sigillatam. In cuius rei testimonium nos dictus judex sigillum dicte curie duximus apponendum. Datum in assisiis nostris Sancti Brancherii, die XVI^a^ mensis junii, anno Dni M°.CCC°.XXIX°.

Sceau pendant.

1565

Dépositions de témoins au sujet des droits d'Aymon d'Ollon, donzel, sur le vidomnat de Sion.

Sion, 1329, 12 juillet.

Liber instrumentorum de Seduno, Bramosio, etc., f. 140.

In nomine Dni, Amen. Anno incarnationis eiusdem M°CCC°

vicesimo nono, indicione XII, duodecima die mensis julii, in ciuitate Sedun., in curia episcopali, in presentia Perrodi dicti Magi, Joannis Moumeliani et mei Gyrardi de Dallieto clerici (l. clericorum), notariorum publicorum, etaliorum testium subscriptorum in causa regalie vertente coram reuerendo in Christo patre ac dno dno Aymone Dei et apostolice sedis gratia episcopo Sedun. inter viros nobiles, scilicet Petrum vicednum Sedun. et Aymonem de Olon, domicellos, super jure dicto in dicta causa per venerabilem virum Ansermodum canonicum Sedun., tenentem locum dicti dni episcopi in hac parte, vt idem Aymo protinus asseruit, testes infra scripti producti fuerunt ex parte dicti Aymonis, presente ipso vicedno, que productio incepta fuit diu ante horam nonam in curia predicta. Qui testes singulariter deposuerunt vt sequitur. Quibus depositionibus factis et habita diligenti collatione per me Girardum cum dicto Perrodo et Joanne, notariis ad hoc ibidem conuocatis, super depositionibus dictorum testium singulariter ipsorum depositiones per formam que sequitur, tam ad requisitionem dicti Aymonis quam dictorum notariorum, in scriptis redigi, signisque ipsorum Perrodi et Joannis notariorum subscribendorum signandas in formam publicam redigi, ad hoc quod dicta collatio robur habeat firmitatis. Primo dnus Martinus curatus de Magy dixit quod vidit et audiuit quondam Rodolphum de Olono, patrem dicti Aymonis, tenentem vicednatum Sedun. et placitum generale in tertio anno causa hereditatis sue, ut communiter dicebatur, pro tercia parte ad eumdem Rodulphum in dicto vicedominatu pertinere, vt dicebatur. Et ad interragationem Perreti Bachelar examinatoris dictorum testium pro dicto Aymone dixit idem supra Martinus quod premissa jurabit fore vera, vt deponitur, loco et tempore competenti[1]. Item Nicolaus Balistarius de Bragu-

[1] Cette dernière phrase est répétée après la déposition de chaque témoin.



mich dixit quod vidit et audiuit dictum Rodulphum tenentem vicednatum Sedun. pro tertia parte, quam tertiam partem ad eum dicebat pertinere, vt dicebatur communiter, et pro sua tenebat et possidebat. Item Johannes Dumiere dixit quod vidit et audiuit dictum Rodolphum vtentem dominio vicedominatus et accipere carnes et panes in mensis reuenditorum ad erogandum pauperibus, pro eo quod ipsi reuenditores non faciebant...[1] competentes, et hoc tertio anno pro jure suo competenti in dicto vicednatu. Item Johannes Warru de Magy dixit quod vidit dictum Rodulphum tenentem dictum vicednatum tertio anno tanquam hereditatem suam. Item Nicolaus de.... dixit quod vidit Rodolphum d'Olon tenentem vicednatum Sedun. tertio anno tanquam hereditatem suam, vt dicebatur, et plenarie faciebat justiciam in ciuitate Sedun..... conquerenti. Item Perretus Gataz..... Rodolphum d'Olon tenentem vicedominatum Sedun. pro tertia parte tanquam hereditatem suam et nomine totius terre. Item Johannes Bartholomei clericus dixit quod vidit Rodolphum d'Olon tenentem dictum vicednatum Sedun. Item Amedeus de Rayna clericus dixit quod vidit, audiuit et presens fuit quondam Jacobum d'Olon nomine suo et dicti Aymonis..... tenentem a triginta..... vicednatum Sedun., et publice dicebat quod tunc ipsum vicednatum tenebat articulo hereditatis sue. Item Johannes Eyroz dixit quod vidit Jacobum de Olon tenentem vicednatum Sedun.... annis citra pro tercia parte et in tertio anno tanquam hereditatem suam et Aymonis fratris suis. Item dnus Mauricius curatus de Grumesua dixit quod vidit Rodulphum de Olono tenentem vicednatum..... pro tertia parte in tertio anno tanquam hereditatem suam propriam, et tunc temporis ipse deponens erat paruus clericus. Item Perretus Soucer dixit quod vidit Jacobum de Olon nomine suo et Aymonis fratris sui tenentem vi-

[1] En blanc dans le registre.



cednatum Sedun. in tertio anno tanquam hereditatem suam et a triginta annis citra. Item Petrus de Venthona canonicus Sedun. dixit quod vidit Jacobum de Olon nomine suo et Aymonis fratris sui tenentem et exercentem jurisdictionem vicednatus Sedun. tertio anno pro hereditate ipsorum fratrum, vt communiter dicebatur, viditque ipsum Jacobum viantem in placito generali. Item dnus Petrus Escot canonicus Sedun. deposuit simili modo. Item Johannes Wandi clericus dixit quod vidit Rodulphum de Olon tenentem vicednatum de Olon et petentem in tertio anno et eum in dicto anno tertio in placito sedentem et ipsum placitum generale in Seduno tenentem. Ad premissas depositiones fuerunt testes rogati et vocati qui sic vocantur : vir nobilis Johannes dnus de Anniuesio, vir discretus dnus Guillermus de Sancto Germano curatus eiusdem loci, Perrodus Magy, Johannes Monmeliani, notarii predicti, Perretus Bachelar de ..... Johannes de Morestellis et plures alii. Et ego Gyrardus de Dallieto, etc. Et ego Johannes Monmeliani de Bacio, clericus, etc. Et ego Perrodus Magy, ciuis Sedun, etc.

Deprompta est presens copia a suo vero atque proprio originali nil addito neque remoto, exceptis vocabulis omissis que ob vetustatem legi non potuerunt.

Berodi not. J[es] Columbinus not.
Petrus Mercerius not.

1566

Réplique de Pierre, vidomne de Sion, contre les allégations d'Aymon d'Olon et de Guillaume de Morestel, au sujet des prétentions de ces derniers au tiers du vidomnat de Sion.

Sion, 1329, 13 juillet.

Archives de la ville de Sion.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°CCC°XX° nono, in-

ditione XII, die jouis post octabas apostolorum Petri et Pauli, in curia episcopali Sedun., vbi jus consueuit reddi, in presencia nostra notariorum et testium subscriptorum personaliter constitutis viro nobili Petro vicedno Sedun., ex vna parte, Aymone de Olono domicello, nomine suo, et Willelmo de Morestello domicello, nomine Marquisie et Johannete filiarum suarum, ex altera. Cum super jure dicto per reuerendum in Christo patrem ac dnum dnum Aymonem Dei et sedis apostolice gracia Sedun. episcopum dicto vicedno, ex vna parte, et predictis Aymoni et Willelmo nominibus quibus supra, ex altera, in causa regalie vertente coram dicto dno episcopo inter partes predictas, citasset dictus vicednus prefatos Aymonem et Willelmum nominibus quibus supra ad diem presentem ad faciendum ex parte dicti Petri vicedni quod debetur, prout dictus vicednus asserebat, die presenti dictis partibus personaliter comparentibus in dicta curia, produxit dictus vicednus quosdam testes, qui testes presente parte aduersa per se ipsos et per magistrum Rodulphum de Heruens examinatorem suum deposuerunt, ut in quodam alio publico instrumento manu mei notarii publici infrascripti confecto continetur. Quibus testibus productis et examinatis, ut moris est, ac renunciato per dictum vicednum omni alii probationi die hodierna faciende, opposite fuerunt ex parte dictorum Aymonis et Willelmi nominibus quibus supra contra dictos testes seu dicta eorum quedam exceptiones seu reprobationes, contra quas exceptiones seu reprobationes replicatum fuit ex parte dicti vicedni quod dicte exceptiones seu reprobationes non procedunt, nec valent multiplici ratione, prout inferius continetur. Et primo non valet, nec procedit id quod dicitur et opponitur ex parte dictorum Aymonis et Willelmi, videlicet quod testes non deposuerunt secundum formam juris dicti seu judicii, nam, salua pace proponentis, dicti testes deposuerunt secundum formam juris dicti, ut patet ex depositione eorum et ex



juris dicto. Item non valet dicta reprobatio quia non declarauerunt in quo in ipso juris dicto defecerunt. Item non obstat quod oppo...[1] est quod non valet examinatio facta per magistrum Rodulphum examinatorem dictorum testium pro eo quod dicitur instructus esse per Willelmum Bernardi super examinatione facienda, postquam incepit dictam examinationem. Item non valet oppositio facta quod testes fuerunt subornati et instructi per Willelmum Bernardi et per Franciscum Montellier, per dnum Willelmum Baron presbiterum et per dnum P. curatum de Bramosio et per Jacobum Albi, quia ille oppositiones non sunt vere. Item et pro eo non valent dicte oppositiones quod protestatum fuit in principio ante productionem testium ex parte dicti vicedni, quod sibi non fieret preiudicium, si per aliquem dicti testes turbarentur, inducerentur, tangerentur seu in aliquo instrirerentur. Quare si aliqua de predictis oppositionibus facta esset, non obesset ipsi vicedno ratione protestationis premisse, maxime cum ipse P. vicednus predicta fieri non fecerit nec mandauerit. Item quia ipsi non declarauerunt personas subornatas seu testes subornatos. Item non preiudicat dicto vicedno illud quod dictum est contra Petrum de Saxon, Petrum de Montana, Petrum de Venthona, Jacobum de Gissynez et Johannem Yvolna, quod non preiudicat eorum depositio ipso Aymoni, pro eo quod deposuerunt quod dictus vicednus fuit inuestitus, saluo jure dni et alterius, èt sic eorum depositio non preiudicat juri dicti Aymonis, salua pace proponentis, illud non releuat dictum Aymonem nec dicto vicedno preiudicat, quia dicti Aymo et Willelmus non probauerunt quod aliquod jus habeant in vicedominatu Sedun. Item non valet quod oppositum est quod dicti testes non valent, licet deponant de possessione XXX annorum et amplius, pro eo quod asseritur ex parte dictorum Aymonis et Willelmi quod quedam chartra producta fuit eri in judicio, in qua dicitur contineri

[1] Parchemin rongé.



quod dnus Bonifacius quondam episcopus Sedun. inuestiuit a XXX annis citra dictum Aymonem seu Jacobum eius fratrem de tercia parte dicti vicedominatus, et quod probatum est quod Jacobus frater dicti Aymonis tenuit a XXX annis citra terciam partem dicti vicedominatus, salua pace dicti proponentis, dicta chartra fuit reprobata eri, quod illa inuestitura non valuit quia in ipsa chartra non continetur quod dictus dnus episcopus Bonifacius aliquod jus haberet in dicto vicedominatu, propter quod posset dictam inuestituram facere seu aliquam infeudationem, nec probatur per eam chartram nec etiam per testes seu aliter quod ipse dnus episcopus Bon. dictum vicedominatum possideret, et esto sine preiudicio dicti vicedni quod possideret, non sequitur quod in preiudicium dicti vicedni potuerit alium de eo inuestire uel infeudare, et si qua inuestitura seu infeudatio facta fuerit per ipsum dnum episcopum Bon., non valuit nec valere debuit in preiudicium dicti vicedni, cum sua interesset et intersit, cum ad hoc vocatus non fuerit et sic sibi obesse non debet, nec alios releuare, cum res inter alios acta aliis non preiudicat. Item quia in dicta inuestitura non interuenit cause cognicio. Item quia licet Jacobus frater dicti Aymonis recognouerit se tenere a mensa episcopali Sedun. dictam terciam partem, non propter hoc debebat inuestiri de dicta tercia parte, quia credendum non erat nec fides adhibenda recognicioni sue in preiudicium dicti vicedni, quia nullus ydoneus testis est in causa sua. Item quia dicta chartra est reprobanda pro eo quod in ea continetur quod dictus Jacobus recognouit se tenere terciam partem dicti vicedominatus a mensa episcopali, et dictus Aymo non dicit se habere jus in dicta tercia parte, nisi quoad medietatem, et sic per eam non probatur prout jus redditum, quia petitum fuit et propositum ex parte dicti Aymonis quod medietas dicte tercie partis tantum ad ipsum pertinebat, et ex parte dicti Willelmi nomine dictarum filiarum suarum fuit

propositum et petitum quod quarta pars dicte tercie partis ad dictas filias suas pertinebat tantummodo, et super hiis fuit jus redditum. Quare per ipsam chartram non probatur prout fuit petitum et jus dictum. Item si dicatur quod dicta inuestitura sit probata, tamen dicta inuestitura non fuit realis et verbalis, et idcirco non interrupit possessionem seu prescriptionem meam dicti vicedni corporalem et realem. Item non facit fidem seu probationem in preiudicium dicti vicedni dicta chartra, quia fuit contradicta in judicio per dictum vicednum coram dicto dno episcopo, de qua contradicione cauit dictus vicednus in manu dicti dni episcopi per Petrum de Montana clericum presentibus dictis Aymone et Willelmo, nec obstare potest quod est oppositum ex parte dictorum Aymonis et Willelmi, nominibus quibus supra, quod non admittitur probatio testium contra chartram, quia illud non est verum, et dato quod verum reperiatur, illud posset habere locum in vera chartra que non reprobatur et que non esset contradicta, sed quia dicta chartra est reprobata et contradicta, ut superius est expressum, idcirco non nocet nec nocere debet dicta chartra testibus seu attestationibus productis ex parte dicti vicedni. Item non obstat testibus seu attestationibus productis ex parte dicti vicedni quod est oppositum ex parte dictorum Aymonis et Willelmi, nominibus quibus supra, de instrumento compromissi producto die mercurii proximo precedenti continente compromissum esse factum, ut dicitur, inter dictum Aymonem et Jacobum eius fratrem et dnam Jacobam de Plantata, ex vna parte, et dictum vicednum, ex altera, quia de compromisso nulla fuit facta mentio in ipso juris dicto, quare pro non probato debet haberi, cum non fuerit super hoc jus dictum seu redditum et non in judicium deductum. Item quia arbitri electi in ipso compromisso nichil pronunciauerunt, audierunt seu cognouerunt, et quia dictus Aymo infregit dictum compromissum et formam eiusdem veniendo contra ipsum, clamam

faciendo de dicto vicedno super tercia parte dicti vicedominatus, de qua dicitur fuisse compromissum, non debet dictum compromissum eidem Aymoni prodesse nec dicto vicedno preiudicare, cum ipsum infregerit dictus Aymo, ymmo penam centum lb. incurrit in ipso compromisso contentam, et certum est quod per compromissum non interrupitur prescriptio, cum sit quedam facti extra judicialis narratio. Item non obstat quod est oppositum contra testes dicti vicedni seu dicta eorum, quia dictus Aymo fuit inuestitus de dicta tercia parte dicti vicedominatus, ipso vicedno sciente et non contradicente, quia dicta oppositio non valet nec valuit, ut superius est expressum, contra inuestituram, et licet dicatur ex parte dictorum Aymonis et Willelmi, nominibus quibus supra, quia dicta inuestitura fuit allegata et proposita ex parte eorum et non descolpata per dictum vicednum, illud non obstat dicto vicedno nec obstare debet eidem, cum omnia proposita et allegata per predictos Aymonem et Willelmum, nominibus quibus supra, fuerunt per dictum vicednum animo litem contestandi penitus denegata et sic legitime descolpata, et cum dicti Aymo et Willelmus citauerint dictum vicednum ad certam diem, videlicet ad diem mercurii proximam post octabam apostolorum Petri et Pauli ad faciendum quod deberent, et ipsi dicta die nichil probauerint quod dictus vicednus sciuerit dictam inuestituram, cum eisdem incomberet probatio et non ipsi vicedno, patet quod dicta oppositio non valet. Item non obstat quod oppositum est contra testes et dicta eorum productos ex parte dicti vicedni, quod dictus Bon. quondam episcopus Sedun. tenuit dictum vicedominatum a XXX annis citra, quia istud non nocet dicto vicedno, quia testes dicti vicedni deposuerunt concorditer quod ipse Petrus vicednus aut eius predecessores tenuerunt et possiderunt dictum vicedominatum plene per XXX annos et amplius continue, quod verum est, nam considerata data compositionis producte in judicio per dictum Ay-

monem patet quod predecessores dicti vicedni non solum XXX annis dictum vicedominatum possiderunt, sed possiderunt XL annis et plus, prout ex data dicte chartre colligitur evidenter, quia LXXVI anni postmodum transierunt a tempore dicte chartre, quare valet testimonium eorumdem. Item non obstat dicto vicedno dicta oppositio, quia dictum fuit per dictum Aymonem et Willelmum, nominibus quibus supra, in die juris dicti quod dictus dnus Bon. quondam episcopus Sedun. dictum vicedominatum possidebat et negatum per dictum vicednum, tamen non est et non fuit probatum per dictos Aymonem et Willelmum quod dictus dnus Bon. episcopus dictum vicedominatum detineret uel possideret, et posito quod dictus dnus episcopus Bon. dictum vicedominatum tenuerit, non propter hoc minus dnus dicti vicedominatus possessionem eiusdem retinebat et possidebat, cum dictus dnus Bon. episcopus nullum jus haberet detinendi dictum vicedominatum. Item non obstat quod est oppositum contra testes dicti vicedni per dictum Aymonem et Willelmum quod testes producti, qui sunt de Bramosio, de Nas, de Vernamiesi, de Heremencia, de Seduno, de Sauisia, de Chamoson et de Sirro non valent, pro eo quod dicti testes sunt homines dicti vicedni et quod sunt sue juridicioni subiecti, et quod eis supposuit bannum LX sol. et penam quod ferrent testimonium pro ipso vicedno, certe non valet dicta oppositio, quia non continet veritatem, maxime cum non nominauerunt personas hominum, cum non sint homines sui, nec eis aliquod bannum imposuerit siue penam. Et posito quod aliqui reperirentur fore sub juridictione sua, illud non obstat, quia tam de jure quam de consuetudine possunt ferre testimonium veritati pro eodem et contra eundem. Item non obstat quod fuit oppositum ex parte dictorum Aymonis et Willelmi, nominibus quibus supra, videlicet quod dictus vicednus non poterat pretendere excusationes seu desculpacionem... et exceptiones propositas contra suos testes,

cum dictas excusationes non proposuerit ante pulsationem vesperarum, quia dicte excusationes seu disculpationes tam de jure quam de consuetudine proponi possunt per totam diem, dum partes fuerint presentes, nec obstat de pulsatione vesperarum, quia si hoc esset, per hoc posset fraux committi, quia posset procurari per alterutram partem quod scicius pulsarentur, et sic pars posset fraudari. Item non obstat quod fuit oppositum ex parte dictorum Aymonis et Willelmi, nominibus quibus supra, contra testes et dicta eorum, videlicet Petrum de Saxon, Johannodum de Yvolna, Petrum de Venthona, Petrum de Montana et Jacobum de Gissiney, testes productos ex parte dicti vicedni, videlicet quod non expresserunt nomen episcopi inuestientis, nam, salua pace proponentis, istud non obest, quia dicti testes in suis testimoniis per se et eorum examinatorem sufficienter expresserunt quod dnus episcopus qui nunc est inuestiuit dictum vicednum de toto vicedominatu Sedun., prout in eorum testimoniis euidentissime continetur. Et de hiis omnibus precepit dictus vicednus nobis notariis publicis infrascriptis per nos sibi fieri publicum instrumentum. Testes ad hec fuerunt vocati specialiter et rogati Jacobus Albi, Willelmus Bernardi de Viuiaco, clerici, jurisperiti, dnus Willelmus Baron presbiter, Jaquerodus Vacherini de Sancto Mauricio clericus, Johannodus de Crista ciuis Sedun et plures alii. Et ego Perrodus dictus de Sancto Mauricio, clericus Sedun., auctoritate imperiali publicus notarius, etc.

Et ego Johannes de Ylletis, Sedun. dyoc., clericus, etc.

Et ego Franciscus filius quondam Jacobi Magistri ciuis Sedun, clericus, etc.

Et ego Vldricus de Sancto Mauricio Agan. clericus, etc.

Et ego Ansermodus filius quondam Martini Fabri de Leuca clericus, etc.

1567

Reconnaissance de Jean de Chassela en faveur de l'église de Saint-Martin de Géronde.

Randogne, 1329, 25 juillet.

Archives de Géronde, au séminaire de Sion.

* Notum sit quod ego Johannes filius quondam Willermi de Chassela recognosco me tenere in planum feudum ab ecclesia Sancti Martini de Gironda ea que sequuntur : primo duas fischilinatas terre sitas en Nochy, item vnam peciam terre que vocatur li Carro, circa duas fischilinatas, item dimidiam feschelinatam terre sitam en Buytet, et terciam partem vnius pecie campi site en Nay. In quibus peciis dicta ecclesia debet percipere la myehy, primo leuato semine, exceptisque rauissiis et paleis. Item duas seytoratas prati sitas eys Bargetes, de quibus debetur dicte ecclesie de Gironda duos sol. seruicii et quatuor sol. placiti et octo den. in die festi Pasce vel vnum agnum annuatim. Item vnam seytoratam prati sitam en Corlespina. Item vnum fischilinum ordei redditus super vnam murassy sitam en Chassela. Willencus de Coniour cartam leuauit. Actum apud Randogny, VIII kl. augusti, anno Dni M°CCC°XXIX°, imperio vacante, Aymone episcopante.

1568

Accord entre Jean, seigneur d'Anniviers, et Richard de Villette, époux de feue Isabelle, dame de la Bâtia de Granges, au sujet des possessions de cette dernière.

Granges, 1329, 7 août.

Archives de Valère, parchemin en mauvais état.

* Anno Dni millesimo CCC°XX° nono, indictione XII, VII die

augusti, in hospitio dicto de la Bastia de Granges, specialiter constituti nobiles viri Johannes dnus de Aniuesio, ex vna parte, et Richardus (de Vil)eta, Gebenn. diocesis, domicellus, vir quondam Ysabelle dne dicti hospitii de la Bastia, ex altera. Cum discordia verteretur inter dictos nobiles Johannem et Richardum super eo quod dictus Johannes petebat a dicto Richardo vsufructuario dicti hospitii de la Bastia de Granges ipsum Johannem dnum de Aniuesio mitti in possessionem corporalem rerum et bonorum omnium spectantium ad hospitium de la Bastia, ratione cuiusdam transactionis olim celebrate inter dictum Johannem dnum de Aniuesio, ex vna parte, et dnam Ysabellam de la Bastia predictam, quondam dnam ipsius hospitii, ac ipsum Richardum eius virum, ex altera; que quidem transactio facta est ratione cuiusdam donacionis facte dicto Johanni per dictam Ysabellam, prout in chartris cancellarie Sedun. continetur. Ad singula predicta per dictum Johannem petita respondebat dictus Richardus se minime teneri. Tandem post multas altercationes dicte partes per manum dni Aymonis episcopi Sedun. ac per arbitros, videlicet dnum Ebalum de Gresiaco sacristam ecclesie Sedun., Perronetum Sariodi canonicum ecclesie Sedun. et Petrum dictum de Montanna clericum, jurisperitum, hinc et inde electos, ad pacem deuenerunt in hunc modum. Videlicet quod dictus dnus de Aniuesio tamquam proprietarius pro se et heredibus seu assignatis suis habere debeat fidelitates et homagia omnium hominum hospitii et albergamenti de la Bastia, ita quidem quod, statim factis dictis fidelitatibus et homagiis dicto dno de Aniuesio, per ipsum dnum de Aniuesio debent dicti homines remitti cum omni jurisdicione, dominio et seruitute dicto Richardo, tanquam vsufructuario rerum dicti albergamenti, vna cum mero et mixto imperio, ad vitam dicti Richardi tantum, exceptis tamen hominibus contentis in venditione olim facta dno Francisco de Herdes quondam canonico

Sedun. et Aymoni de Herdes quondam fratri ipsius dni Francisci per dictam Ysabellam, de laude ipsius Richardi viri sui. Quorum hominum dictis fratribus venditorum fidelitates habere non tenetur dictus dnus de Aniuesio, nisi prius reemptio dictorum hominum per ipsum Johannem dnum de Aniuesio facta foret, ad quam reemptionem faciendam teneatur, si potuerit uel eciam voluerit, infra festum Paschatis proximo venturum, et facta reemptione dictus dnus de Aniuesio habeat in dictos homines omnimodas jurisdiciones, vsagia, redditus et seruitutes. Item teneatur dictus Johannes assetare dicto Richardo, ad vitam ipsius Richardi tantum, ad valorem exituum jurisdicionis hominum predictorum. Nomina autem hominum... qui dictas fidelitates et homagia fecerunt vt inferius continetur sunt hec. (*Numero quindecim.*) Qui quidem nominati fecerunt fidelitatem et homagium dicto Johanni; incontinenti factis fidelitate et homagio, omnes ipsos homines remisit dicto Richardo ad vitam ipsius. Item cum dicta Ysabella in vltima voluntate sua ad se retinuisset LX sol. Maur. annui redditus, ad hoc quod de ipsis facere posset suam plenariam voluntatem, idem dnus de Aniuesio tales donationes quales dicta Ysabella fecit in vltima voluntate sua de dictis LX sol. laudauit. Item cum dictus Richardus acquisierit a Willermo dicto de la Bastia de Granges quoddam viridarium, idem dnus de Aniuesio quittauit dicto Richardo quicquid juris petere posset in ipso viridario. Testes : dnus Ebalus de Gresiaco sacrista ecclesie Sedun., Perronetus Sariodi, canonici Sedun., Petrus de Canali de Leuca curatus de Heroens, Rodulphus de Nouocastro, Anthonius curatus de Gronna, presbiteri, Petrus de Montanna clericus, jurisperitus, Hotho de Berno, Stephanus de Prez, Petrus de Saxons, Willermus de Morestello, Johannes de Platea de Vespia, Perrodus de Morestello, Gothefreydus de Larchet, domicelli, etc.

Et ego... dictus de Pontallyaco clericus, etc.



1569

Le chanoine Rodolphe Robelini, prieur de Martigny, déclare avoir reçu 10 L. de Jean de Blonay.

Sion (vers 1329), 11 août.

Archives de Valère, Registrum Jo M(onmeliani).

Anno et inditione quibus supra[1], III idus augusti, Seduni, in domo Montisiouis de Seduno, in presencia, etc., constitutus dnus Rod. Robelini canonicus Montissiouis, prior ecclesie Martigniaci, confessus fuit et publice recognouit se integre habuisse et recepisse a Jo. Patini de Villanoua X lb. Maur. de termino Ascensionis Dni nuper preteriti de illo annuo redditu X lb. Laus. in quo vir nobilis. Jo. de Blonay condnus Viuiaci, dnusque de Jour, sibi tenetur principaliter, et dictus Jo. et Nycholetus eius frater tanquam fideiussores pro dicto nobili. Quittans, etc. Testes : Martinus de Lenz canonicus Montisiouis, rector dicte domus Montisiouis, dnus Vldricus de Nouilla vicarius de Sallion, etc., et ego Jo. etc.

1570

Aymon Leyro est nommé curé d'Ayent.

Sion, 1329, 19 août.

Archives de la famille de Torrenté, Registrum Perrodi de Sancto Mauricio.

Anno Dni M.CCC.XXIX, XIV kl. septembris, in curia episcopali Sedun. Cum ecclesia parochialis de Ayent vacaret per

[1] La date était inscrite au feuillet précédent, qui manque. Le premier acte daté qui suit est du 15 des calendes d'octobre 1329.

obitum dni Petri curati, cuius ecclesie presentatio pertinet ad priorem dicti loci, dnus Hugo prior prioratus de Clages, procurator prioris de Ayent, ad curam dicte ecclesie presentauit Aymonem filium Bosonis Leyro dAlba clericum Aymoni Sedun. episcopo, qui ipsum admisit ad regimen dicte ecclesie, presentibus dno Ansermo canonico Sedun., dno Petro curato de Heruens, capellanis episcopi, Johanne curato Sedun., Petro de Montana clerico, jurisperito, Johanne de Venthona domicello.

1571

Jacques de Billens, procureur de Perrod de La Tour, seigneur de Châtillon, délègue ses pouvoirs à Perronet du Port.

Sion (vers 1329), 6 septembre.

Archives de Valère, Registrum Jo. M(onmeliani).

Anno et inditione quibus supra[1], VIII idus septembris, Seduni, ante domum magistri de Cognia phisici, in presencia, etc., constitutus discretus dnus Ja. de Billens, procurator constitutus a nobili viro Perrodo de Turre dno Castellionis in Valesio, patrono ecclesie de Frouteinges, cum potestate substituendi, vt dicebat dictus dnus Ja., dixit et proponit coram me notario infrascripto, tanquam coram publica persona, quod cum ipse procurator cum potestate predicta constitutus, ut supra, super jure patronatus ecclesie predicte et super redditibus, exitibus et prouentibus dicte ecclesie exigendis, requirendis et recuperandis, suum fecerit procuratorem apud acta curie dni Sedun. episcopi Perronetum de Portu de Pullye, idem dnus Ja. ea que acta sunt per dictum Perronetum in predictis ratum habens atque gratum, protestatus fuit quod

[1] Voir la note qui accompagne le N° 1569.



animo intendit per sui comparitionem factam uel faciendam in iudicio uel extra dictum suum procuratorem ullatenus reuocari, sed ipsum procuratorem suum totaliter confirmat, consolidat et innouat, quantum potest de jure, etc. Testes: Jo. curatus de Mollens, Nycholaus curatus ecclesie de Vex, Hugonodus de Hospitali de Vico Prati Sedun. et plures alii, et ego Jo. etc.

1572

Les hommes qui habitent au-dessous de l'aqueduc de Lalden appartiennent à la paroisse de Viège.

Lalden, 1329, 20 octobre.

Cartularium ecclesie de Vespia, p. 105, N° lxxxvii.

Notum sit omnibus Christi fidelibus quod cum aliqualis discordia verteretur inter vener. viros curatos de Narres et de Vespia seu procuratores eorum, videlicet super juribus ecclesiarum suarum, scilicet quorumdam hominum residencium in territorio seu in confinibus de Laudun, scilicet zen Tennen et ibidem circumquaque residentibus sub aqueductu illorum de Laudun, conuenerunt pro predicta discordia quamplures probi viri et fidedigni ex vtraque parrochia, videlicet de Narres et de Vespia, tandem de voluntate vtriusque partis et rogatu et instancia procuratorum predicti curati de Vespia, scilicet dni Willermi et dni Johannis de Schouson, et ex precepto Petri de Staldum locum et vices maioris de Vespia tenentis jurauerunt supra sancta Dei ewangelia. Jurati et interrogati per predictum judicem, prout sequitur, Nicolaus salterus de Vespia, Petrus de Eycholtz, Jacobus de Laudona, Johannes Heinrici et Anthonius in Domo lapidea eiusdem loci, Johannes in der Ebin, Jo. Wala, Johannes ab Buli, Jo. Werolun et plu-

res alii fidedigni deposuerunt et dixerunt per juramenta sua, ut supra, quod semper viderunt et audiebant ab antecessoribus et senioribus ipsorum quod predicti homines habitantes et residentes sub aqueductu illorum de Laudun et supra et in illis terminis seu confinibus vbicumque illi de Laudun percipiunt decimas nomine et ex parte ecclesie de Vespia, et sunt etiam de jurisdicione maioris seu salteri de Vespia, tenentur et debent facere et soluere omnia jura ecclesiastica, quocumque nomine censeantur, ecclesie predicte de Vespia et ibidem debent recipere omnia sacramenta ecclesiastica, sicut veri parrochiani predicte ecclesie de Vespia. Ad hec fuerunt presentes vocati et rogati dni Waltherus vicarius de Schousun, Rudolphus Aspere, Waltherus de Baley, Petrus de Friburgo, omnes sacerdotes, etc. Actum apud Laudun, XX die mensis octobris, anno Dni millesimo CCCXX nono, imperio vacante, Aymone episcopante.

1573

Rodolphe, métral de Blouvignou, vend un cens à Amphélise d'Ayent.

Saint-Romain, 1329, 6 novembre.

Copia litterarum de Ayent, f. viij verso.

* Notum, etc., quod ego Rodulphus mistralis de Bliuignoch vendidi et finaui perpetue pro sex libris michi solutis dne Hanfelise vxori quondam Nantermi de Ayent domicelli et Francisco eius filio dimidium modium frumenti pulcri et receptibilis redditus annui in festo Omnium Sanctorum soluendum. Testes: dnus Petrus curatus de Ayent[1], Andreas clericus de

[1] D'après la charte N° 1570, Pierre curé d'Ayent serait mort avant le 19 août de cette année; il y a évidemment erreur dans la date de l'une des deux chartes.



Ayent, Johannes Lupi dou Laseret, Johannes Philippi de Sessonna, Petrus Descorberii et Vulliermus de Ayent qui, etc. Actum apud Sanctum Romanum, VIII idus nouembris, anno Dni M°CCC°XXIX°.

1574

Droits féodaux de Jaquette de Chamoson à Hérémence. — Plait général de ce lieu.

1329-1346.

Archives de Valère, Registrum Girardi Maioris de Daillon.

* Anno Dni, indictione, locis, diebus infrascriptis, singulariter ut infra constituti Jaqueta filia quondam dni Walteri de Chamoson militis et dne Agnetis dicte de Turre, coheredis quondam Willermi de Turre domicelli, vicedni apud Heremenci, ex vna parte, et feudatarii infrascripti, ex altera; dicti feudatarii ad requisicionem dicte Jaquete requirentis vice et ad opus sui et aliorum consortum suorum in feudis, vsagiis et juribus aliis infrascriptis confessi fuerunt se tenere a dicta Jaqueta, nominibus quibus supra, feuda infrascripta.

Suit la spécification des reconnaissances au nombre de 77; elles sont faites à Hérémence, du 22 septembre 1329 au 18 mai 1332. Plusieurs de ces reconnaissances sont suivies d'un renouvellement fait en 1340 en faveur de la même Jaquette, veuve de Nanterme de Colombier, donzel.

Ensuite se trouve l'article suivant:

Item sciendum est quod de voluntate residentium placiti generalis in mensse octobris, anno Dni M°.CCC°.XXX°, die XV dicti mensis, in cimisterio ante ecclesiam, recognitum et recordatum fuit per dictum Perracha, Petrum Mistralis, Walandum de Canali et Vldriodum Decimatoris, ad requisicionem

duorum placiti, videlicet Nantermi de Columberio domicelli, instantis pro se et consortibus suis in dicto placito, tam in parte ipsius Nantermi quam in parte vicedni Sedun., quod dicti dni placiti generalis, qui placitum generale tenere et exercere habent et debent in dicto loco quolibet mense maii et octobris, tam pro parte dicti Nantermi et suorum consortum quam pro parte Petri vicedni Sedun. et consortum suorum de dicto loco, de quo vicedominatu dictus Nantermus dicebat esse et esse debere suo nomine et dicte vxoris sue et ceterorum consortum suorum tam pro parte sua quam dicti vicedni Sedun. avantarius et vicednus. (Dicti dni placiti generalis) percipiunt et percipere debent semper in placito octobris certa recepta, quorum responsores seu feuda que debent sequuntur.

Les *recepta* pour le mois d'octobre sont au nombre de 13 et $^1/_2$, outre 30 deniers pour le foin.

Et sciendum est quod receptum valet in dicto mense duas tercines vini, quinque denarios pro carnibus et duos den. pro pane.

En mai il y a 12 et $^1/_2$ *recepta*.

Et sciendum est quod receptum valet in mayo duas tercines vini, octo den. in carnibus, duos den. in pane.

Item dicti electi recordati fuerunt quod dni de placito generali in quolibet dictorum mensium maii et octobris, durante quolibet mense et annis singulis, habent et habere debent juridicionem in ipsos residentes et eorum quemlibet, clamas et banna in causa cognita, si et in quantum predecessores ipsorum duorum et iidem dni hactenus habuerunt. Quam juridicionem siue exercicium juridicionis debet facere vice dnus dAremenci, clamas et banna cognita, ut consuetum est, marciare vbi debentur, et emolumenta inde prouenientia diuidere dni placiti et eorum consortes, prout diuidunt recepta predicta.

Actum apud Heremenciam, in cimisterio, anno Dni M°.CCC°. XXX°, XV die octobris.

Item sequitur de hiis qui ceperunt de nouo cartas ad censsam perpetuam a dicta Jaqueta et eius consortibus.

Ces nouvelles reconnaissances sont au nombre de 73; la première est du 3 juillet 1334 et la dernière du 15 mai 1346. Avant les deux dernières reconnaissances se trouve l'article suivant.

Quas quidem adcenssationes cuilibet feudatario factas dicta Jaqueta, tanquam heres quondam dne Agnetis filie Willermi de Turre, item Johannes de Orseriis ciuis Sedun. pro se et tanquam curator liberorum quondam Elice sororis sue et Johannodus filius dicte Elice, nomine suo et aliorum fratrum suorum, item Perrodus dictus Dauneres[1], tanquam heredes quondam Cristine sororis dicte dne Agnetis, tenorem presentis instrumenti confirmant, etc. Datum quoad dictam Jaquetam apud Chamoson, in domo sua, anno Dni M°.CCC°.XL°, XVIII die mensis octobris, presente Johanne filio dicte Jaquete; et quo ad dictos Johannem d'Orsseriis, Johannodum eius nepotem et Perrodum Dauneres, in ciuitate Sedun., anno Dni M°.CCC°.XXXV°, die XXII mensis nouembris, presente Aymone filio dicte Jaquete.

1575

Reconnaissance de Jacques Brios en faveur du doyen de Valère.

Sion, 1330, 13 janvier.

Archives de Valère, Extractus instrument. decanatus Valerie, Z, 6.

Anno Dni M°CCC°XXX°, idus januarii, Jacobus Brios maior de Morgia confessus fuit se tenere in feudum a dno decano

[1] *Alibi* : Perrodus dictus Daugneres, domicellus.

Valerie omnes decimas nascentium apud Staldun, Katzenluken, Milliachkem, Inbodeme et duas partes nascentium apud Vespiam, et quod dicte decime sunt de feudo homagii quod fecit et debet dicto dno decano Petrus de Staldon, recognouitque quod de dicto feudo debet dicto dno singulis annis sex sol. seruicii. Item recognouit quod tenet in feudum a dicto dno decano decimam vini quam percipit in parrochia de Vespia, et pro dicta decima debet annuatim in vindemiis dicto dno II modios vini ad mensuram de Vespia et IIII sol. seruicii. Actum in Seduno.

1576

Ordonnances d'Aymon, comte de Savoie, au sujet des Lombards de Saint-Maurice et de Saillon.

Chillon, 1330, 17 janvier.

Archives de la ville de Saint-Maurice.

Aymo comes Sabaudie dilectis fidelibus nostris balliuo et judici Chablaysii et Gebenn. ac castellanis Sancti Mauricii Agan. et Sayllionis, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, salutem et dilectionem sinceram. Graues querelas hominum et subditorum nostrorum castellianarum nostrarum Sancti Mauricii Agan. et Sayllionis nos noueritis recepisse, quod Lombardi casanas tenentes in castellaniis predictis multa grauamina eisdem inferunt, multaque exigunt et extorquent ab ipsis et in multis iniuriantur eisdem, que inferius describuntur. Super quibus nobis humiliter supplicarunt prouideri eisdem de remedio oportuno. Quare nos volentes dictos homines nostros et subditos in sua justicia confouere et ne a predictis Lombardis indebite opprimantur ac jura eorum et dictorum Lombardorum licite et honeste seruare, predictis

supplicationibus de remediis infrascriptis duximus prouidendum. In primis quia predictorum subditorum nostrorum querelis audiuimus quod Lombardi predicti differunt et recusant reddere instrumenta et litteras debitoribus suis, quamuis solutio facta sit eisdem, plerumque dicendo quod littere non sunt facte, et sic sequitur quod debitores soluunt debitum iterato, volumus et ordinamus quod quociens debitores informauerint se satisfecisse Lombardis predictis, quod compellantur summarie et de plano reddere predictas litteras uel instrumenta, que soluto debito inefficaces sunt apud eos. Et ne pretextu litterarum nondum confectarum differant restitutionem earum, volumus quod compellantur facere leuari litteras infra mensem post receptionem earum, justo impedimento cessante. Si tamen soluta maiori parte debiti debitor curauerit sibi reddi litteram vel instrumentum de debito, si de residuo competentem securitatem dederit debitor sub repetitione seu mentione expressa temporis precedentis obligationis, ita quod dictis Lombardis prerogatiua precedentis obligationis in sequenti obligatione reseruetur, eisdem debitoribus litteram vel instrumentum debiti precedentis reddere compellantur. Item quia predictorum hominum nostrorum querelis audiuimus quod dicti Lombardi bona debitorum suorum pro sibi debitis obligata ab ipsis emptoribus petunt vel vendicant per actionem ypothecarum vel modis aliis, licet decennium sit elapsum et licet sciuerint venditionem dictorum bonorum vel etiam pretium dictorum bonorum venditorum in totum vel in partem receperint, volumus et ordinamus quod, si post venditionem dictorum bonorum ignorantibus dictis Lombardis decennium sit elapsum, quod possessores exceptione prescriptionis decennii sint tuti, predictis Lombardis audiencia denegetur, nisi sit aliud rationabile quod obsistat. Si vero sciuerint distrahi dicta bona publice vel privatim, si de dicta priuata distractione certificati fuerint competenter et de sua obliga-

tione non fuerint protestati, aut si scienter precia dictorum bonorum distractorum in totum vel in partem receperint et de iure suo protestati non fuerint, volumus quod similiter in hiis casibus predictis Lombardis audiencia denegetur. Item quia predictorum subditorum nostrorum querelis audiuimus quod cum frequenter contingat quod dicti Lombardi ab emptoribus bonorum debitorum ipsorum Lombardorum precia recipiunt et recusant eis dare litteras de recepta, et deinde lapsu temporis ab ipsis emptoribus et possessoribus dictorum bonorum iterum eadem debita exigunt et extorquent, volumus et ordinamus quod dicti Lombardi in casu receptionis dicti precii ipsis emptoribus litteram de quittatione rei vendite vel de consensu prestito venditionibus dictorum bonorum, postquam scienter precia eorum receperint, tradere compellantur. Item quia audiuimus predictorum hominum nostrorum querelis quod officiarii nostri compellunt eos quos dicti Lombardi suos asserunt debitores, licet inde fidem non faciant per litteras vel instrumenta et absque eo quod confessi fuerint vel conuicti, hoc fieri tottaliter prohibemus, nec volumus quod ad simplicem assertionem dictorum Lombardorum aliquis compellatur, nisi de debito littere vel instrumenta sigillo curie nostre sigillate vel sigillata primitus ostendantur, vel nisi coram judice seu castellano vel deputato a castellano maxime in modicis quantitatibus sufficienter conuictus fuerit vel confessus. Item quia querelis predictorum hominum nostrorum audiuimus quod dicti Lombardi super mutuis que faciunt, quandoque notulas scribi faciunt in propriis papiris et rationibus dictorum Lombardorum per notarios, et solutis debitis asserunt se cancellare vel cancellasse seu cancellari fecisse notulas inde confectas, et inde lapsu temporis predictas notulas inefficaces effectas propter solutiones factas per debitores eorum, in publicam formam redigi faciunt et iterum jam soluta exigunt et extorquent, ordinamus et volumus vt eisdem

Lombardis et curie nostre juratis inhibeatur expresse ne in propriis papiris et rationibus dictorum Lombardorum alique notule seu abreuiature super ipsis debitis inscribantur, sed in propriis papiris et protocollis notariorum siue juratorum qui ipsas recipient, quas leuare debeant infra mensem post receptionem ipsarum justo impedimento cessante, vt supra. Item audiuimus quod cum debitores dictorum Lombardorum vel alii qui fideiussores nomine principalium debitorum tenentur eisdem, desiderant et requirunt ab eisdem Lombardis quod ostendant eisdem litteras vel scripturas continentes debita et obligationes eorum et se velle computare de sorte, interesse et pena promissis per eos et satisfacere de eisdem, quod dicti Lombardi varias et diuersas occasiones adinueniunt differendi predicta, vt sic ex maiori temporis transcursu maiores vsuras exigant, seu que pene nomine adhiciunt in obligacionibus eorum, ordinamus et volumus quod cum dicti Lombardi super premissis fuerint requisiti, si predicta facere distulerint, judex vel castellani Sancti Mauricii vel Sayllionis, cum super hoc ab ipsis debitoribus vel fideiussoribus fuerint requisiti, compellant predictos Lombardos vt computum et rationem faciant cum ipsis debitoribus et litteras suas, instrumenta atque rationes edant et satisfationes congruas recipiant ab eisdem. Hanc autem nostram ordinationem et omnia supradicta per vos balliuum, judicem et castellanos volumus et expresse precipimus attendi et inuiolabiliter obseruari. Datum apud Chillionem, die XVII mensis januarii, anno a natiuitate Dni M°CCC° tricesimo. Redd. litt. port.

Expedita per dnum in consilio presente dno abbate Sancti Mauricii et dno Ludouico.

Sceau rouge pendant, N° 63 des *Sigilli* de MM. Cibrario et Promis.

1577

Vente d'un Bréviaire.

Sion, 1330, 20 janvier.

Archives de Valère, Registrum E cancell. Sedun. f. xcix.

Ego Johannes dou Leysier de Bliuignoch vendidi pro LX sol. Maur. Willelmo de Ayent de Sancto Romano clerico quoddam breuiarium quod quondam fuit Petri de Cliuis quondam curati de Ayent, quod ipse emerat a dno Ebalo Huboldi canonico Sedun., quod quidem breviarium dictus curatus leganerat Bertholdo filio meo. Seduni, XIII kl. februarii, anno Dni M°.CCC°XXX°, imperio vacante, Ay. de Turre episcopante.

In recompensationem dicti breuiarii venditi predictus Johannes de Leysier dedit filio suo duas vineas.

1578

Ordre de l'évêque de Sion de forcer des cautions à donner des sûretés.

Sion, 1330, 6 mars.

Copia litterarum de Ayent, f. xv.

* Nos Aymo Dei et apostolice sedis gratia Sedun. episcopus notum facimus quod cum in causa regalie que vertebatur coram nobis inter Franciscum filium quondam Nantermi de Ayent domicelli, nomine suo et Amphelise de Ayent matris sue ac Margarete sororis ipsius Francisci, qui Franciscus cauit ydonee de stando juri, ex vna parte, et Perrodum Dueciez, ex

altera petitio talis facta est quod cum dictus Perrodus sit homo ligius dictorum Amphelise et eius liberorum et deliquerit erga ipsos in tantum quod ipse fuit condempnatus per ipsam dominam in quingentis lb. Maur. Qui Perrodus cum se posuerit ad misericordiam dicte Amphelise, et ipsa restrinxerit dictam suam condempnationem ad tercentum lb. soluendas per dictum Perrodum aut eius fideiussores Johannem de Venthona domicellum, Vullermodum de Sala de Aniuesio ac Perrodum de Ponte de Ridda; et cum dicti fideiussores nullam cautionem prestauerint, nos mandamus Johanni dno de Aniuesio ut compellat Vullermodum de Sala, et castellano nostro de Sirro ut compellat Johannem de Venthona ad tenendum pactum predicte Amphelisie de tercentum lb. predictis. Datum Seduni, die martis post Reminiscere, anno Dni M°CCC°XXX°.

Postmodum die mercurii sequenti Perrodus de Ponte cauit de stando juri super premissis.

1579

Isabelle, veuve de Borcard de La Roche, chevalier, vend une femme lige à Guillaume de Saint-Germain.

1330, 10 avril.

Archives de Valère, Registrum R. Cherita de Olono.

* Nos Jo. de Monthangio, judex in Chablassio pro dno Ay. comite Sabaudie, notum facimus quod nobilis dna Ysabella relicta dni Borcardi de Ruppe militis quondam et Jo. eius filius vendiderunt Guillermo filio Aymonis de Sancto Germano ciuis Gebenn. quondam, absenti, dictam Chausa de Verchisseri hominem suam ligiam cum liberis, successoribus, posteritatibus, abbergamento et tenemento ipsius, vna cum omni jure, juridicione, dominio, seruicio et omni vsagio, specialiter VII

sol. Maur. quos dicta Chausa debet annis singulis de seruicio annuali et hoc precio LX sol. Maur. Testes: Jonerodus mistralis, etc. Actum ante domum dictorum venditorum, X die aprilis, anno Dni M°CCC°XXX°.

Anno a natiuitate Dni M°CCC°XXXI°, IIII° die mensis januarii, predictus Guillermus de Sancto Germano titulo donationis facte inter viuos concessit Aymoni Roberti de Olono clerico quicquid juris eidem Guillermo acquisitum fuit in predictis venditis. Testes: dnus Raymondus de Sancto Germano rector domus Sancti Mauricii de Olono, etc.

1580

Guigon Lombard est reçu bourgeois de Sion.

Sion, 1330, 26 avril.

Arch. de la famille de Torrenté, Registr. Perrodi de Sancto Mauricio, notarii.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°CCC°XXX°, inditione XIII°, VI kl. maii, in ciuitate Sedun., in domo communitatis Sedun. sita prope magnum pontem, in presentia, etc., constitutis Petro barbitonsore et Willermo de Nas sartore, ciuibus, sindicis et procuratoribus et procuratorio nomine communitatis et ville Sedun., ex vna parte, et Guygone Lumbardo habitatore Sedun., ex altera, predicti sindici et procuratores, laudatione et consensu expressis Petri de Montana clerici, jurisperiti, Jacobi de Gissiney, magistri Johannis silurgici, Hugonis de Drona, Rodulphi et Nycholai de Heruens fratrum, Perrodi de Grimisua, Thomassini Lumbardi mercatoris, Johannis de Valeria, Willermi Erpo, Johannodi de Crista, Mathei de Brignon, Willermi Combloula, Romani de Nas, Johan-

nis Ardigo de Vex, Ansermodi Liornot, Willermodi de Miserier, Perreti Abandonaz, Ansermodi Lana et Martini Granchy, ciuium Sedun. assistentium predictis sindicis in negotio infrascripto, receperunt et associauerunt predictum Guygonem Lumbardum in omnibus bonis communibus dicte communitatis pro sexaginta sol. Maur. dictis sindicis, prout asseruerunt, integre persolutis. Qui Guigo jurauit super sancta Dei Euuangelia ad requisitionem predictorum esse bonus et fidelis dno episcopo Sedun., qui nunc est et qui pro tempore fuerit, et dicte communitati Sedun., et sequi vessilla dicte communitatis Sedun. quosciens opus fuerit et necesse, et quod secum non associabit aliquem nec aliquem contractum faciet per quem dicte communitati aliquod incommodum adferatur. Promisit insuper predicto juramento suo commodum et honorem dicti dni episcopi et dicte communitatis pro posse procurare, dampnum et incommodum euitare toto posse. Et de hiis omnibus preceperunt dicte partes mihi notario publico infrascripto per me sibi fieri duo publica instrumenta, ad opus cuiuslibet partis vnum. Ad hec fuerunt testes: Christinus dou Mayens sartor, Soffredus de Comba, Perrerius Manemberc faber, Willermus Juraz, Martinodus Cheurotin carnifex, Perretus de la Ruuina et plures alii, et ego Perrodus dictus de Sancto Mauricio clericus Sedun., auctoritate imperiali notarius publicus, predictis omnibus interfui, etc.

1581

uittance générale donnée par Reymond de Saint-Germain, chanoine de Saint-Maurice, aux hommes de la paroisse de Liddes.

Liddes, 1330, 26 mai.

Archives de Liddes.

Anno Dni M°.CCC°.XXX°, indicione XIIII^{a}, XXVI^{a} die mensis



maii, apud Liddes, in domo quondam Johannis mistralis dicti loci, dnus Reymondus de Sancto Germano canonicus Sancti Mauricii Agan. confessus fuit se habuisse integram solucionem de omnibus debitis in quibus homines parrochie de Liddes, ex parte communitatis dicte parrochie, sibi quoquomodo ante diem confectionis presencium tenerentur, faciens dictus dnus Reymondus Johannerio Darbeley recipienti ad opus dictorum hominum de predictis debitis quittacionem et pactum de vlterius non petendo. Testes: Johannes maior de Montheolo et Henricus filius quondam Johannis de Liddes, et ego Nicholaus Grossi vicedomgnus de Liddes, clericus et publicus notarius sacri imperialis palacii predictis interfui, ea per manum Johannis filii mei in coadiutorem michi dati scripsi et signo meo consueto signaui rogatus in testimonium veritatis.

1582

Concession à ferme des églises d'Ardon et de Chamoson.

Sion, 1330, 10 juillet.

Archives de la famille de Torrenté, Registr. Perrodi de Sancto Mauricio.

* Anno Dni M°.CCC°.XXX°, VI idus julii, in curia episcopali Sedun. Cum olim dnus Ebalus sacrista ecclesie Sedun., patronus ecclesie de Arduno, nomine nepotis sui Ebali de Montemaiori curati ecclesiarum de Arduno et de Chamoson, dedisset Willermeto de Bocza clerico apud Ardunum commoranti ad firmam et censum predictas ecclesias per tres annos elapsos in festo natiuitatis beati Johannis Bapt. nuper preterito pro XXX lb. Maur. singulis annis, idem curatus confessus fuit recepisse a dicto Willermeto plenam solutionem. Testes: Ansermus canonicus Sedun., etc.



1583

Testament de Jean de Thora, doyen de Sion.

Thora, 1330, 29 juillet.

Archives de Valère, F, 83.

* Anno Dni M°.CCC°.XXX°, indicione XIII, die vicesima nona mensis julii, apud Thoram, in domo dni Johannis de Thora decani Sedun., prefatus dnus decanus eger corpore suum testamentum condidit per modum qui sequitur. Elegit sepeliri in ecclesia Augustensi, si contingat eum decedere in dyocesi August., vel in ecclesia Sedun., si contingeret eum decedere in dyocesi Sedun. Item legauit ecclesie Valerie Sedun. suum antiphonarium nouum in duobus voluminibus et suum psalterium nouum. Item precepit super bonis suis que acquisiuit in dyocesi Sedun. vnam prebendam fieri ad honorem Dei et beate Marie Virginis et omnium sanctorum, et prebendarius ipsius prebende teneatur celebrare quater in egdomada et deseruire in ecclesia Valerie, prout alii prebendarii, et teneatur cantare in altari quod fondauit dnus Johannes de Romanomonasterio siue in alio, prout capitulum Sedun. ordinabit. Item ordinauit quod dnus Willelmus de Paterniaco capellanus suus predictam prebendam habeat in vita sua ; post vero mortem dicti Willelmi jus patronatus habeat dictum capitulum in eadem. Item legauit ecclesie August. viginti duos sol. annuales pro suo anniuersario. Item legauit dno Dyonisio de Thora canonico August. suum breuiarium ad vsum Sedun. et duodecim coclearia argenti. Item legauit cuilibet nepti sue non nubte, filie Perrodi de Thora quondam fratris suis, decem lb. Vianenses semel. In bonis suis infra dyocesim August. instituit heredes suos Johannem et Willelmodum nepotes suos



clericos, filios Perrodi fratris sui. In bonis autem mobilibus et actionibus existentibus in dyocesi Sedun. ordinauit exequutores suos pro predictis adimplendis in dicta dyocesi dnum Girardum decanum Valerie, dnos Franciscum de Yporegia et Johannem de Drona, canonicos Sedun. Item in bonis existentibus in dyocesi August. et alibi ordinauit exequutores suos dnum Guillelmum priorem Sancti Benigni August. et prefatum Dyonisium. Ego Anthonius de Morgia notarius hanc cartam scripsi.

Le doyen Jean de Thora est probablement mort le 16 octobre de la même année. C'est à ce jour qu'est fixé son anniversaire dans le *Liber anniversariorum* de l'église d'Aoste, ap. *Monumenta historiæ patriæ*, SS. tom. III, pag. 550.

1584

Rétrocession de l'office de partiteur des marchandises à Sion.

Sion, 1330, 26 août.

Registrum Perrodi de Sancto Mauricio.

* Anno Dni M°CCC°XXX°, indicione XIII, VII kl. septembris, ante horam nonam, in ciuitate Sedun., Nycholetus dictus Blattere ciuis Sedun. exposuit Willermo de Nas sindico et procuratori ciuitatis Sedun. quod Romanus de Nas ciuis Sedun. die presenti eidem Nych. dimiserat officium diuisionis seu de la partison ballarum bollonorum et aliarum mercanceriarum transeuntium per Sedunum, exercendum per tempus per quod dictus Romanus positus erat per dictam communitatem pro sex lb. et XI sol. Maur. soluendis per dictum Nych. dicte communitati. Dictus Nych. loco sui posuit Nycholetum de Heruens ad exercendum predictum officium.

1585

Martin de Châtillon, chanoine de Sion, prête hommage, au nom du chapitre, à l'évêque de Sion pour la chancellerie.

Valère, 1330, 1er octobre.

Archives de Valère, Registrum Jo. M(onmeliani); — D, 19.

Anno Dni M°.CCC°.XXX°, inditione XIII, kl. octobris, in choro ecclesie Valerie, conuocato ad sonum campane ibidem capitulo Sedun., in presencia reuerendi in Christo patris dni Ay. Dei et apostolice sedis gracia episcopi Sedun. ac mei notarii, etc., dictum capitulum vnanimiter et concorditer presentauit dicto dno episcopo quod parati erant facere fidelitatem in qua tenentur eidem pro cancellaria Sedun., quam alias fecerat Petrus de Venthona quondam canonicus Sedun. nuper defunctus, presentantes eidem dno episcopo dnum Martinum de Castellione canonicum Sedun. ad faciendum fidelitatem predictam; qui dnus Martinus dictam fidelitatem fecit dicto dno episcopo ad requisicionem dicti capituli pro cancellaria predicta. Dictus vero dnus episcopus fidelitatem predictam recepit et ipsum canonicum nomine dicti capituli de dicto feudo dicte cancellarie inuestiuit. Ad hec interfuerunt testes, videlicet vir nobilis dnus P. comes Gruerie, dnus Jacobus de Billens officialis Sedun., dnus Nycholaus de Chouson, dnus Jo. Muço, dnus Jo. Alethere, capellani, Johannes de Platea de Vespia, Willermodus de Grimisua et plures alii et ego Jo., etc.

Item ibidem anno, die et loco quibus supra, premissis presentacione, receptione dicte fidelitatis et inuestitura factis, vir ven. dnus Thomas cantor ecclesie Sedun. presens ibidem nomine cantorie sue contradixit expresse presentacioni, receptioni et investiture predictis. Testes qui supra.

1586

Le curé de Nas est dispensé de la résidence pour pouvoir continuer ses études.

Valère, 1330, 1er octobre.

Archives de Valère, Registrum Jo. M(onmeliani).

Anno Dni M°.CCC°XXX°, inditione XIIII, kl. octobris, in choro ecclesie Valerie, in presencia reuerendi in Christo patris et dni dni Ay. Dei et apostolice sedis gracia episcopi Sedun. ac capituli eiusdem loci, ibidem more solito ad dictam kl. octobris per sonum campane congregati, ac mei notarii, etc., constitutus Nycholaus de Ceruenz curatus ecclesie de Nas, cum dictus curatus molestaretur per dnum episcopum et capitulum predictos super eo quod ipsi dnus episcopus et capitulum dicebant dictam ecclesiam de Nas vacare de jure ex eo et pro eo quod dictus curatus a prouisione sibi de dicta ecclesia facta infra annum non fuerat ad ordines sacros promotus, item pro eo quod infra dictum annum idem curatus non fuit ad studia generalia in quibus studuisse debuisset; dicti eciam dnus episcopus et capitulum audita excusatione dicti curati super premissis et recepta, vt dicebant, informatione ab ipso curato de promotione sua ad ordinem subdyaconatus infra dictum annum et de studio in arte grammaticali, qua indigebat adeo quod per ipsam posset postmodum in jure proficere, per litteras patentes et sufficientes ad probationem dicte excusationis ipsius curati, habitaque super hiis deliberatione cum peritis, inuenientes dictum curatum sufficienter esse excusatum super premissis propositis, ut supra, contra ipsum, remiserunt dicti dnus episcopus et capitulum penitus, vnanimiter et concorditer dicto curato recipienti quicquid hactenus

usque in diem presentem in premissis et super premissis deliquisset, precipiendo eidem curato quatinus ipse ex nunc in antea faciat et compleat quod debebit. Testes ad hec interfuerunt vocati et rogati illustris vir dnus P. comes Gruerie, dnus Jacobus de Billens officialis Sedun., dnus Nycholaus de Chouson, dnus Jo. Alethere, capellani dicti dni episcopi, Johannes de Platea de Vespia et Willermodus de Grimisua familiares eiusdem dni episcopi, et ego Jo., etc.

1587

Perception des premiers fruits d'une prébende après la mort d'un chanoine.

Valère, 1330, 1er octobre.

Archives de Valère, D, 19.

In nomine Dni, Amen. Anno eiusdem M°CCC°XXX°, inditione XIIII, kl. octobris, in choro ecclesie Valerie, congregato ibidem capitulo Sedun. ad sonum campane more solito, cum per mortem ven. viri Guidonis de Montagn(iaco) quondam canonici Sedun. vacauerit in ecclesia Sedun. prebenda quam tenebat idem Guido, et fructus dicte prebende secundum statutum ecclesie Sedun. debeantur fabrice ecclesie predicte Sedun., videlicet primi fructus defuncto et secundi fabrice, dnus Martinus de Castellione canonicus et procurator capituli Sedun. nomine dicti capituli elegit taxacionem fructuum dicte prebende percipere et residuum fructuum dicte prebende canonico cui dicta prebenda debebitur dimittere, si residenciam faciat in ecclesia Sedun. Item Johannes de Drona canonicus Sedun. executor et nomine executorio dicti canonici similem electionem fecit de istis primis fructibus qui in dicta prebenda colligentur, cui defuncto debentur secundum statutum ecclesie

Sedun. supradicte. Ad hec autem interfuerunt testes vocati et rogati, scilicet vir nobilis dnus Petrus de Grueria comes, etc., et ego Johannes Munmeliani de Bacio clericus, etc.

1588

Daniel Provana, chanoine de Sion, est mis en possession d'une prébende vacante.

Valère, 1330, 1er octobre.

Registrum Perrodi de Sancto Mauricio.

Anno Dni M°.CCC°XXX°, die lune prima octobris, in choro ecclesie Valerie, presente capitulo, Franciscus de Viuiaco curatus de Leytron, procuratorio nomine Danielis filii Martini Pronana canonici Sedun., in possessionem prebende vacantis per mortem Guidonis de Montagnie quondam canonici Sedun. positus est a Johanne de Herdes presbitero, rectore altaris Sancti Silvestri in dicta ecclesia Sedun., subexequutore deputato a fratre Rodulpho abbate Sancti Michaelis de Clusa, exequutore a sede apostolica deputato super gratia dicto Danieli facta de prebenda ecclesie Sedun.

1589

Usages dus par le métral de Massonger au vidomne du même lieu pour le repas du jour où se tient le plait.

Massonger, 1330, 22 novembre.

An. Jos. de Rivaz, Opera hist., XIII, 37, ex arch. nobilium de Vantery, ex Montheolo.

In nomine Dni, Amen. Anno ejusdem millesimo tercentesimo trigesimo, indictione III, die XXII mensis novembris,

apud Massongier, Sedun. diocesis, in grangia curie dicti loci, coram me notario publico et testibus infrascriptis, propter infrascripta specialiter constitutus Hugonetus de Montheolo domicellus, vicednus dicti loci de Massongier, dnusque placiti generalis ejusdem loci nomine suo et consortum suorum dicti placiti, ex una parte, et Cecilia mistralisa de Massongier, tanquam adventeria nomine suo et consortum suorum usagia et tributa dicti placiti debentium ex altera. Dicta Cecilia non vi, non dolo, sed sponte, etc., nomine suo et dictorum consortum, faciendo declarationem tributorum, usagiorum et jurium in dicto placito pertinentium, ad instantiam et requisitionem dicti vicedni stipulantis nomine suo et dictorum participum suorum, confessa fuit et publice recognovit per suum corporale juramentum quod ipsa tanquam advanteria et dicti consortes sui debent et tenentur et solvere consueverunt quolibet anno in prandio dicti placiti dicto vicedno et consortibus suis condnis dicti placiti, primo videlicet octodecim panes albos, scilicet quemlibet panem valentem unum denarium Maur., item duodecim quarteronos vini boni et puri albi, ita quod gustato dicto vino per eumdem vicednum aut ejus nuntium, si illud sibi non placuerit, quia forte non sit sufficiens, debent de alio bono vino albo meliori confestim in dicto prandio administrare. Item debent in dicto prandio unam bonam cossiam vacce ad voluntatem et acceptationem dicti vicedni, item unum verrucum porci valoris sex denariorum, item unum salyquonum salis, item unum eminale raparum, item unam focatam castaneorum, ad dandum in sede placiti vicedno et curie sue. Itemque debent administrare ligna ad coquendum prandium dicti placiti et administrare mensam, mappam, cuellerias et alia necessaria in dicto prandio dicti vicedni et consortum suorum condnorum dicti placiti. Item quod debent de dicto vino dare potum in sede dicti placiti cum castaneis. Item quod debent dicto vicedno in dicto

placito et aliis consortibus suis condnis dicti placiti octodecim den. de recepto in dicto placito, aut duplum postquam a sede dicti placiti fuerint levati, etc. Item confessa fuit et publice recognovit ibidem dicta mistralisa, tanquam advanteria ut supra stipulans, etc., quod dictus vicednus in dicto prandio dicti placiti debet venire se tertio et vocare et adducere secum quem voluerit; item heredes Johannis de Bacio se tertio; item Henricus de Montheolo se tertio; item ipsi venire debent ita quod sint tres in dicto prandio. Et recognovit, ut supra, secundum quod solitum est fieri in prandio dicti placiti totis temporibus retroactis, tam per dictum vicednum, etc., quam per tributarios et debitores usagiorum predictorum. Ad hec fuerunt testes vocati et rogati Johannes Majoris, etc., et ego Girardus Quartery de Sancto Mauricio notarius, etc.

1590

Hommage prêté au doyen de Valère par Jean d'Embd.

Sion, 1330, 15 décembre.

Archives de Valère, Extractus instrum. decanatus Valerie.

Anno Dni M°CCC°XXX°, XV decembris, cum Johannes filius Johannis ab Embda, parrochie de Vespia, emerit ab Anthonio et Agnete et Anthonia liberis Johannis de Grenkon dimidiam decimam que colligitur apud Emda et fructus dicte dimidie decime cum juribus eiusdem, cuius confines secuntur a loco dicto Sede superius et tendit ad summum montis de Emda, et tendit a parte occidentali versus Chauson vsque ad aquam que dicitur Ionybach, et ex alio latere vsque ad aquam que dicitur Seroyendebach, cum duobus dimidiis rascardis, quorum vnus

jacet zem Recon, alius supra saxum, et quarta parte vnius grängie site am Selbe quem et quas dicti venditores et quondam Andreas de Staldum ac heredes et assignati dicti Andree habebant in predicta dimidia decima, et vendicionem predictam laudauerit dnus decanus Valerie, de cuius feudo homagii ligii predicta omnia moueri dignoscuntur, prefatus Johannes de Emda confessus fuit quod predicta omnia sunt de feudo homagii ligii predicti dni decani, in quo homagio tenetur eidem dño decano Peterlinus de Staldon, et recognouit quod predicta omnia sunt de feudo homagii ligii dicti dni decani sub homagio dicti Peterlini. Actum Seduni.

1591

Donation de Simon de Senis en faveur d'un autel à construire à Géronde.

Sion, 1331 (1330), 29 décembre.

Archives de Géronde, au séminaire de Sion.

* Notum sit quod ego Symon dni Jacobi de Senis, familiaris dni Aymonis Sedun. episcopi, infirmus corpore, inter cetera legata in meo testamento contenta feci legata et ordinationes que inferius continentur. Elegi sepulturam meam in cimisterio de Gironda, in loco in quo fundabitur altare pro dnis meis de Turre, cui altari lego in augmentum dotis pro remedio anime mee campum meum qui jacet apud Bramosium et vocatur campus de sacristania, item quoddam torcular meum situm apud Comera, cum vinea contigua et tinis meis, item vineam meam sitam apud Comera, item campum meum deys Cheneueyres situm versus Comera. In quibus omnibus et in ceteris vniuersis in meo testamento contentis juribus et actionibus et bonis meis de quibus non ordinaui, instituo michi meum he-

redem vniuersalem predictum dnum meum dnum Aymonem episcopum Sedun. Testes: Nicolaus Binfa sacerdos, magister Franciscus medicus. Actum Seduni, IIII kl. januarii, anno Dni M°CCC°XXX° primo, imperio vacante, predicto Aymone episcopante.

1592

Supplique adressée au pape Jean XXII par Aymon, comte de Savoie, Humbert Dauphin et la Dauphine de Viennois en faveur de Pierre Sariod pour qu'il soit maintenu dans la possession du décanat de Sion.

(1330.)

Archives de Valère.

Significant S. V. devotissimi filii uestri Aymo comes Sabaudie[1] et Humbertus Delphini ac filia uestra deuota Dalphina Viennensis quod dudum, pontificatus uestri videlicet anno quarto[2], volentes dilecto eorum Petro Sariod canonico Augustensi gratiam facere specialem, eidem de canonicatu ecclesie Sedun. cum plenitude iurium canonice prouidistis, prebendam vero necnon dignitatem, personatum, uel officium cum cura uel sine cura, si que, si qui, uel si qua in dicta ecclesia tunc uacabant, uel cum simul aut successiue uacarent, conferendas uel conferendos seu conferenda dicto P. cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, cum acceptationis clausula, per uestras certi tenoris litteras reseruastis, non obstante quod canonicatum et prebendam in ecclesia Augustensi obtineret, sicut adhuc obtinet, certis sibi super hoc per alias uestras litteras

[1] Edouard, comte de Savoie, mourut le 4 novembre 1329 ; son frère Aymon lui succéda immédiatement.

[2] L'an 4 du pontificat de Jean XXII court du 5 septembre 1319 au 4 septembre 1320.

executorias deputatis, quarum litterarum auctoritate idem P. in dicta ecclesia Sedun. in canonicum receptus fuit et in fratrem, et prebendam in ea postmodum uacantem pacifice extitit assecutus, quodque nuper decanatu eiusdem ecclesie Sedun., cui cura imminet animarum et uerbi dignitas existit, per obitum quondam Johannis de Thora canonici et decani eiusdem ecclesie[1] in illis partibus decedentis uacante, idem P. qui dignitatem in dicta ecclesia per decennium et amplius per uestras litteras, ut prèmittitur, expectarat, decanatum predictum tanquam uigore dictarum litterarum uestrarum sibi debitum infra tempus debitum acceptauit, seque per dictos executores suos in eius corporalem possessionem fecit induci, ipsumque per spatium duorum mensium uel circa pacifice possedit et quiete, presentibus et scientibus dnis episcopo et capitulo Sedun. et Jacobo de Bilens officiali episcopi memorati. Verum quia nuper ad eiusdem P. peruenit auditum S. V. ad prefati dni episcopi precum instantiam, asserentis uos canonicatum et prebendam ac decanatum predictos quos dictus J. in dicta ecclesia, dum uiueret, obtinebat, ante acceptationem et prouisionem huiusmodi dicto P. factam, de decanatu predicto reseruasse et per reseruationem huiusmodi eos in uestre existere manibus Sanctitatis et de illis dicto officiali prouidisse, humiliter supplicant comes, Humbertus et Delphina prefati, quatenus de uestra solita clementia misericorditer attendentes quod idem P. per decennium et amplius in dicta ecclesia Sedun. dignitatem extitit expectans, non absque magnis laboribus et expensis, et quod ad magnam confusionem suam cedet si decanatum predictum sibi penitus ignaro de reseruatione uestra huiusmodi, si qua forsan facta fuit, auctoritate dictarum litterarum uestrarum eidem P. collatum, et quem per spatium duorum mensium uel circa, ut

[1] Probablement le 16 octobre 1330. Voy. le document N° 1583, pag. 567.

premittitur, possedit pacifice et quiete, ac palam et publice habitus fuit in dicta ecclesia et tota patria pro eiusdem ecclesie decano, dimittere eum oporteat, pretextu reseruationis predicte, dignemini intuitu Dei, dicta reseruatione uel collatione quacumque facta cuicumque de illo nequaquam obstante, eidem P. decanatum predictum auctoritate apostolica ex certa scientia confirmare, non obstantibus beneficiis suis predictis et omnibus non obstantibus et clausulis oportunis et executoriis, presertim cum dictus P. de nobilibus duxerit originem.

Vel saltem si dicta S. V. premissa facere forsitan recusaret, saltem dicto P. predictorum supplicantium interuentu de aliquo ecclesiastico beneficio in uestris manibus existente, prout S. V. uidebitur dignum prouidere, cum non obstantibus supradictis et clausulis oportunis et executoriis.

Item supplicant quod trans. sine alia lectione.



SUPPLÉMENT

1594

François de Monjovet vend un cens à l'évêque de Sion.

Sion, 1309, 4 mars.

Archives de Valère, Extracta registrorum cancellarie Sedun.

Franciscus filius quondam Aymonis de Moniouet de Granges domicelli, laudacione Nantelmi de Ayent tutoris sui, vendit pro X lb. dno Ay. episcopo Sedun. XX sol. Maur. redditus annui quos sibi debebat Aymo de Grisier maior Sedun. super vinea sua dicta Plantata de la Tor, sita in Pellier. Datum Seduni, IV nonas marcii, anno Dni M°CCC°IX°.

Istos XX sol. legauit idem dnus Aymo pro anniversario dni Bonifacii Sedun. episcopi[1].

1595

Hommage prêté à l'évêque de Sion par Thomas Warnéry.

Naters, 1311, 5 novembre.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Thomas Warnery de Monasterio facit homagium ligium episcopo Aymoni ratione concordie super homicidio per eum co-

[1] Voy. plus bas le N° 1612.

misso Walteri filii hospitis de Richingen, I lb. piperis servitii. Item remisit omnia bona acquisita et acquirenda, que episcopus recepit et iterum in feudum remisit Thome pro supradictis seruitiis. Apud Saxum de Narres, nonas novembris, 1311.

1596

Peine infligée à Péterlin d'Aoste.

1312, 7 octobre.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

Infamatus in scriptis propter falsum commissum N. Peterlinus filius Petri de Augusta militis, in carcere detentus in castro de Seya, dictus Peterlinus remisit episcopo Aymoni feuda et homines ligios apud Ropanum (vel Rossanum?) cum jurisdictione. Nonas octobris, 1312.

1597

Vente faite par le chanoine Jean Herpoz à Cécile, veuve de Rodolphe de La Tour, donzel.

(Vers 1312.)

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Johannes Erpos canonicus Sedun. vendidit pro VI lb. et XI sol. Maur. Cecilie vxori quondam Rodulphi de Turre domicelli, nomine dotis sue, quedam vsagia et seruicia que dnus Johannes de Novilla curatus de Arduno aliax a quondam Rodulpho

predicto, et eadem vsagia michi consequenter vendiderat dictus dnus Johannes de Novilla.

Nota quod dicta Cecilia legauit clero pro anniversario suo predicta vsagia.

1598

Accord entre le chapitre de Sion et François de Greysier, major de Sion, au sujet d'un legs de Girold de La Tour.

(Vers 1312.)

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Notum quod cum discordia verteretur inter dnum Ebalum Huboldi canonicum Sedun., procuratorio nomine capituli Sedun., ex vna parte, et Franciscum de Grisier maiorem Sedun., ex altera, super eo quod dictus dnus Ebalus dicebat quod nobilis vir dnus Giroldus de Turre quondam miles, auus dicti Francisci, legauerat in suo testamento XV sol. Maur. singulis annis in suo anniuersario diuidendos, item V sol. censuales pro vna lampade coram altari B. Marie in ecclesia inferiori ministranda. Quare petebat medietatem dicti legati a dno Francisco maiore, tanquam herede pro medietate dicti Giroldi; dicto Francisco dicente pluribus de causis ad hoc minime se teneri. Tandem dicta discordia sedata est in hunc modum, quod dictus Franciscus maior promisit dicto procuratori ex causa predicta soluere X sol. Maur. annuatim in festo B. Martini yemalis dicto capitulo uel mistrali dicti capituli pro lampade et anniuersario supradictis. Vice versa dictum capitulum promisit dicto Francisco ex tunc in antea facere dictum anniuersarium et dictam lampadem ad dictos V sol. ministrare.

1599

Le donzel Aymon de Morestel vend diverses possessions à Jean Herpoz, chanoine de Sion.

(Vers 1312.)

Archives de Valère, Extracta registr. cancel. Sedun.

Aymo de Morestello de Granges domicellus vendidit dno Jo. Herpo canonico Sedun. plures possessiones existentes in territorio de Granges; quas possessiones statim idem dnus Jo. predicto Ay. remisit in feudum pro XL sol. Maur. annui redditus, et ipsos assignauit super pluribus possessionibus existentibus in territorio de Granges.

1600

Thomasset Gras du Châtelard reconnaît tenir en fief de l'évêque de Sion tout ce qu'il possède à Isérables.

1313, 26 décembre.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II.

In ciuitate Sedun., in curia episcopali, in presentia D. Aymonis episcopi constitutus Thomasetus Gras dou Chastellard de Vaudagny, in valle August., domicellus, confessus est se tenere in feudum homagii ligii ab ipso D. episcopo et mensa episcopali Sedun., salua prius fidelitate D. comitis Sabaudie et fidelitate cuiusdam alterius dni post ipsum D. comitem, quidquid tenet in villa et in territorio de Iserablos, scilicet omnes homines de Iserablos, tallias, banna, clamas, freverias, nemora, aquas, pascua, iures nigras, jurisdictiones, dominium,

merum et mixtum imperium et omnia que in dicta (villa) tenet, de quibus debet dicto dno episcopo una cum homagio 60 sol. de placito. 6 cal. decembris, 1313[1].

1601

Accord entre le chapitre de Sion et Jean de La Tour.

(Vers 1313.)

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Concordia facta inter dnum Jo. Boneti canonicum Sedun., nomine procuratorio capituli Sedun., ex vna parte, et nobilem virum Jo. de Turre, ex altera, in qua continetur quod dictus Jo. de Turre dedit capitulo in solutionem quatuor mod. siliginis annui redditus percipiendorum, vna cum duobus aliis modiis quos percipit dictum capitulum apud Heroens, duos scilicet apud Bramosium quos debebat quondam Anthonius li Proz, et XXII fisch. quos debet Perretus Decimator de Vsogny.

1602

Vente d'une maison par Jean de La Tour, seigneur de Châtillon.

1313.

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Ego Jo. de Turre domicellus dnus Castellionis in Vallesio vendidi pro XL lb. Maur. Johanni 'de Drona clerico jurispe-

[1] Cet acte est déjà indiqué plus haut, pag. 239, N° 1361, mais d'une manière insuffisante.

rito domum meam quam emi a Johanne de la Cresta de Grimisua, que quondam fuit dni Reynaldi de Martigniaco militis, cum suis pertinenciis tam grangie quam curtine, etc. Que domus jacet in civitate Sedun., inter viam publicam tendentem retro ecclesiam B. M. Sedun., ex vna parte, et domum Johannis Herpo canonici Sedun, etc.

1603

Vente d'un cens par Pierre, vidomne de Sion.

(Vers 1313.)

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Ego Petrus vicednus Sedun. vendidi pro XXVI lb. Johannete sorori dni Nycholai Binfa sacerdotis de Sedun L sol. Maur. redditus annui de illis redditibus in quibus michi tenentur homines mei de Miserie, super totali feudo quale tenent a me.

Alibi: Johanneta relicta Johannis de Sirro, sororque dni Nycholai Binfa.

1604

Donation en faveur de l'hôpital de Saint-Georges à Sion.

(Vers 1316.)

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Cristinus de Husogni faber ciuis Sedun. dedit hospitali Sancti Georgii per ipsum edificato IIII lb. Maur. redditus super certis rebus contentis in eius testamento.

1605

Jean de La Tour, seigneur de Châtillon, promet à Léopold, duc d'Autriche, de le secourir contre les Waldstetten et Berne.

Soleure, 1318, 24 septembre.

Tschudi, *Chronicum helveticum*, I, 288. — *Soloth. Wochenblatt*, 1818, pag. 211.— Kopp, *Urkunden zur Geschichte der eidgenössischen Bünde*, I, 188.

Jch Johans vom Turne, Herre ze Gestelon in Wallis, Veriehen aller menlich an disem Brief daz ich gesworn han, ze den Heiligen, einen gestabten Eid, daz ich helfen sol den Hochgeborn Fuersten, Herzog Lupolt von Oesterrich, vnd sinen Bruederen, gegen den Waltsteten mit Driu Tusent mannen miner Lut, an alle geuerde, si sien min oder miner dienere, vnd ist dazz min Herre Herzog Lupolt an mich vordernt oder ieman von sinen wegen, so sol ich Dru Tusent dar zvo fueren, wez die sint, oder wa ichs gewinne, alz dicke, vnd er ez, oder sin gewisse boten, an mich vordernt, oder an mich muetent, also daz mir der vorgenant Herzog Lupolt Drv Tusent man verkosten sol so ich sv fueren sol, mit der bescheidenheit, alz der Graf Eberhart von Nellemburg, Ruodolf von Arburg vnd Volrich von Bulliken dez selben Herzogen Hofmeister heissent, oder alz ich selb bi minem Eit behabe, daz ich sv spisen moechte vnd sol ouch dez gebunden sin ze den ziten, alz « er die Waltstet an andern steten den von minem Lande noetten wolte, alle die wil vnd er vnd » die Waltstet vnuersuent mit einander sint vmb den Krieg der sich ietz zwischent in erhaben ist. Ich bin in ouch gebunden bi dem selben Eide gegen Bernnern ze dienen, mit zehen Helmen, vnd mit aller macht, vnd ich hie derhalb dez gebirges han, ouch den krieg vs der sich ietz zwischent in erhaben hat, swenne

ich von in oder sinen gewissen boten dar vmb gemant wirt. Ich han ouch vsgenomen daz ich im mit namen gegen Bernnern nicht lenger gebunden bin, ze dienen, denne zwischent hinnen vnd sand Martins tag, vnd von dannen fier gantze Jar. Jch han ouch vsgenomen daz ich dem von Wissenburg vnd miner Swester kint ir guot sol helfen, ze Schirmen. Vnd ze eim vrkuende der vorgeschriben dinge, ist der Brief besigelt mit minem Insigel, der ist gegeben bi Solotren vf dem Velde, an dem nehsten Suntag vor sand Michels tag, do man zalt von Kristes geburt Drutzehenhundert vnd Achtzehen Jar.

1606

Aymon d'Ollon prête hommage à l'évêque de Sion pour le tiers des vidomnats de Sion et de Chouson.

1320, 2 mars.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II, ex libro Vespie.

Aymo filius Rodolphi de Olon domicelli fecit fidelitatem ligiam episcopo Bonifacio pro $^1/_3$ parte vicedominatus Sedun. et de Chouson, quas recognovit frater suus Jacobus et inde debere 4 lb. placiti cum hominio. 6 nonas martii, 1320.

Il y a erreur ou dans le nom de l'évêque ou dans la date.

1607

Legs de Jaquème, épouse de Guillaume de Morestel, en faveur du chapitre de Sion.

(Vers 1320.)

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Ego Jaquema vxor Willermi de Morestello, sana mente, etc.,

do et lego capitulo Sedun. dimidium modium siliginis redditus, qui michi debetur super et de domo maiorum Sedun., sita sub lobiis.

1608

Legs de Cécile, veuve de Rodolphe de La Tour, donzel, pour son anniversaire.

Sion, 1321, 31 août.

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Nota in eodem registro (cancellarie) VI den. seruicii et V sol. placiti per Ceciliam relictam Rodulphi de Turre domicelli matris (sic) Johannis de Turre legatos, ut credo, per dictam Ceciliam pro eius anniuersario.

Cecilia relicta Rodulphi de Turre, sana mente, legauit pro anniuersario suo VIII sol. annuatim, quos assignauit super X sol. qui sibi debentur per plures particulas in ciuitate Sedun.; ita quod si Johannodus filius eius nollet soluere dictum legatum, quem instituit heredem, illo casu capitulum possit habere recursum super dictis X sol. et rebus siue feodis pro quibus debentur. Datum Seduni, pridie kl. septembris, anno Dni M°CCC°XXI°.

1609

Franchises accordées à Saint-Brancher par Amédée IV, comte de Savoie[1].

Aoste, 1239, 20 juillet.

Archives de Saint-Brancher.

Anno Dni millesimo CC°XXXVIIII, indictione XII, tercio decimo kl. augusti, innotescat presentibus pariter et futuris

[1] Nous publions ici ces franchises, quoique ce ne soit pas leur place chronologique, afin qu'on puisse les comparer avec la rédaction postérieure de

quod nos Amedeus comes Sabaudie, in Ithalia marchio, prudentum et nobilium uirorum habito consilio, ordinamus et statuimus quod villa nostra Sancti Brancherii deinceps libertatis munere jocundetur et quod de cetero ab omnibus exactionibus indebitis immunis et libera habeatur. Volumus etenim quod libertas dicte ville Sancti Brancherii persistat prout sunt termini appositi, uidelicet a petra rotunda castri vsque ad fontanam Pyoulousa et usque ad summitatem pontis de Contaz de ultra et usque ad summitatem pontis Sancti Brancherii de ultra, et quod omnes habitantes infra dictos terminos et persistentes in dicta villa libera Sancti Brancherii non dent pedagium de aliqua sua propria mercatura in Villa noua nisi sale, nec etiam apud Sanctum Mauricium, nisi illud quod illi de Chablasio dare consueuerunt.

1. Precipimus quod nundine ibidem per tres dies post octabas beati Michaelis celebrentur, et quod forum semper habeant die jouis.

Et habitatores eiusdem ville libere nobis jura inferius scripta in perpetuum concesserunt.

2. Uidelicet quod corpora, opes latronum et proditorum voluntati dni comitis subiaceant.

3. Quicumque sanguinem effuderit, in LX solid. puniatur.

4. Qui cultellum aut ensem aut lanceam aut aliud gladium causa feriendi, in LX sol. puniatur.

5. Qui remanserit quando equitatio comitis bannietur, in LX sol. puniatur.

6. Qui periurium commiserit, in LX sol. puniatur.

7. Qui de pugno percusserit, III sol. persoluat.

8. Qui de palma, V sol.; excepto quod si sanguis emanauerit aliunde quam per nares uel os, in LX sol. puniatur.

9. Qui de baculo percusserit, LX sol. persoluat.

l'année 1322, qui se trouve sous le numéro suivant. Ce n'est que dernièrement que nous en avons eu connaissance.

10. Qui de lapide, LX sol. persoluat et semper leso satisfaciat.

11. Qui ignem apposuerit, sub misericordia dni subjaceat.

12. Qui lapidem uersus aliquem causa feriendi attraxerit, ita quod ictus appareat in terra seu pariete, in LX sol. puniatur.

13. Si fatuus homo uel fatua mulier, videlicet glutto uel glutta alicui probo uiro vel probe mulieri verba turpia seu contumeliosa dixerit uel fecerit, et ipse uir uel mulier alapam sibi dederit, a banno penitus absoluatur.

14. Si quis aliquem vel aliquam vna manu per capillos traxerit, in V sol. puniatur; si cum duabus in X sol.

15. Quicumque infra dictam uillam absque inquietatione aliqua per annum et diem moram fecerit absque contradictione alicuius, homo dni comitis sit.

16. Qui in nundinis ante pronuntiationem aliquid emerit vel vendiderit, si totum fuerit solutum, emptor et uenditor in LX sol. puniantur; arras uero dare possunt.

17. Qui uinum uendiderit infra bannum dni postquam fuerit pronuntiatum per XV dies, in LX sol. puniatur.

18. Qui uendent pannos tinctos aut merceriam in nundinis, IIII[or] den. dabunt.

19. Qui ceram aut telam portant in nundinis et uendunt, II den. dabunt.

20. Pro equo uel equa quatuor den.

21. Pro asino duos den.

22. Pro boue, vacca, porco, baccone I den. pro quolibet.

23. Pro quatuor minutis bestiis II den.

24. Et hoc est omni tempore et in nundinis et in foro.

25. Homines extranei dabunt I den. de omnibus que uendent in foro et nundinis.

26. Exceptis quod de piscibus recentibus habitans non debet istam leidam.

27. Si clamor factus fuerit de aliquo priuato seu extraneo, reus debet III sol.

28. Quociens mistrallis alicui fideiussoriam specerit[1], dare teneatur, verumtamen inducias unius diei habere poterit et si dare contempderit, pro quolibet die quo contempderit in tribus sol. puniatur.

29. Et si aliquis bannitus fuerit et fideiussorem dare contempserit et recesserit, in LX sol. puniatur.

30. Adulteri conuicti dno LX sol. dabunt.

31. Hereditas illius qui morietur in uilla libera absque herede seu parentibus, dni comitis sit, nisi que pro anima sua legauerit.

32. Qui intrauerit inuestituram alterius auctoritate propria, in LX sol. puniatur, dummodo querimonia deponatur.

33. Consuetudo extraneorum transseuntium et morientium infra uillam liberam, prout hactenus extitit, ita deinceps conseruetur.

34. Si quis auctoritate propria infra uillam liberam aliquem ceperit et sine precepto dni tenuerit, LX lb. donet.

35. Qui latronem inuenerit, ipsum, si poterit, accipiat, si celauerit, misericordie dni subiaceat. Et si capere non poterit et ipsum se defendendo interfecerit, absoluatur a banno.

36. Qui de cutello percusserit in misericordia dni sit. Si effugerit, omnes eum sequi teneantur, et si defendendo quis eum interfecerit, non tenetur de banno.

37. Qui uiolauerit mensam numulariorum aut macellum, in LX lb. puniatur et semper dampnum emendet.

38. Qui domum fregerit, LX lb. persoluat et dampnum reddat.

[1] Ce mot inintelligible est écrit dans l'original sous la forme suivante : *specit* avec le signe de l'abbréviation *er* sur l'avant-dernière lettre. Dans une copie du XVII[e] siècle, il est remplacé par le mot *petierit*.

39. Qui falsam mensuram tenuerit aut peisam aut ulnam, LX sol. persoluat et dampnum reddat et emendet.

40. Furnum uero et molendina debent esse dni comitis.

41. Et pro qualibet censa domus et casalis a parte anteriori habebit dnus comes VI den. annuatim.

42. In uenditione cuiuslibet domus et casalis semper habebit a venditore dnus comes XIII^{um} den. et ab emptore pro laudo similiter tertium decimum den.

43. Omnes homines residentes in uilla libera debent dno comiti equitationem per totum episcopatum Sedun. et circa totum lacum, ita quod redire possint et ire una die ad naues, et hoc eorumdem expensis.

Et hanc libertatem supradictam dnus Amedeus comes supradictus laudauit et concessit, saluo jure nobilium quod habent in casalibus dicte ville franche Sancti Brancherii, et jurauit ad Dei euuangelia nunquam contra libertatem uenire per se uel per alium, sed ipsam libertatem et omnes habitatores ville franche Sancti Brancherii ab omni homine garentire, manutenere et in perpetuum conseruare. In cuius rei testimonium idem dnus comes cartam presentem precepit fieri in testimonium ueritatis. Actum est hoc apud Augustam, in uergerio dni episcopi, vbi fuerunt vocati et rogati testes dnus Gottha fredus filius vice comitis, Marcho de Bardo, Bermondus Montis Joueti, Willelmus de Villeta, Aymo de Aymavilla, Humbertus Marescalli Montis Meliani, Jaquiminus de Carto, Petrus de Ponte, Jaquiminus de Boeya, Willelmus senescalcus dni comitis, dnus Aymo de Curiis canonicus Augustensis, Petrus de Uachairi, Petrus Barralli Secusie, Martinus de Casellis, Johannes de Solio.

Et ego Jacobus sacri palacii et comitis Sabaudie notarius et scriptor omnibus interfui et sic roguatus scripsi et subscripsi ac tradidi feliciter.

Sceau pendant en mauvais état.

1610

Amédée V, comte de Savoie, renouvelle les franchises de Saint-Brancher.

Bourget, 1322, 12 novembre.

Archives de Saint-Brancher. — *Mémoires et documents publiés par la Société savoisienne d'histoire et d'archéologie*, IV, 164.

Nos Amedeus, comes Sabaudie et in Ytalia marchio, notum facimus vniuersis presentibus et futuris quod nos dilectorum et fidelium burgensium nostrorum ville Sancti Brancherii precibus inclinati, qui dicunt libertates et franchesias ipsis seu ipsorum predecessoribus per predecessores nostros olim concessas minus sufficienter fuisse in pluribus articulis declaratas, ipsis burgensibus nostris, eorum successoribus et posteritati imperpetuum pro nobis ac successoribus nostris tenore presencium libertates et franchisias infra scriptas renouamus, declaramus ac de nouo concedimus et donamus.

1. In primis quidem volumus et concedimus quod nullus capi debeat nec eciam detineri per personam in villa Sancti Brancherii, vel infra ipsius ville franchesie terminos infrascriptos, quamdiu paratus erit cum effectu cauere ydonee de stando juri in curia nostra, nisi sit latro, homicida uel proditor manifestus, uel aliud delictum enorme perpetrauerit, pro quo meruerit sentenciam capitalem.

2. Item quod nullus capiatur per personam nec detineatur, nisi pro maleficio, et tunc si paratus est dare fideiussores de parendo juri, non capiatur nec detineatur, nisi pro enormibus delictis et manifestis, ut superius est jam dictum.

3. Item si quis aliquem percusserit de pugno sine sanguinis effusione, debebit tres solidos Maurian. pro banno et passo iniuriam duodecim denarios.



4. Si percusserit de palma debebit quinque sol. pro banno et passo iniuriam viginti den.

5. Qui percusserit de pede debet septem sol. pro banno et duos sol. et quatuor den.

6. Si aliquis aliquem ceperit per capillos cum duabus manibus, debebit decem sol. pro banno et passo tres sol. et quatuor den. Si cum una manu debebit quinque sol. pro banno et passo viginti den.

7. Item qui sanguinem fecerit alicui iniuriose et sanguis sit sparsus in terra, debebit sexaginta sol. pro banno et passo triginta sol.

8. Qui percusserit de baculo uel lapide sine sanguinis effusione uel mortis periculo, debebit decem sol. pro banno et passo tres sol. quatuor den., et si sanguis exierit, debebit sexaginta sol. pro banno et passo triginta sol., et si percussus ex ictu moritur, ille qui percusserit et bona eius mobilia erunt in misericordia dni, nisi forte aliquis alium occiderit in casu a jure permisso.

9. Item si aliquis vilis persona dixerit verba conthumeliosa alicui burgensi, et burgensis eum de pugno uel de palma percusserit sine sanguinis effusione, nisi leuiter per os uel per nares, ad bannum minime teneatur.

10. In omnibus autem aliis casibus in quibus infertur iniuria qui non sunt superius declarati, debet passo emenda fieri considerata qualitate iniurie et condicione personarum ad arbitrium judicantis.

11. Item de verbis iniuriosis dictis extra presentiam judicum uel officialium nostrorum, si iniuriatus sibi petit emendam, nullum bannum debet dno, nisi talia sint verba pro quibus possit indici duellum.

12. Item quicumque burgensis dicte ville decesserit sine testa(men)to uel alia ordinacione, bona ipsius decedentis mobilia et immobilia peruenient primo ad liberos, si quos habet,

alioquin ad proximos vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiue, computatis gradibus secundum canonicam numerationem, etiamsi decedens bastardus fuerit uel usurarius manifestus. Et si decedens de bonis suis ordinauerit inter viuos per donationes uel alio modo, aut in vltima voluntate testando, codicillando, legando, donando causa mortis, ordinatio eius valeat et inconcussa teneatur, cuiuscumque conditionis existat, siue sit legitimus, siue bastardus, seu etiam usurarius manifestus.

13. Item quicumque moratus fuerit per annum et diem in dicta villa uel infra confines franchisie dicte ville, et ipse ponat et contribuat sicut alii burgenses in expensis communibus et missionibus dicte ville, verus burgensis postea teneatur et censeatur.

14. Item omnes burgenses dicte ville et morantes infra ipsam villam uel confines franchisie dicte ville pedagium non debeant aliquod apud Villam nouam Chillionis de aliquibus suis propriis mercaturis, nisi de sale, nec etiam debeant pedagium apud Sanctum Mauricium, nisi illud quod illi de Chablasio dare consueuerunt.

15. Item quicumque acquisierit de rebus burgensium dicte ville teneatur contribuere et ponere in missionibus et expensis communibus dicte ville secundum modum et quantitatem rerum acquisitarum.

16. Item nullus possit vendere vinum ad tabernam in villa predicta, nisi infra confines franchisie dicte ville, nisi sit burgensis.

17. Item forum debet esse in dicta villa, sicut consueuit, qualibet septimana, die jouis.

18. Nundine vero, sicut consueverunt, anno quolibet in festo Exaltationis sancte Crucis per tres dies.

19. Item qui vendet pannos coloratos aut merceriam in nundinis uel in foro, dabit dno quatuor den. leyda.

20. Qui ceram aut telam vendet dabit dno duos den.

21. Item pro equo et equa quatuor den.

22. Item pro asino duos den.

23. Pro quolibet boue, vaca, porco et bacone vnum den.

24. Item pro qualibet minuta bestia vnum obolum.

25. Item omnes homines extranei de omnibus rebus quas vendent in dicto foro uel nundinis, exceptis piscibus recentibus, dabunt dno vnum den. pro leyda.

26. Burgenses vero et habitantes dicte ville non debent leydam.

27. Si clamor factus fuerit de aliquo coram castellano uel mistrale, reus dabit pro clama tres sol.

28. Item omnes burgenses et habitantes dicte ville debebunt nobis caluacatam per vnum mensem in anno ad expensas suas per totum episcopatum Sedun. et eciam circa totum lacum, ita quod redire possint et ire in vna die ad naues suas, et si necesse fuerit quod clientes dicte ville morentur ultra mensem predictum in caluacata nostra, nos debemus eisdem post dictum mensem expensas ministrare.

29. Item cum caluacata generalis indicitur, ita quod clientes de vltra villam Sancti Brancherii venire debent, tunc clientes ipsius ville non compellantur recedere donec superiores transierint, propter pericula incendiorum et tumultuum quandoque insurgencium villa vacua remanente. Et hoc idem locum habeat tam de inferioribus quam superioribus secundum modum caluacatarum mandatarum, vt si caluacate versus Augustam iuerint homines dicte ville recedere non teneantur donec inferiores transierint propter rationem superius assignatam.

30. Item prohibemus quod nullum genus armorum dictorum burgensium nostrorum possit impignorari, obligari uel vendi nisi de burgense ad burgensem. Et si aliquis coarcinus vel Judeus pignori acceperit uel emerit aliquod genus armo-



rum burgensium predictorum, cadat a debito et libere restituere teneatur et eciam subiaceat banno sexaginta sol.

31. Item habemus in dicta villa thesas domorum et casalium, videlicet pro qualibet thesa a parte anteriori sex den. Maur., exceptis domibus de quibus dicti burgenses reperirentur immunes per extentas nostras vel litteras nostras vel predecessorum nostrorum, et hoc sicut vsque nunc assuetum est, volumus obseruari, et exceptis grangiis que remanent in consuetudine hactenus obseruata.

32. Item in venditione cuiuslibet domus et casalis dicte ville habebimus a venditore tertium decimum den. et ab emptore tantumdem.

33. Item habemus in dicta villa furnos, et nullus ibidem furnum habere debet nisi nos.

34. Item habemus in dicta villa bannum vini per quindecim dies continuos anno quolibet mense maii, et quicunque vendiderit in dictis quindecim diebus vinum ad tabernam siue ad minutam mensuram sine permisso nostro vel castellani nostri, debebit sexaginta sol. pro banno.

35. Item qui saisinam nostram uel castellani nostri fregerit, debet sexaginta sol. pro banno.

Saisina vero facta tolli debet, si ille contra quem facta est paratus est cauere ydonnee vsque ad valorem rei saisite uel petite.

36. Item qui alium de possessione eiecerit sine jussu nostro uel judicum aut castellanorum nostrorum et de ipso querimonia deponatur, debebit sexaginta sol. pro banno.

37. Item bona decedencium in dicta villa sine liberis uel parentibus aut agnatis uel cognatis usque ad quartum gradum, vt supra, si intestati decesserint sine aliqua ordinatione facta inter viuos uel in ultima voluntate, debent ad nos pertinere, excepto vsufructu, si decedens vxorem vel vxor habuerit vi-



rum, ad superstitem conjugem ex antiqua consuetudine pertinente.

38. Item habemus in macello lingas boum et vacharum, et lombos porcorum occisorum qui venales exponentur in dicto macello.

39. Item qui conuictus fuerit de adulterio dabit dno sexaginta sol. pro banno, aut nudus fustigabitur per villam.

40. De maleficiis vero et iniuriis de quibus mentio non fit supra, delinquentes puniantur secundum statuta nostra et jura scripta, prout discretioni judicantis videbitur faciendum.

41. Limitationes vero et confines dicte franchisie sunt hii: videlicet a petra rotonda castri usque ad fontanam Tiollyousa[1] et usque ad sommitatem pontis Contauz de vltra et usque ad sommitatem pontis Sancti Brancherii de vltra.

42. Item in omnibus et singulis in quibus homines incurrent bannum, mulier si incurrat illud bannum, debebit medietatem illius banni tantum.

43. Item nolumus quod aliquis castellanus noster Sancti Brancherii per se uel per alium possit uel debeat scindere uel scindi facere in nemoribus dictorum burgensium pro suo affoagio uel causa alia, nisi in illis tantum nemoribus in quibus dicti burgenses pro vsibus suis scindent, ita quod idem castellanus cum dictis burgensibus de ipsis nemoribus communiter vtatur, nisi aliter obtinuerit de ipsorum burgensium propria voluntate.

44. Item volumus et concedimus quod si burgenses dicti loci reperiantur habere et habuisse hactenus aliquas alias consuetudines, franchesias uel libertates de quibus supra nulla mentio habeatur, per supra scripta non derogetur consuetudinibus memoratis, sed remaneant in sui roboris firmitate.

45. Item quia homines et habitatores ville de Warda prope

[1] Dans les franchises de 1239 on lit *Pyoulousa* au lieu de *Tiollyousa*.



Sanctum Brancherium in omnibus exsenis et communitatibus dictorum burgensium contribuunt et hactenus contribuere consueuerunt et eciam nobis pro suis domibus soluunt thesas, volumus et concedimus ipsos et posteritatem ipsorum gaudere in omnibus franchisia supradicta, saluis et retentis nobis in dictis hominibus et habitantibus ville de Warda aliis censibus et seruiciis in quibus nobis aute presentem franchisiam tenebantur.

46. Item volumus et concedimus quod si aliquis dictorum burgensium presentium vel eciam futurorum tempore caluacatarum nostrarum casu aliquo mandatarum egrotus, impotens, debilis uel nimio ductus senio fuerit, quod ipse vnum alium clientem nobis pro se caluacatam non debentem loco sui possit et ei liceat subrogare et ipsum pro se ad ipsas mittere caluacatas.

47. Vniuersa autem et singula capitula dictarum libertatum et franchisiarum volumus et precipimus pro nobis et successoribus nostris dictis nostris burgensibus et eorum successoribus per balliuos, judices, castellanos et alios officiales nostros, qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint, imposterum perpetuo, firmiter et inuiolabiliter obseruari, nullumque burgensem aliqua occasione vel colore exquisito contra dictas libertates et franchisias in posterum molestari.

48. Mutuatores autem tenentes casanam mutui in dicta villa gaudere nolumus libertatibus antedictis.

Et pro predictis confitemur nos habuisse a dictis burgensibus per manum Guillermi de Castellione familiaris nostri sexaginta sol. grossor. Turonensium argenti.

In quorum omnium robur et testimonium premissorum dictis burgensibus nostris presentes litteras tradidimus nostri maioris sigilli munimine roboratas. Datum et actum apud Burgetum, die duodecima mensis nouembris, anno Dni millesimo CCC° vicesimo secundo.

(Expedita fuit apud Pontemdens de mandato dni per dnum Petrum de Claromonte, die XVII mensis novembris, anno Dni M.CCC.XXII[1].)

Grand sceau pendant, avec contre-scel, Nos 44 et 45 des *Sigilli* de Cibrario et Promis.

1611

Jean de La Tour, seigneur de Châtillon, se constitue caution de Jean de Wédiswile en faveur de Jacques de Grasbourg.

Berne, 1323, 1 février.

Zapf, *Monumenta Anecdota*, I, 203.

Ego Johannes de Wediswile miles notum facio vniversis quod ego teneor nomine obstagii dni comitis de Sabaudia Jacobo de Grasburg ciui in Berno, meo hospiti, in viginti lb. bonorum denariorum vsualium in Berno, soluendis sibi vel suis heredibus in festo Pasche proxime aduenturo, et quod pro eisdem denariis termino predicto integre, ut dictum est, soluendis constituo me et heredes meos ac meis precibus Johannem de Turri dnum Castellionis in Vallesio ac ejus heredes, quemlibet unum in solidum et in totum, inter manus dicti Jacobi de Grasburg et suorum heredum debitores et fideiussores per presentes, et hos in solidum iustos obsides, scilicet Ottonem de Gisenstein rectorem ecclesie in Lisson, Nycolaum de Blankenburg rectorem ecclesie in Turnda, Berchtoldum de Krouchtal et Johannem filium quondam Jacobi Ringgolt, burgenses in Berno. Quos Johannem de Turri et obsides predictos et suos heredes promitto ego Johannes de Wediswile miles

[1] Ce dernier alinéa ne se trouve que dans le registre d'après lequel les franchises sont publiées dans les *Mémoires* de la Société savoisienne d'histoire.

predictus pro me et heredibus meis in hac parte a dampno quolibet releuare, me et heredes meos in solidum ipsis et suis heredibus ad hoc debitores et fideiussores firmiter obligando. Et si dictorum obsidum ante solucionem predictam aliquis decesserit, tunc loco illius teneor alium bonum obsidem substituere infra quindenam, preter dicti Jacobi de Grasburg et suorum heredum aut sui nuncii monicionem, alioquin residui obsides obstagii seruare debebunt usque ad predicti obsidis subrogationem. Nos vero prenominati quatuor obsides promittimus bona fide, cum preter dictum solucionis terminum a prefato Jacobo de Grasburg uel a suis heredibus aut nuncio moniti fuerimus, obstagia in Berno, ut est mos, fideliter obseruare usque ad plenariam predicte pecunie solucionem, sic tamen quod quilibet nostrorum dictorum quatuor obsidum se et suos heredes preter dictum solucionis terminum cum quinque lb. denariorum dicte monete et pecunie, quando sibi placuerit, de dicto obstagio et debito exonerare potest penitus ex causa dicta. Ego vero Johannes de Turri predictus fateor me et heredes meos in solidum esse debitores et fideiussores dicti Jacobi de Grasburg et suorum heredum pro prehabitis viginti lb. denariorum, ut de nobis superius est expressum, sub hac forma quod dicte viginti lb. denariorum in illo debito pro quo ipsius Jacobi fideiussor extitero ex parte dicti dni Johannis de Wediswile racione dicti obstagii, sicut in litera super hoc confecta expressum est, sunt principaliter et specialiter decomputande. Testes horum sunt Rod. Vischer, Volricus de Guggansberg, Nycolaus de Rotwil et alii. Et in predictorum omnium robur et testimonium nos Johannes de Wediswile miles, Johannes de Turri et Otto rector in Lisson predicti sigilla nostra pro nobis, scilicet ego dictus rector in Lisson meum sigillum pro me et residuis tribus obsidibus, appendimus huic scripto ; quo sigillo iam dicti rectoris ecclesie in Lisson nos residui predicti tres obsides vtimur in hac parte. Datum in

Berno, in vigilia Purificationis beate Marie Virginis, anno Dni M°.CCC°. vicesimo tercio.

1612

Legs de l'évêque Aymon de Châtillon en faveur du chapitre de Sion.

1323, 10 juillet.

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Dnus Aymo episcopus Sedun., sanus mente, etc., legauit capitulo Sedun. pro vno refectorio annuatim faciendo LX sol. Maur. redditus annui de illis IIII^or lb. Maur. redditus quas acquisiuit a Marçone de Saxo, que debentur in perrochia de Bvn annuatim; reliquos XX sol. superstites de dictis IIII^or lb. redditus et XX sol. redditus quod emit a Francisco de Moniouet, qui debentur super plantata maioris Sedun. annuatim, dedit et legauit pro oblacionibus et distribucionibus honorifice faciendis die anniuersarii dni Bonifacii episcopi Sedun. Datum VI idus julii, anno Dni M.CCC.XXIII.

1613

Edouard, comte de Savoie, autorise l'établissement d'un marché hebdomadaire à Conthey.

Conthey, 1324, 26 janvier.

***Mémoires et docum. publiés par la Soc. savoisienne d'hist. et d'archéol.*, IV, 183.**

Nos Edduardus, etc..., quod nos ad supplicationem dilectorum fidelium burgensium nostrorum et habitancium ville Conthegii,

attenta diligenter et considerata nostra ipsorumque burgensium et habitancium ac ipsius castellanie utilitate comuni, volumus, statuimus et ordinamus forum ex nunc perpetuo in dicta villa Conthegii teneri et exerceri omnibus septimanis, qualibet die martis, ad usus tamen et consuetudines et sub similibus solutionibus et prestationibus leydarum et venditionum et aliis quibuscunque statutis quibus et quatenus in foro seu foris ville nostre Seillionis uti et solvi solitum est ac etiam consuetum. Et ut ipsum forum melius et utilius processu futuri temporis teneri continue valeat ac etiam exerceri, statuimus quod omnes et singuli qui et quotiescumque ad ipsum forum venire voluerint, veniendo ad ipsum forum, moram seu residentiam contrahendo in eo et recedendo etiam ab eodem, cum rebus, bonis et quibuscumque mercandiis ipsorum quibuscumque per familiares nostros tute, salve et secure protegantur et deffendantur, solvendo tamen nobis et successoribus nostris aut pro nobis castellano nostro Conthegii vel qui super hoc a nobis pro tempore fuerint deputati, leydas, venditiones, prestationes, usagia et alias servitutes quas nobis debebunt secundum usus et consuetudines, ut supra, ville Seillionis predicte.

Item statuendum duximus quod omnes et singuli principales et dni domorum seu domicilia habentes infra dictam castellaniam Conthegii ad ipsum forum Conthegii usque ad unum annum post preconisazionem seu solemnizationem que fiet et quam fieri precipimus pro ipsius fori divulgatione, personaliter accedant et accedere teneantur, nisi forte aliquis foret evidenter impeditus sufficienti occatione vel causa que ipsum a predictis rationabiliter excusaret. Item statuimus quod ullus de dicta castellania blada, vina, animalia seu quasvis denariatas extrahere possit aut sibi liceat, donec semel ad ipsum forum venales adducte fuerint et exposite ad vendendum. Qui autem contra hanc nostram ordinationem quicquam attemp-



taverit, viginti sol. Maur. pro qualibet vice qua contra fecerit nomine banni seu pene nobis solvere teneatur. Volentes tamen ad majorem utilitatem ipsius ville et fori quod dilectus fidelis noster Perroudus de Turre dnus Castellionis in Valesio et vicednus Conthegii et ipsius successores succedentes eidem in vicedonatu predicto tertiam partem leydarum et exituum ipsius fori percipere valeant et ad ipsum ex nunc pertineant pleno jure, ita tamen quod dictus Perroudus et qui sibi in dicto vicedonatu succederit omnes homines et subditos ipsius ad ipsum forum per dictum tempus, ut supra, venire faciat et predicta omnia et singula observari faciat per eosdem.

Mandantes et precipientes baillivis, judicibus, castellanis, ceterisque officiariis nostris, qui pro tempore fuerint, ad quos presentes litere pervenerint, quatenus hanc nostram ordinationem et omnia et singula suprascripta ratam, firmam, rata et firma teneant inviolabiliter et observent et observari perpetuo faciant et in nullo contra faciant vel opponant. In quorum omnium premissorum robur et testimonium, etc. Datum et actum in castro Conthegii, die jovis XXVI die mensis januarii, anno a nativitate Dni M°CCC°XX° quarto.

1614

Edouard, comte de Savoie, confirme les franchises de Saint-Brancher et accorde une nouvelle foire à ce bourg.

Chillon, 1324, 7 février.

Archives de Saint-Brancher.

Nos Edduardus comes Sabaudie notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis quod in nostri presencia constituti dilecti burgenses nostri ville Sancti Brancherii nobis humiliter supplicarunt ut nos franchesias et libertates eisdem

per predecessores nostros concessas et postmodum per inclite recordationis nostrum karissimum genitorem innouatas et declaratas confirmaremus secundum ipsius nostri genitoris tenorem litterarum, supplicauerunt, inquam, ut nos eisdem nostris burgensibus nondinas concederemus in dicta villa Sancti Brancherii tenendas, ultra nondinas ordinatas et consuetas, videlicet ad dies martis et mercuri ante festum Heucharistie anno quolibet, et quod ipsas per terram nostram mandaremus publicari. Quibus quidem supplicationibus annuentes, visis et diligenter in nostro pleno consilio consideratis eorum franchesiis supradictis, et quod nulli dampnosum est concessio dictarum nondinarum, predictis nostris burgensibus jam dictas franchesias eisdem concessas, innouatasque et declaratas per dictum dnum patrem nostrum et libertates confirmamus ac eciam approbamus, volentes ipsas perpetuo in suo robore permanere. Preterea concedimus jam dictis nostris burgensibus quod in dicta nostra villa de Sancto Brancherio nondine teneantur anno quolibet, diebus martis et mercuri ante festum Heucharistie Dni supradictis, et quod omnes de castellania dicti loci ad ipsas venire teneantur, nisi iustam causam habuerint remanendi. Mandantes et precipientes tenore presencium bayliuis, judicibus nostris Chablasii et Gebenn., necnon et castellano nostro Sancti Brancherii, qui nunc sunt aut qui pro tempore fuerint, et omnibus aliis nostris officialibus ad quos presentes peruenerint, quatinus dictas franchisias et libertates ipsis nostris burgensibus custodiant et obseruent et quod minime facere contra ipsas attentent uel presumant, et quod dictas nondinas in foris suarum castellaniarum publice faciant nonciari, quocienscumque a dictis nostris burgensibus fuerint requisiti. Volentes quod omnes de castellania Sancti Brancherii compellantur ad veniendum in dictis nondinis, nisi iustam causam habuerint remanendi. In cuius rei testimonium sigillum nostrum iussimus presentibus

apponendum. Datum apud Chillionem, die martis septima die mensis februarii, anno Dni millesimo CCC° vicesimo quarto.

Sceau tombé.

1615

Antoine (de Blandrate), comte de Viège, prête hommage à l'évêque de Sion pour la majorie de Viège.

1324, 25 avril.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II, ex libro Vespie.

Anthonius comes de Vespia fecit homagium pro majoria de Vespia, et cum habeat adhuc aliud feudum ex quo tenetur ad homagium, episcopus dat dilationem usque dum filius primogenitus sit in etate faciendi homagium. 1324, 7 kl. maii.

1616

Vente de la moitié de la majorie de Grengiols à l'évêque de Sion.

1325, 28 août.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II, ex libro Morgie.

Johannes filius Johannis majoris in den Bachen de Greniols vendidit episcopo Aymoni mediam partem majoratus de Greniols. 1325, 5 kl. septembris.

1617

Conon de Châtel et son fils vendent à Guillaume de Viesch, donzel, des mansars de Glurigen.

1325, 29 novembre.

Documents sur le Vallais (M. Bordier), tom. II, ex libro Conches.

Cono de Castello et Perrodus filius eius cesserunt et vendiderunt Willelmo de Vies domicello mansuarios de Gurigen, videlicet unum hominem chesarium, etc., salvis usagiis dominorum, france et libere. 1325, 3 kl. decembris.

Feudum hic etiam habet comes Blandra.

1618

Les habitants de Bagnes et de Volléges ne sont pas obligés de conduire leurs marchandises au marché de Saint-Brancher.

Chambéry, 1328, 18 janvier.

***Mémoires et docum. publiés par la Soc. savoisienne d'hist. et d'archéol.*, IV, 225.**

Eduardus comes Sabaudie, universis presentibus et futuris presentem literam inspecturis rei geste noticiam cum salute. Sua nobis universitas hominum et incolarum parochiarum de Baignes et de Veluegi gravi querimonia sepissime monstrarunt quod castellanus noster Sancti Brancherii et aliqui predecessores ejus ipsos homines et incolas indebite et injuste compellunt, haetenus compulerunt per penarum impositiones et exactiones et multis modis aliis oppressivis, ut ipsi velint vel nolint venire ad forum nostrum Sancti Brancherii et quod

mercandias suas et res alias mobiles quas venales habent ad dictum forum aportent, anteaquam ipsas alibi venales exponere audeant, ducere vel portare, et, quod asurdius est, de rebus et mercandiis mobilibus quas in dictis parochiis vendunt vel alibi in dicta castellania in dicta die fori vel die alia quacumque, ledas sive vendas ipsi castellani ab hujusmodi vendentibus exigunt et extorquent in grave ipsorum hominum onus, prejudicium et gravamen; supplicantes nobis homines universitatis parochiarum predictarum ut ipsos et eorum posteritatem a tali servitutis vinculo relauxamus, ipsosque restituamus antique et pristine super hoc libertati. Unde nos habita super hoc deliberatione sollempni, predicto negocio cum diligencia perscrutato, maxime quia reperimus quod si ex dicta compulsione nobis aliquod emolumentum pervenit, ipsi homines exinde ad triplum vel quadruplum pregravantur, maxime quod major pars ipsorum hominum a dicta villa Sancti Brancherii sint remoti; nolentes subditos nostros ibi vel alibi deprimere sed potius favore prosequi gracioso, super predictis omnibus et quolibet predictorum et omnibus et singulis dependentibus ex eisdem, pro nobis et nostris successoribus, considerata utilitate nostra evidenti, sic duximus ordinandum et perpetuo servaturum, videlicet quod ipsi homines et incole parochiarum predictarum et heredes ac posteritas eorum possint et eis liceat mercandias et res suas omnes et singulas mobiles et venales ducere, vendere in dictis parochiis quibuscumque voluerint extraneis et privatis, et ubi eis placuerit ducere et portare, absque solutione aliqua ledarum sive vendarum et ponderis, omnibus diebus quibus eis videbitur expedire, nec ad veniendum ad forum predictum Sancti Brancherii vel res suas aliquas apportandum ulterius directe vel indirecte teneantur modo aliquo vel compellantur, sed voluntati eorum libere et spontanee relinquatur, hoc tamen salvo quod si in die jovis, qua forum esse in villa Sancti Brancherii

consuevit, ipsi homines et alter eorum aliquas mercandias vel res venales alias de parochiis suis extraxerint veniendo ad forum predictum et ipsas in via veniendi vendiderint, tunc pro hujusmodi venditione ad solutionem lede teneatur vendens, et (l. ac) si in dicto foro ipsam mercandiam vendidisset, et super hoc credatur ipsius vendentis simplici juramento, absque eo quod aliquis castellanus vel officiarius noster alius qui in dicta castellania pro nobis presideat, aliam inquisitionem ultra juramentum dicti vendentis debeat et possit facere de predictis. Pro predicta autem ordinatione nostra habuisse et recepisse confitemur ab ipsis hominibus et incolis parochiarum predictarum per manus dilectorum fidelium et familiarium nostrorum dni Galesii de Balma dni de Vallusine, baillivi... Chablaysii et Gebenn., et Guillelmi de Castellione quatuor lb. et decem sol. gross. Turon. argenti in pecunia numerata. Et quod forte lede et vende dicti fori nostri Sancti Brancherii propter presentem ordinationem aliquod recipiant detrimentum, ipsi homines et incole parochiarum predictarum nobis et successoribus nostris dare et solvere convenerunt loco dicti detrimenti de cetero annis singulis in festo beati Martini triginta sol. Mauris. per manus mistralium dictarum parochiarum. Si vero aliquis hominum et incolarum dictarum parochiarum actenus comisit vel offendidit in predictis, hoc eisdem remittimus et quictamus. Promittentes sub bona fide et juramento nostris presentem nostram ordinationem pro nobis et successoribus nostris ratam, gratam et firmam habere perpetuo et tenere, et nullo tempore per nos vel per alium contra facere vel venire. Mandantes et precipientes tenore presentium baillivo et judici nostris Chablasii et castellano nostro Sancti Brancherii et aliis officialibus nostris, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, quatenus presentem nostram ordinationem et omnia et singula hic inserta inviolabiliter observare (debeant) et in nullo contra faciant vel opponant. In quorum om-

nium robur et testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum et actum apud Chamberiacum, die XVIII mensis januarii, anno sumpto a nativitate Dni M°CCC° vigesimo octavo.

1619

Vente d'hommes liges et taillables par Aymon et Ebal d'Anniviers.

1328.

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Aymo et Ebalus filii Willermi de Aniuisio domicelli quondam salteri Sedun. vendiderunt pro XL lb. Maur. Johanni de Drona et Albertino de Modecina (l. Modoecia) canonicis Sedun., ementibus nomine capituli Sedun., quatuor homines ligios et talliabiles ad misericordiam, qui, inter cetera, debent duo paria meneydarum porci valentes III sol., pannum, etc.; item vendiderunt XLIII sol. redditus annui. Anno Dni M.CCC.XXVIII.

1620

Reconnaissance en faveur du chapitre de Sion.

1328.

Archives de Valère, Extracta registr. cancell. Sedun.

Willermus de Crista de Comblola et Petrus Velatu recognouerunt esse homines capituli Sedun. ligios et se tenere in feudum dicti homagii ligii pro se et consortibus suis prata, campos et domos existentes a ponte de Crista de Comblola



vsque ad fossatum castri de Vex et multa alia bona, pro quibus confessus fuit se debere capitulo Sedun. X s. I d. tallie, IIII^{or} XI^{nas} menaydarum, IIII^{or} s. herbagii et V s. placiti in morte vasalli. Anno Dni M.CCC.XXVIII.

TABLE ALPHABÉTIQUE

DES NOMS DE LIEUX ET DE PERSONNES

N. B. Les chiffres renvoient aux pages. — Les noms de lieux modernes sont imprimés en caractères italiques. — Les personnes qui ont occupé des dignités ou des offices sont indiquées deux fois : 1° sous le nom de ces dignités ou offices ; 2° sous leurs noms propres ; mais, pour éviter des répétitions inutiles, l'indication des pages ne se trouve qu'à la suite de ces derniers.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

W

Y

Z

ERRATA

Page	34,	ligne	21,	*au lieu de*	Viége	*lisez*	Ernen.
»	97,	»	3,	»	Manueli, Thome	»	Manueli Thome.
»	»	»	»	»	Humberto, Layoli	»	Humberto Layoli.
»	»	»	4,	»	Antegn...	»	Antegnon.
»	168,	»	6,	»	Grano	»	Grauo.
»	179,	»	1,	»	Guidonis	»	Othonis.
»	191,	»	15,	*ajoutez :*	Archives de Valère.		
»	»	»	22,	*au lieu de*	rotham	»	robam.
»	192,	»	3,	»	veniat	»	venit.
»	»	»	4,	»	respondente	»	re ponderante.
»	»	»	6,	»	rublos	»	rubos.
»	»	»	»	»	et	»	aut.
»	»	»	8,	»	suis	»	sanis.
»	»	»	16,	»	precio	»	pariter.
»	»	»	23,	»	si	»	que.
»	»	»	»	»	debet	»	deberet.
»	»	»	27,	»	et dare	»	etiam dare.
»	»	»	28,	»	perfors	»	perfort.
»	»	»	32,	»	crastinum sequentem	»	crastino sequenti.
»	193,	»	1,	»	thor	»	tort.
»	»	»	2,	»	Suro	»	Sirro.
»	»	»	4,	»	Vnuaco (Viuiaco?)	»	Viuiaco.
»	»	»	6,	»	Suro	»	Sirro.
»	196,	»	»	»	Albertu	»	Albertus.
»	220,	»	27,	»	e	»	et
»	»	»	30,	»	vigint	»	viginti.
»	»	»	31,	»	qu	»	qui.
»	248,	»	26,	»	su	»	sui.
»	249,	»	3,	»	Augueres	»	Augneres.
»	»	»	29,	»	Margarata	»	Margareta.
»	250,	»	17,	»	Nus	»	Nas.
»	255,	»	9, 10, 14,	»	Nero	»	Vero.
»	»	»	25,	»	Allet	»	Cillet.
»	256,	»	1,	»	Allet	»	Cillet.
»	»	»	2,	»	Neros	»	Veros.
»	262,	»	21,	»	auf der Flu	»	an der Fluh.
»	320,	»	8,	»	canonicus	»	cantor.
»	335,	»	18,	»	Montano	»	Montana
»	356,	»	8,	»	Petrus de Augusta	»	Jacobus de Augusta.
»	376,	»	14,	»	Ebalo,	»	Ebalo *sans virgule*.
»	460,	»	23,	»	Monthone	»	Menthone.
»	487,	»	3,	»	aduitores	»	adiutores.
»	507,	»	6,	»	Voucherii	»	Voutherii.
»	511,	»	30,	»	dni,	»	dni *sans virgule*.
»	557,	»	26,	»	Brios	»	Buos.

Le catalogue complet des publications de la Société d'histoire de la Suisse romande se distribue gratuitement chez GEORGES BRIDEL ÉDITEUR A LAUSANNE.

LAUSANNE. — IMPRIMERIE GEORGES BRIDEL.

